


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
26 B
53



DIONYSII HALICARNASSEI

ANTIQVITATVM, *siue Originum Romanarum,*

LIBRI DECEM,

SIGISMVNDO GELENIO INTERPRETE.

Adiecimus Vndecimum ex versione Lapi: ac Indicem rerum notatu dignarum locupletissimum.



LVGDVNI,
Apud Antonium Vincentium.

1563

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINcipi & domino, domino Io. Rodolpho Murbacensi Lutrensiq́ Abbati Sigismundus Gelenius S.



N promissus Dionysius illustrissime princeps, venit ad tuam amplitudinem pignus nostræ gratitudinis, scriptor cui paucos in hoc genere conferas, præferas iure neminē. Fuit huic viro patria Halicarnassus, Asiæ littoralis vrbs ex aduerso Rhodi sita, quæ iam antè Herodotum illum suauiloquētem dederat. ipse eximius inter sui seculi rhetoras, tantæque existimationis criticus erat, vt omnes libenter sequerentur eius de quocunque siue antiquo siue recente scriptore sententiam. eam gloriam domi nactus Romam nauigauit ad orbis totius theatrum, quo tempore Cæsar Augustus nuper deuicto & sublato Antonio solus rebus Romanis præerat: commoratúsque inibi per annos viginti, & cum proceribus versatus, adeptúsque linguæ Latinæ scientiam, quo hospitij gratiam referret, instituit vrbem nondū Græcis celebratam literis, apud Græcos suos illustriorem reddere, id in primis studens, vt eam contra vulgi opinionem vindicaret à barbarie, quòd tum propter sermonem detortum à prisca origine, & opicarum gentium consuetudine mixtum ac vitiatum, haberetur pro barbara: simul hoc agens, vt Græci æquiore ani-

mo cum aliis imperata facerent eorum quos ſcirent non alienos à ſuo ſanguine. Eadem ratione ſuperioribus ſeculis adoptati fuerãt Macedones,quo minus puderet ſeruitij,cùm tamẽ eorum lingua,licet finitima,non intelligeretur à Græco homine, ſicut liquet vel ex menſium nominibus.Inualuit certè hæc opinio,vt Latini homines Latinæque literæ non cenſerentur in barbaris, præſertim poſtquam diſciplinæ omnes his quoque tractari cœptæ ſunt: & quẽadmodum Oriens non ſolum multis in prouinciis populariter Græcam linguam recepit, verùm iura ſacráque ſua non alia complecti dignatus eſt,itidem Occidens eundem honorem Latinis literis habuit. Nec iis tantum de cauſis hoc potiſsimum argumentum delegit DIONYSIVS: ſed cùm ſciret hiſtoriam eſſe morum & actionũ omniũ tam priuatarum quàm publicarum ceu exemplar, & vitæ ſpeculum, plurimúmque referre vnde petãtur exempla, ſumpſit ſibi ſcribendas res Romani populi, priſci inquam illius in omni genere virtutum pace ac bello exerciti, necdum corrupti exoticis vel opibus vel vitiis: qui tulit primùm reges fortiſsimos ac ſanctiſsimos,quamuis ipſos non natos ex regibus: deinde regni in tyrannidem degenerãtis impatiens, libertatem aſſeruit tutatúſque eſt per incorruptiſsimos Iunios,Valerios,Lucretios, Horatios, Mutios, Menenios, Largios,Marcios, Quintios, Fabios, cæteróſq; his ſimiles. Narrat enim primùm exordia Romani generis,repetita ab antiquiſsimis Græciæ gentibus,Oenotris expulſoribus Siculorum ex Italia, Pelaſgis, Arcadibus, Epeis, Troianis, quæ prima omnium Græcarum colonia trans

Helleſpon

Hellespontum in Asiam auspiciis Dardani deducta est. Deinde quomodo alterum Latij caput Romanam vrbem Marte prognatus Quirinus condidit, eíque finitimis populis perdomitis securitatem peperit. Numa religionibus additis militares animos ad vitam mitiorem & iustiora traduxit studia. Tullus sublatâ de principatu controuersia, primò præposuit eam, mox consilio tutiore vniuit suæ metropoli. Ancus mare vsque protulit eius imperium. Priscus Tarquinius finitimarum gentiũ fecit principem. Seruius censu instituto effecit vt vires suas nosceret. Sub vltimo Tarquinio accesserunt Sibyllina oracula, vnicum in rebus dubiis refugium: cuius regis non ferenda superbia libertatis exciuit desiderium, eiúsque asserendæ occasionem proceribus præbuit. Pulsis Tarquiniis per XIIII. annos bellatum est cum tentantibus reditum, fretis Hetruscorum atque Latinorum auxilio: & hinc quoque crescendi ansa arrepta est viris fortibus. Extincto deinde cũ vniuersa familia Superbo effloruit ciuitas sub consulibus: quorum potestas iam inde ab initio sic temperata fuit vt nec decemuiri quamuis legum latores, nec numerosi tribuni militum, nec dictatores amplissima potestate moderatè vsi ac leniter, æquè profuerint aut placuerint. Constituta communi libertate laboratum est nonnihil seditionibus: sed his confestim prudẽtium virorum autoritas remedium attulit. Videre licet obiter triplicem formam reipublicæ, primò regiam, relicto tamen penes populum belli pacísve ac legum sanciendarum & magistratuum creãdorum arbitrio: mox administrationem rerum per optimates patricios,

donec plebs quoque in partem curarum & honorum assumpta est, postquam per suos tribunos vicit vt admitteretur ad magistratus & sacerdotia. Licet imperij quoque videre fundamenta tantæ olim moli suffectura, legibus, religionibus, magistratibus, reíque militaris ac rusticæ subnixa studiis. Sed nihil æquè profuit ad proferenda vrbis & imperij pomœria, quã quòd victis parcebatur: & aut inopes eò mittebantur in colonias, aut inde traducebantur in vrbem ascribendi tribulibus, & aucturi ciuium Romanorum numerum. vnde etiam linguæ mixtura, maturéque secuta deprauatio, Sabinis, Hetruscis, Hernicis, Volscis, Aequísque ascitis, vt mirum sit potuisse præminere in Romano sermone dialecton Pelasgicam Fuit tamen initio principatus penes Romanos magis quàm dominium, & à finitimis populis non sine contentione impetratum est vt pro sociis haberentur veriùs quàm pro subditis, cedebatúrque virtutibus Romanorum potiùs quàm viribus. Huius populi res memoriæ proditurus DIONYSIVS, duo præcipua quædam domo ad hoc negotium attulit, singularem prudentiam coniunctam cum pari eloquentia, atque ita susceptum onus sustinere facilè potuit. Et quia primæ origines repetendæ erant, si non à Chao & Iano Iapetóque, certè ab antiquissimis seculis, quorum soli poëtæ meminerunt: necubi seducerentur ab autoribus dubiæ fidei, sequitur concentum plurium, & verisimiliora peruestigat sagaciter, certis modo argumentis assentiens: vt sunt locorum nomina, fanáque passim à priscis heroibus condita. Verùm in his tradendis veniam & postulant & merentur, qui

tractant tam remota ab ætatis suæ memoria. Quæ vrbem conditam sequuntur hausit ex antiquissimis probatissimísque Romanorum scriptoribus, Fabio pictore atque Cincio, Catonéque & Valerio Antiate, ac cæteris quos etiam Liuium sequi non piguit. at ne hic quidem sine delectu acerrimóque illo suo iudicio: imò plerunque coarguit quorundam negligentiam, vel ex supputatione temporum, vel aliis bonis rationibus: cuius generis est censura de ætate Superbi Tarquinij, à Laurentio Valla vsurpata. Si quid illi produnt quod aut hyperbolen sapiat, aut alioqui parum quadret Romanis moribus, id silentio præterit: quale est ferinũ illud, quod Liuius scribit de Scæuola manum torrente in foculo: quem noster Mutium Cordum nominat, longéque verisimilius atque etiam decentius denarrat hominis facinus. nam Scæuolæ cognomen aliis de causis in Mutiam gentem recipi potuit: nec enim solo igni clades infertur artubus: & videtur alicuius studio cognomini gentilitio affícta honesta fabula. Ordinem temporum sequitur, quà prælucet perpetua successio regum atque magistratuũ. Res præclarè gestas sic narrat & laudat, vt accendat ad maiorũ æmulationem posteros, quæ præcipua lectionis vtilitas: & est hic mira exẽplorum varietas ac copia. nec euentus tantum describit, sed & consilia, tum si quid inopinatum accidit. nec tantum bellica facinora memorat, verùm non minore cura pacis artes, quibus vel ordinum concordiæ, vel ciuitatis libertati ac tranquillitati consulitur, mutilam censens historiam vbi nihil præter prælia legitur & expugnationes vrbium. Quãtumuis magnis

rebus narrandis sufficit, nihil culpa sua deteres, omnia contexens aptissimè, vbique sui similis, nusquam properabundus, sic temperans narrationem, vt nec supersit quicquam, & nihil desideres amplius. Interdum exspatiatur digressionibus, ne his quidem infrugiferis: aliàs delectat descriptionibus, rem ceu ob oculos ingerens. Quæ omnia stilo prosequitur luculentissimo, non tam ad luxum ornato quã ad munditiem, inaffectato, graui, dilucido, diuersis virtutibus Herodotum ciuem suum, & Atticos Thucididem Xenophontémque referens, coniungens quæ illis erant singula. vbique rhetorem agnoscas, non rarò philosophum. Itaq; impensa in hoc opus iusta opera, non rude commentarium nobis reliquit, sed absolutissimam historiam. Quo factum est vt cùm Theopompi, Ephori, Philisti, Hecatæi, Anaxilai, Timæi plurimorúmque aliorum scripta interciderint, Polybij Diodoríque maiori ex parte perierint: & in nostris literis desideretur integer Trogus, Sallustiíque historia, minimum supersit de Liuio, non multum de Tacito, dimidiatus exstet Ammianus (quos si haberemus, absolutam teneremus Romanarum rerum memoriã ab Vrbe condita vsque Gratiani Augusti tempora, & labem imperij vastantibus transrenanis transdanubianísque hostibus editam) huius monumenta ad nostram ætatem ob eximiam eorum vtilitatem seruata sint. Et merito: erat enim vir omni genere disciplinarum expolitissimus, dogmatum philosophicorum peritus, ita tamen vt in Platonem sit propensior, alienus ab adulatione & affectibus, licet mouendis illis mirus artifex, virtutum magnus amator,

& in

& inter has frugalitatis ac temperantiæ comitum innocētię, reprehensor vitiorum sui seculi: de rebus diuinis, vt ea tempora ferebant, non male sentiens. nam de prouidentia per occasionem reuerenter ac piè loquitur, sic virtutem Romanorum prædicans, vt tamen eorum fortunam pendere fateatur à fauore numinis. aliquando retundit istorum impudētiam, qui negant superos curare terrestria. Et quia res populi Rom. mandat literis, grauitate cū Romanis historicis certat, in concionibus Liuianam præ se ferens vehementiam, & verba personis aptissima tribuens. Historiam suam pollicetur se producturum vsque ad initium primi belli Punici, sed videtur morte immatura præuentus non absoluisse quod instituerat. id quo magis suspicer, faciunt quæ habentur sub titulo libri vndecimi, Luteciæ nō edita, & proinde nec à nobis versa, farrago quædam indigesta carēs ordine, planéque vice commentarij parata, nec habens quicquam simile prioribus voluminibus: quam vel in hoc reliquimus suo loco immotam, vt autorem appareat operi cœpto immortuum. Eandem causam opinor cur non reperiantur libri, quos in fine primi Antiquitatum promittit se scripturum de Romanorum repub. Præter præsens volumen supersunt eius rhetorici aliquot commentarij: vt, De compositione, seu orationis partium apta inter se collatione, ad Rufum. Artis rhetoricæ capita quædam ad Echecratem. De Thucydidis idiomatibus ad Ammæum. Suidas meminit & libri De antiquorum oratorum characteribus. Hactenus de DIONYSIO. non enim scribimus, ac ne possumus quidem pro dignitate, eius encomium.

comium. Has Antiquitates ante annos quinquaginta opinor, vertit Lapus nescio quis, sed sic, vt ex dilucidis, & aliorum quoque libris lucem inferentibus, fecerit obscurissimas: quòd ipse in oculis afferret caliginem, quemadmodum ille Senecæ cauillo notatus spinas circunferebat in pedibus. infelici interpreti nihilo felicior typographus contigit, dignum (vt aiunt) patella operculum. tanta erat eius seculi & superiorum barbaries. itaque non magno fructu legebatur, sed non sine magno tædio. Proxima editione HENRICVS Glareanus poëta, nunc in Friburgensi academia liberalium disciplinarum professor publicus, homo cum aliàs polyhistor, tum in mathematicis absolutissimus, & quæ peculiaris ipsius laus est, in formanda iuuentute indefessus idque prospero successu auditorij conatus opem ferre scriptori miseris modis tractato, expertus est malum esse immedicabile absque subsidio Græci Codicis, nisi quòd quædam ex aliorum librorum collatione coiectando assecutus est nam ea phrasis est interpretis, vt sæpe dubites Græcus an Latinus loquatur, certo tamen scias te non intelligere, præsertim si idiomatis Græci sis rudis. Itaque miserebat me tanti viri, digni qui meliùs cognosceretur à Romanis, quorum virtutes tantopere celebrat. tandē ex insperato porrectum est remedium. nam cum Christianissimo Francorum regi FRANCISCO sua Minerua, hoc est eruditi viri quos amplectebatur & fouebat excitans eorum ingenia, in mentem misisset vt regiam officinam typographicam instituere conuenientem dignitati tanti nominis, inter multos præclaros scriptores prodiit

& DIONYSIVS. ò animum planè regium, gnarum quibus vita iuuetur artibus: quem vtinam libeat æmulari cæteris Christianis principibus. Et spes est ita fore, quando non defuit qui recens etiã tum exemplũ imitaretur serenissimus Lusitaniæ & Gymnææ rex IOANNES eius nominis tertius, & non contentus in regno suo nouã Conimbricæ fundasse academiam, addidit ei typographos regios. hîc verò non dissimulandus est mihi tuus quoque illustrissime princeps animus, dum per occasionem libẽter soles typographos iuuare exemplaribus simul ac pecuniis, non mediocri sanè tua laude, reîque literariæ commodo. Sed vt cœpi dicere, oblata Græci codicis copia, paruo molimine sum impulsus vt totum opus melioribus auibus verterẽ. autores porrò eius audaciæ fuerunt mihi compatres mei carissimi. Hieronymus Frobenius & Nicolaus Episcopius honestę memoriæ Ioannis Frobenij laudatissimi viri alter gener, alter filius, qui hæreditarias curas ad iuuandam rem literariam conferunt communi consilio, incredibilíque industria. Quid enim vnquam ex eorum officina exiuit non melius & expolitius? quot eximij scriptores in omni disciplinarũ genere his triginta annis inde emissi sunt, partim restituti nitori pristino, partim è latebris, in quibus tot seculis velut sepulti iacuerant, eruti? quorum vel nudam nomenclaturam non caperet vna pagina, ne quid dicam de fœtura huius eruditi seculi. Quid quòd prima omnium in Germania cæteras ad æmulationem accendit? ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. satis enim apparet non alio telo profligatam barbariem. Hæ laudes vt veræ ita cõfessæ sunt

omnib

omnibus studiosis bonarum literarum & artium, candidè beneficiū agnoscentibus. vnde fit vt doctissimus quisque haud grauatim iis viris commodet suam operam, quemadmodum nuper ille ætatis suæ phœnix ERASMVS Roterodamus, Beatus Renanus, Simon Grynæus, Hieronymus Gemusæus: vt taceam de superstitibus, non solū in hac vrbe, sed & in longinquis terris degentibus, qui vicissim illustrant hanc officinam & illustrantur ab ea. me quoq; multis iam annis vsi tenent grata compede vinctū & benignis officiis vt æquo animo feram patriæ desiderium. Siquid igitur interim de literis sum meritus, vt quidam meritum putant, & hoc illorum est beneficium: in quorum gratiā ausus sum postremis his annis in Iosepho atque Dionysio ignotas tentare vias, quàm consultè, viderint οἱ εὐγνώμονες. De fide non sum sollicitus, ne eam cuiuis vtriusque linguæ perito non approbē, elegantias viri eloquentissimi magistríque eloquētiæ quî poteram exprimere? cæterùm quod ad perspicuitatē attinet, dedi operam, vt hac quoq; parte proximè archetypum accederem. Prodit igitur Dionysius tui nominis illustriss. princeps IO. RODOLPHE auspiciis iam commendatior, qui ex nobilissima familia natus habente in stemmate non te vnū principem, ornamentum & ipsi, & huic quod geris muneri, es egregium, locúmq; obtines inter nō postremos Germaniæ principes. nec mirū cùm ad hanc dignitatē attuleris virtutes quamtūuis eximiis dignas honoribus, pietatem, integritatem, sinceritatem, prudentiam, grauitatē, eruditionem: magnificentiam vero ac benignitatem eo magis nunc colas quo celsiore fortuna emi-

nes: quæ omnia in te ſunt nō vulgaria, ſed religioſo digna principe: mihi ſanè cognita partim ex vno colloquio, partim ex eruditiſsimis ſimul ac humaniſsimis tuis epiſtolis, cæteras dotes norunt ac venerantur familiares T.A. & inter hos inſigni literatura præditi D. Matthias Vlianus A.T. cācellarius & Chriſtophorus Stilzius, quiq; tuæ valetudinis tuendæ curā cōmiſſam habet Ioānes Huberus. Hæc igitur tot ornamēta diuinitus in vnū heroem cōgeſta merito adhibēda erāt māgonizādæ (vt ita dicā) editioni nouę, etiā ſi nō eſſem A.T. deuinctiſsimus: nūc nō poterā effugere notā ingratitudinis, niſi vtcūque teſtatā relinquerē tuā vltroneā erga me beneficentiam, dedicato hoc partu mediocris noſtri ingenij. Et alioqui me mirificè delectat hæc animi tui erga doctos viros propēſio, quāuis in eū chorū me nō ingerā: nō poteſt tamē iſta A.T. de me opinio nō addere mihi magnū calcar ad alacrius decurrēdum in hoc ſtadio, vt ei ſaltē aliqua ex parte reſpondeā. Quapropter cū ea quæ quotidiano ſplēdori & benignitati ſuperſunt, libenter impendas tuæ ditioni ornandę non vnis magnificis ędificiis, eáq; ipſa exornes vna atq; altera bibliotheca locupletiſſima, qui præcipuus hominū religioni deditorum theſaurus eſt, dignare oro etiā has noſtras vigilias aliquo inter cæteros bonos autores, quorum lectione præſertim theologorū & hiſtoricorum oblectaris, loco ponere, & mihi quem ſemel in tuorum numerum recepiſti, fauere perge domine reuerendiſſ. Opto vt te diu nobis & reip. incolumē ſeruet ſeruator ille Opt. Max. Baſileæ ſub Cal. Ian. anni à natiuitate Ieſu Chriſti M.D.XLIX.

AVTOR.

AVTORVM, QVI HIS IN LIBRIS *à Dionysio citantur, nomenclatura.*

GRAECI.

Aristoteles. Anaxilaus
Antigonus. Antiochus Syracusanus.
Aeschylus. Ariethus.
Agathyllus. Arctinus.
Callistratus. Cephalon Gergitius.
Callias qui res Agathoclis scripsit.
Damastes Sigæus. Demagoras.
Dionysius Chalcidensis. Eratosthenes.
Hegesippus. Hieronymus Cardianus.
Homerus. Herodotus.
Hellanicus Lesbius. Myrsilus Lesbius.
Meucerates Xanthius.
Polybius Megalopolitanus.
Pherecydes. Philiscus Syracusanus.
Phanodemus. Silenus.
Sophocles. Satyrus.
Theopompus. Thucydides.
Timæus Siculus. Xanthus Lydius.
Xenagoras. Zenodotus Trœzenius.

ROMANI.

Q. Fabius Pictor. L. Cincius.
M. Portius Cato. Valerius Antias.
Licinius Macer. Q. Aelius Tubero.
Cn. Gellius. L. Calpurnius Piso.
C. Sempronius. M. Terentius Varro.
Q. Ennius. Tabulæ pontificum.
C. Aquilius.

DION

DIONYSII ALEXANDRI F.

HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER I.

SIGISMVNDO GElenio interprete.

*

ETSI non libet hac præfatione rationem scribendi reddere: necesse tamen habeo primùm de meipso dicere, non propriis laudibus immoraturus, quas scio molestas videri audientibus: nec quòd velim calumniari scriptores alios, sicut Anaxilaus & Theopompus fecerunt in historiarum suarum procemiis: sed indicaturus quid me ad hæc tractanda permouerit, & qua occasione assecutus sim cognitionem eorum quæ decreui hoc scripto prodere. Equidem habeo persuasum, eos quibus propositum est ingenij sui monumenta post obitum superfutura posteritati relinquere, præsertim historias in quibus veritatem ac prudentiæ sapientiæque principia recondita omnes credimus; debere primò argumentum eligere pulchrum ac magnificum, quódque eximiam aliquam vtilitatem polliceatur lectoribus: deinde curare vt instructus sit ad id tractandum quàm diligentissimè. Qui enim de obscuris rebus, aut malis

exemp

AVTORVM, QVI HIS IN LIBRIS *à Dionysio citantur, nomenclatura.*

GRAECI.

Ariſtoteles. Anaxilaus
Antigonus. Antiochus Syracuſanus.
Aeſchylus. Ariethus.
Agathyllus. Arctinus.
Calliſtratus. Cephalon Gergitius.
Callias qui res Agathoclis ſcripſit.
Damaſtes Sigæus. Demagoras.
Dionyſius Chalcidenſis. Eratoſthenes.
Hegeſippus. Hieronymus Cardianus.
Homerus. Herodotus.
Hellanicus Lesbius. Myrſilus Lesbius.
Meucerates Xanthius.
Polybius Megalopolitanus.
Pherecydes. Philiſcus Syracuſanus.
Phanodemus. Silenus.
Sophocles. Satyrus.
Theopompus. Thucydides.
Timæus Siculus. Xanthus Lydius.
Xenagoras. Zenodotus Trœzenius.

ROMANI.

Q. Fabius Pictor. L. Cincius.
M. Portius Cato. Valerius Antias.
Licinius Macer. Q. Aelius Tubero.
Cn. Gellius. L. Calpurnius Piſo.
C. Sempronius. M. Terentius Varro.
Q. Ennius. Tabulæ pontificum.
C. Aquilius.

DIONYSII ALEXANDRI F.

HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER I.

SIGISMVNDO GElenio interprete.

*

ETSI non libet hac præfatione rationem scribendi reddere: necesse tamen habeo primùm de meipso dicere, non propriis laudibus immoraturus, quas scio molestas videri audientibus: nec quòd velim calumniari scriptores alios, sicut Anaxilaus & Theopompus fecerunt in historiarum suarum proœmiis: sed indicaturus quid me ad hæc tractanda permouerit, & qua occasione assecutus sim cognitionem eorum quæ decreui hoc scripto prodere. Equidem habeo persuasum, eos quibus propositum est ingenij sui monumenta post obitum superfutura posteritati relinquere, præsertim historias in quibus veritatem ac prudentiæ sapientiæque principia recondita omnes credimus; debere primò argumentum eligere pulchrum ac magnificum, quódque eximiam aliquam vtilitatem polliceatur lectoribus: deinde curare vt instructus sit ad id tractandum quàm diligentissimè. Qui enim de obscuris rebus, aut mali

exemp

exempli, at cognitu indignis texunt historiam, siue innotescendi cupidine & qualiscunque nominis, siue ostentandæ eloquentiæ gratia, nec posteris noscuntur feliciter, nec laudem assequuntur eloquentiæ, dum quisque qualia videt scripta eorum, vitam quoque talẽ fuisse existimat. Merito enim omnes putant orationẽ suam cuiusque animi esse imaginem. At illi qui eximia quidem argumenta sibi seligunt, sed negligenter ea tractant quibusuis rumoribus creduli, nullam inde laudem referunt. Indignum enim fuerit de claris ciuitatibus & viris ampla potentia præditis temere & ex tẽpore commentarios scribere. Hæc ego ratus maximè cõsideranda scriptoribus, quippe qui hac cura non tangar leuiter, nec præterire silentio volui, nec alio loco aptius quadrare duxi quàm proœmio. Cæterum argumentum me delegisse elegans & magnificum multísque vtile, facilè opinor persuadebitur, duntaxat his qui non omnino imperiti sunt vulgaris istius historiæ. Si quis enim mentem adhibeat ad prisca tam ciuitatum quàm gentium imperia maiorum monumentis prodita, ac singillatim quódque consideret, inter se ve collata diligenter examinet quænam earum sibi dominium amplissimum pararit, aut res gesserit bello pacéve clarissimas, uidebit Romanum imperium longo interuallo post se reliquisse cæteras quarum hactenus extat memoria, non solùm si spectes amplitudinem dominij, pulchritudinémque rerum gestarum, quas nemo hactenus pro dignitate prodidit, verumetiam quod ad diuturnitatem eius attinet extensam vsque ad nostrum hoc seculum.

DE

De priscis imperiis.

NAM antiquum illud Assyriorum imperium retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicã quandam Asiæ partem obtinuit. Hoc in Medos translatum, & auctum etiam opibus, non longo durauit tempore, in quartam ætatem desinens. Persæ porrò Medis deuictis Asia quidem penè tota tandem potiti sunt: cæterùm Europæas gentes bello tentare ausi non multum profecerunt, nec vltra ducentos annos permanserunt in rerum fastigio. At Macedonum potentia post oppressas opes Persicas imperij quidem amplitudine superauit omnes quotquot antè fuerant. tempore verò nec ipsa longo floruit, sed mox ab Alexandri obitu cœpit fieri deterior. distracta enim in multos principes statim ab eius successoribus, & post illos ad alteram tertiam've ætatem progressa, per se ipsa facta est debilis, ac postremo Romanis armis sublata est è medio, nec ipsa tamen totam terram ac mare coëgit imperata facere. nam nec Africam latè patentem subegit, nisi qua Aegypto est contigua: nec Europam totam perdomuit: sed ad septentriones in ea non processit vltra terram Thraciam, ad occidentem finita est mari Adriatico. Atque hæc sunt celebratissima ad nostram vsque ætatem imperia, & hæc earum diuturnitas atque potentia. nam Græcorum imperia his nequaquam conferenda sunt, nec ditionis magnitudine, nec diuturnitate temporis. Athenienses enim maritimum tantum tractum tenuerunt annis duodeseptuaginta, ac ne hunc quidem totum, sed intra Euxinum pontum & Pamphylium pelagus, idq́ cum maxime pollerent rebus naualibus. Lacedæmonij


verò Peloponnesum ac reliquam Graciā tenentes vsq; Macedoniam extenderunt imperium: in quo vix triginta annis exactis, à Thebanis victi eo priuati sunt. At Romanorum ciuitas imperat per totam terram, duntaxat qua accessibilis est & habitatur ab hominibus: toto etiam mari dominatur; non solùm intra columnas Herculis, verùm & Oceano quacúnque est nauigabilis: primáque & sola in omni hominum memoria ortū & occasum terminos imperij sui posuit. tempus quoque eius potentia non breue, sed diuturnius quàm vlli vel regno vel reipublica. Statim enim ex quo primum est condita propinquas gentes multas & bellicosas sibi adiunxit, atque ita procedebat subiugans aduersarios. Quod tempus iam annorum est septingentorum quadraginta quinque, vsque ad Claudium Neronem iterum, & Calpurnium Pisonem, COSS qui magistratum hunc inierunt olympiade CXCIII, ex quo autem totius Italiæ facta domina ausa est orbis imperiū sibi sumere, exturbatis è mari Carthaginiensibus, quorum nauales opes fuerant maximæ, subiugatáque Macedonia quæ ad id temporis terrestribus copiis plurimum pollere visa est, nulla amplius non barbara gente non Græca contendente de principatu, septimam iam ætatem me hæc prodente dominium omnibus in terris constanter obtinet: nec est vlla gens (vt ita loquar) quæ non agnoscat vniuersorum dominam, aut detrectet eius imperium. Sed enim quòd neque friuolum argumentum delegi, vt dictū est, neque viles & obscuras res tractandas suscepi, verùm de ciuitate scribo illustrissima, rebúsque gestis quibus splendidiores nemo posset ostendere, opinor me satis approbasse omnibus. quòd vero non incogitāter nec improuidè ad priscas res eius narrandas

aduert

aduerterim animum, sed bonis ad id adductus sim rationibus, libet paucis præfari, & occurrere hominum morosiorum criminationibus: qui reprehendent me, quòd ciuitatis nostro æuo celeberrimæ obscura admodum & humilia initia scribenda susceperim, indigna sanè quæ mandentur historiæ: quando ante pauca secula vrbs hæc illustre nomen & gloriam consecuta sit, post subacta demum regna Macedonica & res contra Pœnos gestas feliciter: cúmque mihi integrum esset celebre aliquod argumentum in manus sumere, in antiquitates quasdam non admodum illustres procliuior fuerim. adhuc enim ignota est Græcis penè omnibus vetus illa Romanorum historia: & opiniones minimè veræ, vt ex temerariis rumoribus natæ, eorum plerosque decipiunt: errones quosdam sine lare barbaros, ac ne liberos quidem, eius vrbis conditores fuisse. hos procedente tempore non pietate & iustitia cæterísque virtutibus prouectos ad tantum imperium: sed iniusto quodam fortunæ fauore effundentis in immeritos sua munera. nec desunt homines parum candidi palam incusare fortunam soliti, quod in barbarorum deterrimos bona Græcorum transtulerit. Et quid hic alios memorē? quando etiam scriptores nonnulli in gratiam barbarorum regum, ausi sunt hæc historiis prodere, quibus studium fuit osores imperij demereri adulatoriis obsequiis, nulla æquitatis & veritatis ratione habita. Has certè falsas sicut dixi opiniones animis ciuium meorum vt eximam, pro eísque veras reponam, de conditoribus vrbis quinam fuerunt, & quo singuli tempore conuenerunt, & quibus casibus acti antiquas patrias reliquerunt, his narrabo commentariis: in quibus polliceor me declaraturum Græcam eius gentis originem de-

ductam ex non pudendis nec aspernandis sui generis autoribus. Post hæc narrabo res eius mox ab vrbe condita, quibúsque studiis partum sit tantum imperium, quantum potero. nihil omissurus memorabile, vt nostri homines tandem veritate cognita, dignam tali ciuitate existimationem concipiant, ni sint in eam iniquo penitus animo: nec molestè ferant se subditos, quandoquidem vniuersali ac sempiterna lege naturæ est receptum inferiores parere præstantioribus: desinántque incusare fortunam, quasi indignè ciuitati huic tantum concesserit imperium, edocti ex nostra historia, quàm innumeras virorum virtute, tulit mox ex quo est condita: quibus nec pietate nec iustitia, nec perpetua per omnem vitam temperantia, ac ne bellica quidem fortitudine præstantiores vlla vnquam ciuitas tulit, non Græca, non barbara, absit modo verbis inuidia. solet enim hæc comitari pollicitationes rerum mirandarum & fidem penè superantium. qui simul omnes post auctam à se in tantam amplitudinem Remp. ignorantur à Græcis hominibus, eo quòd nullum sortiti sint se dignum historicum. nullum enim accuratum scriptum apud Græcos hactenus extat in hoc genere, exceptis summariis compendiis per quàm breuibus. Et primus (quod equidem sciam) scriptorum Hieronymus Cardianus antiquitates Romanas cursim attigit in opere de successione Heroicorum principum: dein Timæus Siculus res priscas complexus vniuersali historia, Pyrrhi Epirotæ bellis priuatim dicato volumine: cúmque his Antigonus, Polybius, Silenus, & innumeri alij res easdem non eodem modo aggressi, quorum vnusquisque parum aliquid, ac ne id quidem debita cura & diligentia, sed vt ex fortuitis rumoribus collegerat, scrip

scripto prodidit. Nec absimiles historias ediderunt quotquot Romani homines urbis suæ res antiquas Græco sermone scripserunt, quorum vetustißimi, Q. Fabius, L. Cincius, ambo æquales bellis punicis. horum vterque ea quibus ipse interfuit, vt probè sibi cognita diligenter mandauit literis: quæ verò olim post vrbem conditam deinceps secuta sunt, contentus fuit summatim percurrere. Has sanè ob causas visum est mihi non præterire silentio pulcherrimam historiam intactam superioribus, facturo non simplex operæprecium: quando & viris fortibus fato suo defunctis sempiterna continget gloria, lausque apud posteros, quod proximè ad immortalitatem accedit, superstite rerum gestarum memoria: & diuinorum illorum hominum præsens ac futura progenies præponet generosam & honoratam vitam iucundæ & facili, dum reputat honestißimam occasionem sibi oblatam à maioribus, erectóque animo dat operam ne vllo pacto ab illis degeneret. Ipse quoque qui non adulationis causa ad hoc opus versus sum, sed veritatis, & æquitatis studio, quod præcipuum debet esse historiæ propositum: primum declarabo meam mentem quàm sim propensus ad gratificandum bonis omnibus & magnarum rerum cognoscendarum cupidis: deinde pro mea virili gratias ciuitati referam, memor educationis liberalis cæterorúmque beneficiorum quibus in ea degenti mihi frui contigit. Nunc reddita ratione cur hoc opus aggrediar, dicendum quo fretus id faciam. Fortasse enim qui prius legerunt Hieronymum, aut Timæum, aut Polybium, aut vnum aliquem ex paulo supra memoratis scriptoribus, multa ab illis prætermissa inuenientes in meis scriptis, suspicabuntur me fingere, & cupient



cognoscere unde rerum earum cognitionem nactus sim. Ne igitur talem opinionem de me quisquam habeat, satius est indicare quibus commentarijs sim adiutus. Ego appulsus in Italiam post finem bellis ciuilibus impositum ab Augusto Caesare circa mediam olympiadem centesimam octuagesimam septimam, ex illo tempore in hanc diem exactis Romae annis vigintiduobus, assecutus Romanum sermonem eiúsque regionis literas, toto eo tempore paraui mihi quae putarem ad hoc opus accommoda: partim ex doctissimorum hominum colloquijs, partim ex laudatorum ab his virorum Commentarijs quos superiora tulerunt secula, quod genus sunt, Portius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antiâs, Licinius Macer, Aeliique & Gellij ac Calpurnij, caeteríque scriptores non ignobiles, quorum annales Graecanicis chronographiis persimiles materiam mihi praebuerunt vberrimam. Et de meipso quidem hactenus: reliquum est vt & de argumento praemoneam, quae tempora & quas res narraturus sim, & quae forma sit futura huius operis. Ab antiquissimis fabulis ordiar hanc historiam, quas ante me nemo attigit, propter difficultatem eius negotij: deducam autem narrationem vsque ad initia primi belli punici, quod incidit in annum tertium octuagesimae octauae supra centesimam Olympiadis. dicam continua bella quibus se pop. Rom. per illa tempora exercuit, & interim exortas aliquoties seditiones domesticas, & quonam pacto hae sint composita. Reipub. quoque species omnes edisseram quibus vsa est ea ciuitas, primo sub regibus, deinde post hos exactos quis rerum status fuerit: mores etiam eius optimos & leges praecipuas narrabo, & in summa totam viuendi rationem veterem. Formam autem

tem addam operi, nec talem qualis placuit bellorum scriptoribus, nec qualem secuti sunt qui descripserunt tantùm Respublicas, aut qui Atthidas inscripserunt sua opera. simplices enim hæ sunt, & cito auditorem satiant: sed erit quiddam ex rebus gestis earúmque cõtemplatione mixtum: vt satisfiat & ciuiles res tractantibus, & oblectantibus se speculatione philosophica, & his quibus vacare libet cognitioni historicæ. Atque hoc erit argumentum, & talis species operis: autor verò eius sum Dionysius Alexandri Halicarnasseus, & hinc iam ordiar.

Initium huius historiæ.

VRBEM terræ marísque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memória tenuisse dicuntur barbari Siculi, gens indigena, superiore verò tempore aliósne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo potest certò dicere. Aliquanto pòst pulsis longo bello antiquis dominis, Aborigines eam occupant, qui primùm in montibus passim sine mœnibus vicatim habitauerunt. Sed postquam Pelasgi aliis Græcis mixti finitimos bello infestare cœperunt, in relictis à Sicula gente sedibus oppida aliquot muniuerunt: subegerúntque sibi totum id terrarum spatium, quod amnes duo Liris & Tiberis terminant: qui orti ex imis Apenninis montibus Italiam quàm longa est secantibus mediam, erumpũt in Tyrrhenum pelagus, DCCC. fermè stadiorum inter vtriusque ostia interstitio horum Tiberis versus septentriones prope Ostiam vrbem se exonerat: à meridiano tractu Liris Minturnam alluit, ambas Romanorũ colonias. eas sede deinde perpetuo tenuit idẽ genus hominũ mutatũ

tantùm appellationibus, seruantes vetus Aboriginũ nomen vsque Troiani belli tempora, quando à Latino rege denominati sunt. post id bellum sextadecima ætate cum Romulus sibi cognominem vrbem condidisset, assumpto inde quod hodiéque retinent nomine, gens ex minima temporis processu euasit in maximam, & in illustrissimam ex obscurissima, dum larium egenos ad se comiter recipit. & ciuitatem impartit deuictis bello viris fortibus, & libertis suis dat ius ciuium, nullius conditionis homines aspernata, quorum modo opera vti possit Respublica: nulla re tamen magis adiuta quàm institutis pulcherrimis, dum in varijs temporum difficultatibus vndecunque excerpit aliquid vtile. Cæterùm Aborigines autores Romani generis, Italiæ indigenas alij, suíque corporis gentem asserunt. Italiam voco totum hoc littus inter Ionium sinum & Tyrrhenicum, tertiúmque à continente Alpinum terminum, nomen quoque eis inde aiunt impositum, quòd non aliunde trahant originem, quasi nos Græci genarchas dicamus siue primogenios. Alij malunt errones quosdam incertis vagantes sedibus, & è multis regionibus conuenas, forte fortuna in eis locis iunxisse inter se copias: occupatísque locis munitis vitam transegisse latrocinio ac re pecuaria. hi torquent vocabulum ad conditionem eorum hominum, quasi ob errorem vocantes Aberrigines. quod si verum est ne sic quidem à re abludet prisca gentis appellatio, vt quæ miscellaneo generi hominum, nullámque certam habenti patriam conueniat. Alij rursum Ligurum colonos eos fuisse fabulantur Vmbris confinium. Ligures enim & Italiæ quasdam partes habitant, & Galliæ, incertum ab vtra profecti patria. nam hactenus incomperta origo

eius

eius gentis est. Sed scriptorum Romanorum doctissimi, & in his Porcius Cato, qui diligentissimè scripsit de conditoribus Italicarum urbium, Caiúsque Sempronius & aliquot alij, Græcos eos esse affirmant, profectos ex Achaia multis ante bellum Troianum ætatibus: nec tamen disertè tradunt ex qua Græca natione quáve urbe migrauerint. ac ne tempus quidem aut ducem coloniæ, aut quo casu antiquam patriam reliquerint, tantum fabulam secuti Græcanicam, nullius Græci autoris eam confirmant testimonio. Itaque rei veritas quomodo se habeat incertum est. quod si istorum sermo sanus est, non possunt esse coloni alterius generis quàm Arcadici. Nam hi primi Græcorum habitauerunt Italiam trans sinum Ionium, deducti ab Oenotro Lycaonis filio. is quintus fuit ab Aezea & Phoroneo primis in Peloponneso principibus. nam è Phoroneo genita est Niobe, ex qua & Ioue fertur natus Pelasgus. Aezeæ verò Lycaon fuit filius, & huius filia Deianira. ex Deianira & Pelasgo prognatus est alter Lycaon, cuius Oenotrus fuit filius, XVI ætatibus prius quàm apud Troiam bellatum est. Et tempus quidem hoc est missæ à Græcis in Italiam coloniæ: migrauit autem Oenotrus è Græcia non contentus portione sui patrimonij. Cum enim essent Lycaoni XXII. filij, opus erat in totidem sortes diuidi Arcadiam. hanc ob causam Oenotrus relicta Peloponneso, classíque parata traiecit mare Ionium, vnáque Peucetius vnus è fratrum numero, comitante eos bona parte popularium. aiunt enim hanc gentem olim fuisse frequentissimam. adiunxerunt se his & alij Græci, quibus non sufficiebat ager proprius. Itaque Peucetius quò primùm appulit in Italiam, super Iapygiæ promontorium suis expositis

 sedem

sedem sibi optauit, & ab eo horum locorum incolæ appellati sunt Peucetij. Oenotrus verò cum maiore parte exercitus in alium sinum peruenit, qui alluit occidentale latus Italiæ. is tum propter accolentes Ausonas dicebatur Ausonius: deinde Tyrrhenis potitis maris imperio, mutauit nomen quod nunc obtinet. Hic nactus multos agros pascuis, multos arationi aptißimos, sed incultos plerosque, ac ne eos quidem qui colerentur frequentatos hominibus, cum repurgasset eos ex parte quadam à barbaris, condidit oppida parua contigua montibus, vt tum erat mos veterum. Id totum quantum agri obtinuit, Oenotria vocata est, Oenotríque ditionis eius homines, hoc iam tertio nomine. Aezea enim regnante Aezei dicti sunt, & sub successore eius Lycaone rursum ab illo denominati Lycaones. transportati deinde per Oenotrum in Italiam, Oenotri aliquandiu vocati sunt: ídque mihi testatur Sophocles tragicus in Triptolemo. Inducitur ibi Ceres docens Triptolemum quantum terrarum necesse habeat peragrare seminandis à se concessis frugibus. nam post mentionem factam orientalis Italiæ, quæ à Iapygiæ promontorio ad Siculum fretum tenditur, aduersæque huic Siciliæ, sermonem deflectit ad occidentalem Italiam, & potißimas eius oræ gentes enumerans ab Oenotris incipit: vnde satis erit excerpsisse hos iambicos. A tergo ad dextrum est sita terra Oenotria, Tyrrhenicúsque sinus ac Liguria. Antiochus autem Syracusanus antiquus scriptor habitatores Italiæ priscos percensens, & quæ loca singulis occupata sint, ait Oenotros primos omnium quorum exstat memoria terram eam habitasse. verba ipsius sunt hæc: Antiochus Xenophanis hæc disertè scripsit de Italia bona fide secutus sermones veterum.

Terram

Terram hanc quæ nunc Italia dicitur, olim tenuerunt Oenotri. Deinde commemoratis eorum moribus ac forma Reip. & quòd regnum tandem Italo delatum sit, à quo mutato nomine dicti sint Itali: Morgetémque huic successisse, vnde Morgetum eis appellatio: & quòd Siculus à Morgete exceptus hospitio proprium principatum in ea gente constituerit: hac verba subiicit: Sic facti sunt Siculi & Morgetes & Itali, cum essent Oenotri. Nunc genus quoque Oenotrorum declarabimus alterius antiqui scriptoris testimonio: is est Pherecydes Atheniensis nulli secundus in texendis genealogiis, qui de regibus Arcadiæ sic loquitur: Pelasgo ex Deianira Lycaon natus est. huic nupsit Cyllene Nais nympha, à qua mons Cyllene dicitur. Deinde recensitis horum filiis, locisque quos eorum quisque habitandos acceperit, Oenotri & Peucetij sic meminit: Et Oenotrus à quo Oenotri nominantur in sinu Ionio. Atque hæc sunt ab antiquis poetis ac fabularum scriptoribus de sedibus & genere Oenotrorum prodita: quos ego secutus, si modo Cato & Sempronius multíque alij verè opinati sunt à Græcis oriundam nationem Aborigi-num, credo eam Oenotrorum fuisse progeniem. Pelasgos enim & Cretenses, & id genus alios quotquot in Italiam deducti sunt, inuenio posterioribus eò venisse temporibus: antiquiorem autem hac migrationem à Græcia in partes Europæ occiduas reperire nequeo. Cæterùm Oenotros præter alios agros vel desertos vel male cultos à se occupatos, reor etiam Vmbris partem aliquam ademisse: dictos verò Græcis Aberiginas à montanis sedibus: Arcadicum enim est delectari habitatione montiũ: qua ratione Atheniensium quidam Hyperacrij vocati sunt & Paralij. Quod si qui de rebus tam de

priscis

priscis non facilè assentiuntur absque attentiore examine, ne sint faciliores ad credendum aut Ligures eos fuisse, aut Vmbros, aut alios quoscunque barbaros: sed suspendentes sententiam donec cognoscant reliqua, tum demum decernant quid sit verisimillimum. Oppida autem in quibus primum habitarunt Aborigines, pauca ætate mea supererant, plurima bellis aliísque pestiferis calamitatibus oppressa desolata sunt. erant autem in Reatino agro non longe ab Apenninis montibus, vt autor est Terentius Varro in Antiquitatibus: aberántque à Roma, quæ minimum, iter vnius diei. eum ego secutus dicam harum præcipuas. Palatium vigintiquinque stadijs dissitum à Reate, vrbe habitata Romanis nunc quoque prope viam Quintiam. ab eadem vrbe LX. fermè stadiis distat Trebula, sita in modico tumulo. ab ea tantundem abest Vesuola, propinqua Cerauniis montibus inde quadragesimo stadio est non ignobilis vrbs Suna, in eáque vetustum Martis tēplum. à Suna XXX. fermè stadiis abest Mesula, cuius ruinæ monstrantur & mœnium vestigia. inde stadio quadragesimo est Oruinium vrbs si qua alia in eo tractu ampla ac nobilis. apparent enim fundamēta eius mœnium, & sepulcra quædam antiqui operis, & septa sepulcretorum extensorum per celsos aggeres. in arce eius vetus Mineruæ templum est. Octuagesimo autem à Reate stadio euntibus via Salaria præter montem Coritum, est Cursula nuper diruta. monstratur & insula quædam Issa nomine, cincta stagnis vndique: hanc absque alio munimento habitasse feruntur, freti palustribus aquis non minus quàm mœnibus. Issæ proximum est Maruuium, situm in eiusdem stagni recessu intimo, distans à Septem aquis (vt vocant) quadragesimo stadio

ſtadio. Rurſum à Reate verſus Latinam viam euntibus occurrit ad trigeſimum ſtadium Vatia, ad quadrageſimum Tiora quæ & Matiera. in hac aiunt fuiſſe oraculum Martis antiquiſſimum, non abſimile illi Dodonæo celebrato in fabulis, niſi quòd illic in ſacra quercu ſedentem columbam dicunt vaticinari ſolitam: apud Aborigines auis diuinitus miſſa, quam ipſi picum, Græci δρυοκολάπτην nominant, idem faciebat in columna lignea. ab hoc oppido XXIIII. ſtadiis diſtabat Liſta metropolis Aboriginum, quam antiquis temporibus Sabini noctu ex Amiterna vrbe profecti ex improuiſo ceperunt. qui verò poſt eam cladem fuerunt ſuperſtites, recepti à Reatinis, ſæpe fruſtra conati recuperare patriam, agrum eius tanquam adhuc ſuus eſſet diis ſacrum fecerunt, diris deuouentes qui in poſterum fructus ex eo caperent. Septuageſimo à Reate ſtadio abeſt clara vrbs Cutilia monti appoſita, & ab ea non longe lacus quatuor iugerum amplitudine, natiuis plenus fluentis ſemper demanantibus, immenſæ profunditatis vt perhibent. huic numen quoddam præſens, ipſúmque Victoriæ ſacrum indigenæ autumant: & circunquaque coronis cincto neminem propinquare ſinunt, inacceſſóſque ſeruant eius latices, niſi cum ſtata ſacra poſt biennium recurrentia ſuo ritu faciunt, iis quibus fas eſt in paruam eius inſulam conſcendentibus. ea diametrum habet fermè quinquaginta pedum, nec plus quàm pedem ex aquis eminet, inſtabilis & huc illuc plerunque fluitans, aliàs aliò ventis eam impellentibus. in ea gramen quoddam prouenit carici ſimile, & dumi quidam non magni: res ſupra captum eorum qui naturæ contemplationum imperiti ſunt, & nullo miraculo inferior [illegible]

Secundæ ſedes Aboriginum.

HAS primas ſedes, pulſis inde Vmbris, habuiſſe dicuntur Aborigines. inde excurrẽdo tum alios barbaros, tũ præcipuè cõfines Siculos infeſtabant, bellum cũ eis gerentes de agrorum poſſeſsionibus Primùm finibus egreſſa eſt ſacra quadam iuuentus exigua numero, ad quærendum victum à ſuis emiſſa parentibus, more antiquo, quem receptum ſcimus à multis tam Græcis quàm barbaris. quoties enim vulgi multitudo in aliqua ciuitate nimium excreſceret, nec alimenta domi omnibus ſufficerent, aut aëris intemperie læſa terra fruges proferret pauciores ſolito, aut alia talis ciuitatem occuparet calamitas, ſiue bonum ſiue malum cogeret minui multitudinem, deo cuipiam ſacrantes quãtum hominum annus páreret, emittebant armis inſtructos è ſuis finibus: ſi pro iuuentutis felici prouentu aut victoria gratias diis agerent, peractis ſolennibus ſacris, fauſta ominatione proſequentes abituros in coloniam: ſin irata numina placarent, finémque præſentium malorum poſcerent, eodem modo ſacris operati, mœſti veniámque petentes à ſuis quos ablegari neceſsitas cogeret. illi verò poſthac cărituri patria, niſi aliam pararent quæ ſe reciperet, quicquid terrarum armis acquiſiſſent aut gratia, habebant vice patriæ: creditúmque eſt eis adeſſe deum cui dicabãtur, & ſupra humanam ſpem proſperare huiuſmodi colonias. Ex eo more tum quoq; Aboriginum quidam regione ſua viris florẽte (natorum enim quenquam necare nolebant, rati facinus id cum primis execrabile) numini cuidam ſacratis vnius anni partubus, hos quam primum virilem ætatem attigiſſent, colonos miſerunt aliò, qui

Siculorum

Siculorum res agere ac ferre non destiterunt, donec illi malis fessi agros suos desererent. ut verò hi semel partem aliquam agrorum ex hostico adepti sunt tutius iam & reliqui Aborigines agrorum inopes aggrediebantur suos quisque conterminos: & præter alias ciuitates condiderunt quæ exstant nunc quoque, Antennates, Tellenenses, Ficulenses prope montes Corniculos, ac Tiburtinos apud quos hodiéque Siculetum pars vrbis dicitur: nec vllam aliam finitimam gentem magis infestabant quàm Siculos. his controuersiis tandem gentes integræ ad arma sunt excitæ, bellúmque ortum quale ad eam diem aliud nullum in terra Italia, duraturum longo tempore. Interim Pelasgorum quidam Thessaliam patriam linquere coacti, recepti sunt ab Aboriginibus, communibúsque opibus bellum gerebant contra Siculos. hãc manum Aborigines in sedium suarum partem admiserunt spe fortaßis auxilij; ego tamen id propter cognationem potius factum crediderim. quando & Pelasgorum fuit Græca natio, oriunda ex Peloponneso, agitata variis casibus, sed erroribus maximè. nusquam valens certum domicilium figere. Nam primum habitarunt apud Argos vt nunc vocant Achaicum, eius loci iuxta multorum opinionem indigenæ, à rege Pelasgo sortiti antiquum hoc vocabulum. hunc ferunt Iouis è Niobe Phoroneo nata fuisse filium, quam primam mortalium fœminarum complexus est Iupiter, vt habetur in fabulis. post hunc sexta ætate relinquentes Peloponnesum migrauerunt in Hæmoniam, nunc mutato nomine dictam Thessaliam. duces autem huius coloniæ fuerunt, Achæus, Phthius, & Pelasgus, Larissæ & Neptuni filij. Vt verò in Hæmoniam ventum est, pulsis indè cultoribus barbaris regionem in tres partes diuidunt, appellatas

pellatas ex suis ducibus, Phthiotidem, Achaiam, Pelasgiotidem. Ibi ætates quinque cum exegissent, fortunis amplis aucti, fruentésque Thessaliæ campis vberrimis, circiter sextam ætatem expulerunt eos inde Curetes & Leleges, qui nunc Aetoli & Locri vocantur, cúmque his alij multi Parnassi accolæ, ductu Deucalionis prognati è Prometheo & Clymene Oceani filia. At profugorum alij Cretam petierunt, alij Cycladum insularum occuparunt aliquot. pars Olympo atque Ossæ contiguam regionem nomine Hestiotidem fecerunt sibi domicilium: pars in Bœotiam migrauit & Eubœam atque Phocidem: alij traiicientes in Asiam circa Hellespontum occuparunt multa loca maritima, vicinásque insulas cum aliàs aliquot, tum eam quæ nunc Lesbos vocatur, mixti Græcis qui iam antè ductu Macaris Criasij filij coloniam eò deduxerant. sed maxima eorum pars per loca mediterranea se contulit ad cognatos suos Dodonæos, quos vt sacros nemo fas putabat bello aggredi: ibíque manserunt sat longo tempore. deinde postquam senserunt à se grauari cæteros, quòd terra omnibus alendis non sufficeret, reliquerunt eam regionem, oraculo moniti nauigare in Italiam, quæ tunc dicebatur Saturnia, tum parata classe mare Ionium traiiciunt, cupientes oram Italiæ sibi proximam contingere: sed flante austro, & locorum ignari, prouecti longius tenuerunt vnum è Padi ostiis nomine Spineticum, ibíque naues reliquerunt & turbam laboribus ferendis imparem, non sine præsidio, vt refugium haberent si res sibi non succederent ex sententia. hi loco manentes castra cinxerunt mœnibus, importantes mari necessaria victui: & cum eis ex voto cederent omnia, condiderunt vrbem cognominem ostio fluminis: fue-

runtque

rūntque fortunati præ cunctis eum sinum accolentibus, diu potiti maris imperio, mittebántque Delphos deo decimas ex maritimis prouentibus, siqua alia ciuitas, magnificas. postea tamen magnis copiis vicinorum barbarorum aduentantibus deseruerunt vrbem, barbari verò tandem à Romanis deleti sunt. atque ita Spinæ relictorum Pelasgorum genus interiit. At illi qui mediterranea petierunt, superatis Italiæ montibus peruenerunt in Vmbriã finitimã Aboriginibus. habitabant tunc Vmbri & alios multos agros Italiæ, erátque ea gens cum primis antiqua & ampla. Igitur initio Pelasgi occuparunt agros in quibus primùm sedes fixerant, potiti quibusdam Vmbrorum oppidulis: sed cum contra eos conuenisset ingens exercitus, territi hostium multitudine contulerunt se in regionem Aboriginum. illi decreuerunt eos vt hostes bello persequi, ac mox è proximis locis confluxerunt, celeriter delendi eos animo. Pelasgi verò qui tum forte fortuna circa Cutiliam Aboriginum vrbem prope sacrum lacum diuerterant, postquam contemplati sunt iactatam in eo insulam, & ex captiuis quos in agris interceperant audiuerunt appellationem eius regionis hominum, crediderũt finem iam habere suum oraculum. nam apud Dodonam redditum eis responsum quod L. Mamius vir non obscurus ait se vidisse in templo Iouis antiquis literis insculptum cuidam sacrato tripodi, sic habebat: Pergite quærentes Siculorum Saturniam terram, atque Aboriginum Cotylam, vbi insula vehitur. quibus permixti decimas Phœbo mittite: & capita Ioui: & eius patri mittite virum. Aduentantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices: expositísque suis casibus, orant vt recipiantur

in amicitiam & partem sedium, nequaquam graues ipsis futuri: & interpretati oraculum, aiunt se ad ea loca delatos deorum monitu. His auditis assenserunt Aborigines, quòd fessis bello Siculo placeret Græca societas contra infensos sibi barbaros. itaque cum Pelasgis fœdus feriunt, & partem agrorum suorum eis assignant circa sacrum lacum, quorum pleraque erant palustria, dicta nunc iuxta proprietatem antiquæ linguæ Velia. solebant enim prisci illi Græci nominibus à vocali incipientibus præponere cu scriptū vno charactere: is erat similis Γ *duplici, ad rectam lineam duabus obliquis additis sic,* Fελένη, Fάναξ, Fοῖκος, Fανήρ, *& multa similia. horum deinde bona pars, cum accepti agri omnibus non sufficerent, Aboriginibus in eam expeditionem ascitis, bello Vmbros aggreditur, & vrbem eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incursu capiunt: qua mox pro arce belli contra hostem vsi sunt, quòd & munita esset, & agrum circunquaque haberet aptum pascuis. alia quoque loca multa in potestatem suam redegerunt, & Aboriginibus contra Siculos promptam ac fidelem præstiterunt operam, donec eos eiecerūt suis sedibus. in his multa oppida partim antè habitata ab hostibus, partim recens à se condita, tenuerunt indiuisa gentes sociæ: ex quibus sunt Cære dictum Agylla eo seculo, Pisa, Saturnia, Alsum, & quędã alia, quæ pòst à Tyrrhenis occupata sunt. Phaleriæ verò & Phascenium etiam nostro tempore à Romanis habitata paruas quasdam scintillas seruãt Pelasgici generis, cum ipsa quoque olim Siculorũ fuerint. in his multa antiqui moris Græcanici perdurant longissimo tempore, vt armorum ornatus, hastæ & argolici clypei: & quoties illaturi bellum, aut excepturi, vltra fines exercitum emitterent,*

feciales

feciales sacri viri absque armis praecedentes alios: sacrorum quoque apparatus & aedes deorum immortalium, expiationes & sacrificia, & multa alia similia. sed omnium clarißimum monumentū hos qui Siculos eiecerunt apud Argos olim habitasse templum est Phaliscum Iunonis argiuo illi simile, vbi & sacrorum ritus erāt iidem, & cultrices templi sacrificulae, & puella innupta quam vocant Canephoron, sacrificium auspicari solita, ad haec chori virginum patrios hymnos in laudem deae canentiū. Tenuerunt hi & Campanorum quos vocant camporum partem quandam non exiguam, aspectu amoenißimorum & aptißimorum pascuis, pulsis inde Auruncis gente barbara: vbi inter caeteras vrbes condidere Larissam Peloponnesiacae illius cognominem, quae quondam metropolis ipsorum fuerat. ex his quaedam steterunt vsque ad nostra tempora, mutatis saepe habitatoribus. Larissa verò iam dudum deserta est, nullo nunc manente pristinae habitationis vestigio: ac ne nomen quidem eius multis est cognitum: aberat autem non longe à foro Popilio. alia quoque multa loca tum maritima tum mediterranea tenuerunt capta de Siculis. At Siculi Pelasgis simul & Aboriginibus bello impares, liberis ac coniugibus cum auro & argento sublatis totam regionem suam eis cesserunt: versiq́ per montana ad meridiem, & pergrata tota inferiore Italia, cum vndique pellerentur, tandem paratis ad fretum ratibus, & obseruato secundo aestu traiecerunt in insulam proximam. Sicani tum eā tenebant genus Hispanicum, quod fugatum à Liguribus paulo ante ibi habitare coeperat: Sicaniámque de suo nomine vocauerant, quae prius Trinacria dicebatur à forma triangula: horum numerus non magnus erat pro amplitudine insulae,

multis agris incultis iacentibus. Huc igitur deuecti Siculi primùm partes ad occidentem versas coluere, deinde & pleraſque alias: mutatóque nomine insula vocari cœpit Sicilia. atque ita Siculum genus reliquit Italiam, vt Hellanicus Lesbius auctor eſt, ante bellum Troianum ætate tertia. Alcyones apud Argos ſacerdotij anno ſexto & vigeſimo. tradit enim duas profectiones in Siciliam ex Italia: priorem Elymorum quos ait ſedibus ſuis eiectos ab Oenotris: ſequentem verò anno poſt quinto Auſonum fugientium Iapygas. horum regem dicit Siculum, à quo nomen ſit inditum tam gēti quàm inſulæ. Philiſtus autem Syracuſanus ſcribit traiecisse illos anno octuageſimo ante bellum Troianū, gentem verò tranſuectam ex Italia nec Siculos, nec Auſones fuiſſe, nec Elymos, verùm Ligures duce Siculo. hunc Itali filium impoſuiſſe nomen ſuum ſubditis. Ligures è ſuis agris pulſos eſſe Pelaſgorū & Vmbrorum iniuriis. Antiochus Syracuſanus quando migratum ſit non indicat, tantùm dicit Siculos optaſſe ſibi principem deducendæ coloniæ, vi exactos ab Oenotrorum & Opicorum copiis. Thucydides eos qui migrarunt vocat Siculos: eos qui expulerunt, Opicos: ſed multis annis poſt res Iliacas. Hæc ſunt quæ præcipui ſcriptores tradunt de nouis habitatoribus profectis in Siciliam ex Italia. At Pelaſgi multos bonos agros bello ſibi parauerunt, vrbibus quoque potiti, inſuper alias ipſi ædificauerunt: & intra paucos annos opibus, viribus, fortunis aucti ſunt egregiè, quæ tamen felicitas eis diuturna non fuit: ſed cum maximè rebus omnibus florere viderentur, offenſo numine diris alij calamitatibus, alij barbarorum vicinorum armis deleti ſunt. maxima tamen eorum pars per Græcorū ac barbarorum terras denuo diſperſi ſunt, de quibus

bus longum esset accuratiùs scribere. pauci in Italia manserunt Aboriginum beneficio. Horum malorum prima vrbes inuasit sterilitas, quando fructus arborum decidebant priusquam maturiscerent, nec statis temporum vicibus ad frugem perue nirent segetes, nec pecoribus proueniret satis pabuli: fontes quoque aut contrahebant vitium, aut malignè aquam per æstatem præbebant, aut deficiebāt penitus. nec feliciores erant fœtura mulierum ac pecorum. nam aut abortiui fœtus eiiciebantur, aut in partu interibant, nonnunquam cum fœtarum & puerperarum pernicie. aut si euadebant difficultatem partuum, vitiosi & imperfecti nascebantur, aut alioquin inutiles. deinde matura quoque ætas laborauit morbis ac peste præter solitum. Consulentibus autem oraculum quo deo quóue læso paterentur talia, & quomodo quærendum his malis remedium: respondit Deus, eos voti compotes non reddidisse quæ vouerant, & multum debere insuper. Laborantes enim sterilitate Pelasgi omnium rerum Ioui, Apollini & Cabiris decimas vouerant, & eorum quæ ipsis nascerentur in posterum, potiúque voto frugum omnium & pecorum portionem sortiti obtulerant diis, quasi vouissent hæc sola. Tradit autem hæc Myrsilus Lesbius penè totidem verbis quibus ego nunc, nisi quòd non Pelasgos vocat qui hoc fecerunt, sed Tyrrhenos, ob causam quæ dicetur postea. post relatum domum oraculum non poterant quid sibi vellet coniicere. quibus hæsitantibus senior quidam id interpretatus est, errare eos qui putent deos immerito de ipsis conqueri. rerum enim omnium primitias ritè redditas. humanæ verò prolis sortem etiamnum deberi, rem diis longe carissimam: qua iustè persoluta satisfaciendum oraculo. Placebat quibusdam cōsilium, aliis tamen

dolus aliquis subesse videbatur: tandem censente quodam oportere scitari an Deus cuperet reddi sibi hominum decimas, mittunt ad eum denuo, ille iussit hoc facere. inde nata est seditio, cum non conueniret inter eos quomodo reddēdæ essent decimæ. ac primùm magistratus vrbium turbauit ea res, deinde reliqua plebs optimates suspectos habuit. itaq; sine omni ordine tumultuabātur, velut œstro ac furiis perciti: multique lares omnino deserti sunt, cum ablegata esset certa pars: quòd cognati eorum iniquum putarent distrahi à charissimis, & manere inter inimicissimos. atque hi primi relicta Italia magnam Græciæ barbararúmque regionum partem peruagati sunt. hos mox secuti sunt alij, idque quotannis perseuerauerunt facere. non enim destiterunt ciuitatum principes ex adulta iuuentute primitias deligere, tum vt diis quod iure debebatur redderent, tum quòd vererentur nequi ex eo numero clàm remanentes nouas seditiones cierent. multi etiam inimico animo sub honesto prætextu pellebantur ab aduersæ factionis hominibus: itaque multæ migrationes fiebant, & latè per terras dispersum est genus Pelasgicum. erant autem propter exactam inter bellicosas gentes vitam in re militari excellentissimi, nauticarum quoque rerum periti propter Tyrrhenorum commercium: id quod victum quæsituros satis acuebat ad fortitudinem, docens eos pericula contemnere: quamobrem quocunque delati facilè potiebantur victoria. hos cæteri homines de nomine regionis à qua olim profecti sunt, & in memoriam antiqui generis, eosdem Pelasgos vocabant & Tyrrhenos: quod eò dixi, nequis andiens à poëtis ac historicis Pelasgos etiam Tyrrhenos nominari, miretur quomodo iidē homines vtrunque nomen habeant. nam horum &

Thucyd

Thucydides meminit recensens vrbes in ora Thraciæ habitatas à bilinguibus, in quarū mentione de Pelasgico genere sic loquitur: Sunt ibi & Chalcidéses, sed plurimi Pelasgi ex illis Tyrrhenis qui olim & Lemnum & Athenas habitauerunt. Sophocles autem in Inacho dat choro anapæsticum carmen tale. Inache pater, fili fontium patris Oceani: quem colunt Argiua compita & agri Iunonij, & Tyrrheni Pelasgi. Erat Tyrrheniæ nomen illo tempore celebre per Græciam, & tota Italia quà occidentem spectat nullo gentium discrimine appellationem illam habebat: sicut nunc in Græcia fit, cum aliis locis, tum in Peloponneso. ab vna enim inhabitantium gentium Achaica, tota ea peninsula in qua sunt Arcanes, Iones, cum aliquot gentibus aliis, nominatur Achaia. Tempus autem quo res Pelasgorum cœperunt deficere, incidit in alteram ætatem ante bellum Troicum. durauerunt tamen penè vltra eius belli tempora, donec contractæ sunt in gentem minimam. nam præter Crotonem Vmbriæ ciuitatem memorabilem, & si quid aliud tenuerunt Aborigines, perierunt reliqua Pelasgorum oppida. Croton verò cum diu retinuisset formam veterem, non multo ante nostram ætatem & ciues mutauit cum nomine, Cortona vocata & facta Romanorum colonia. Derelictas autem à Pelasgis vrbes occupauerunt cum alij multi vt quique erant finitimi, tum maximè Tyrrheni plurimas ac optimas. hos quidam aiunt indigenas esse Italiæ, quidam aduenas, & qui negant eos externi generis, dicunt nominatos à domiciliis munitis, quæ primi in his regionibus struxerunt. Turres enim Tyrrheni, vt Græci tyrses, ædificia firma & modica nominant. Volunt igitur ex re nomen eos inuenisse, sicut Mosynæci

 in

in Asia. nam & illi habitant ligneas quasi turres compactas celsis trabibus: ipsi vocant Mosynas. at qui aliunde immigrasse eos fabulantur, Tyrrhenũ aiunt fuisse ducem coloniæ, ab eóque genti nomen impositum. Hunc Lydum genere antiquis admodum temporibus migrasse è regione tũ dicta Maonia, quartam Iouis progeniem. nam ex Ioue & terra genitum Masnem primum in illis locis regnasse. ex hoc & Calliroë Oceani filia prognatum Cotym. Cotyi nuptam filiam Tulli terrigenæ Haliem duos peperisse filios, Adiem & Atym: ex Aty & Callithea Chorai filia natos Lydum & Tyrrhenũ. Lydum domi manẽtem successisse in paternum imperium, ab eóque denominatam terram Lydiam: Tyrrhenum coloniæ deducendæ autorem occupasse bonam partem Italiæ, sociísque profectionis suum imposuisse vocabulum. Herodotus autem narrat ab Aty Masnæ filio Tyrrhenos oriundos, & Maonas non sponte migrasse in Italiam. ait enim Aty regnante sterilitatem incubuisse terris Maonum: incolas verò quòd tenerentur amore patriæ, multa excogitasse eius calamitatis solamina, alternis diebus ieiunantes, reliquis vtentes cibo modico. sed cũ id malum mora nihilo remissius fieret, diuiso bifariam toto populo sorti commisisse vtris abeundum aut manendum sit, sub quam sortem veniebant & Atyis filij. & Lydi parti feliciorem sortem obuenisse: alteram verò cum suis facultatibus peruenisse in regionem Italiæ, quæ ad occidentem vergit, tũc Vmbrorum cultam populis: ibique vrbes condidisse, quas tenerent vsq; ad sua tempora. Eadem multos alios de Tyrrhenorum genere scio scribere, quorum alij de autore coloniæ, de tempore alij variant. Quidam enim dixerunt Tyrrhenum Herculis filium, natum ex Lyda Omphale. hunc delatum in

Italiam expulisse Pelasgos è suis vrbibus non omnibus, sed transtiberinis ad septentriones spectantibus. Alij Tyrrhenum Telephi malunt filium, venisséque post Troiam captam in Italiam. Sed Xanthus Lydius antiquitatum peritus si quis alius, patria verò historia autor nemine inferior habitus, neque Tyrrhenum nominat vsquam in suis scriptis Lydorum principem, neque ullam scit Maonum in Italiam deductam coloniam, aut Tyrrhenia quasi Lydorum colonia meminit, leuiora quædam memorare solitus. Atys autem filios fuisse dicit Lydum & Torybum. hos post diuisum paternum imperium ambos mansisse in Asia: ab eísque gentibus quibus præfuerunt denominationes impositas indicat verbis his: A Lydo descendunt Lydi, à Torybo Torybi. horum lingua ab altera parum euariat, & hodiéque alteri alterorum vsurpant non pauca vocabula, quemadmodum Dorienses & Iones. Hellanicus Lesbius ait Tyrrhenos Pelasgos primùm vocatos, postquam Italiam habitare cœperũt assumpsisse quam nunc habent appellationem. eius verba in opere quod inscripsit Phoronida sunt hæc. Pelasgi regis eorum & Menippes filiæ Penei Phrastor fuit filius: huius verò Amyntor, huius deinceps Teutamides, & huius Nanas. hoc regnante Pelasgi pulsi sunt è Græcia: relictísque ad Spineticum flumen in sinu Ionio nauibus, Crotonem ceperunt vrbem mediterraneam: eáque belli sede vsi constituerunt quam nunc vocant Tyrrheniam. Myrsilus contrà dissentiens ab Hellanico, Tyrrhenos ait post relictam patriam passim vagabundos mutato nomine dictos Pelargos, quadam alitum pelargorum, hoc est ciconiarum, similitudine, quòd agminatim oberrarent per Græcas regiones atque

barbaras: & murum quo Atheniensium arx cincta est cognomine Pelasgicum opus esse horum hominum. mihi tamen videtur omnis errare, qui credunt vnam & eandem gentem esse Tyrrhenicam & Pelasgicam. nam hos pro illis inuicem nominatos mirum non est, quandoquidem & aliis gentibus tam Græcis quàm barbaris idē accidit, vt Troianis & Phrygibus propinquis inuicem. quamuis multi vnum genus vtrisque autument, & non in re, sed in nomine hanc esse differentiam: quæ quidem nominum confusio non minus quàm alibi in Italicis fuit gentibus fuit enim tempus quo Latini, Vmbri, Ausones, & alij, Tyrrheni à Græcis dicebantur, quòd propter longinquitatem earum gentium difficile esset hæc diligenter discernere: adeò vt Romam ipsam Tyrrhenicam vrbem multi scriptores opinati sint. nominum tamen mutationem, sicut & vita, credo factam in his gentibus: sed commune ambarum genus non credo, cum aliis multis argumentis inductus, tum linguarum diuersitate, nihil simile habentium. Etenim neque Crotoniatæ (vt inquit Herodotus) cum circunuicinis communem linguam habent, neque Placiani, ipsis tamen inter se conuenit: sicuti sique apparet quòd quam secum in ea loca intulerunt linguæ speciem, eam retinent. at qui miretur aliquis Placianis quidem circa Hellespontum habitantibus sermonem fuisse Crotoniatarum sermoni similem, quandoquidem vtrique à Pelasgis oriundi sunt: Tyrrhenos autem tam vicinos habuisse prorsus dissimilem. si enim commune genus & cognatio credenda est causa huiuscemodi similitudinis, contrarium erit causa dissimilitudinis. neque enim vtriusque eandem causam putare possumus. nam alterum quidem rationem quandam habet: eiusdem gentis homines, qui longe

à se inuicem habitent, non amplius retinere eãdem sermonis formam, propter finitimorũ cõmercia: sed absurdissimum est eorundem locorum incolas non conuenire lingua si sint eiusdem generis. Et Tyrrhenos quidem diuersos esse à Pelasgis hoc argumentum est: nec tamen Lydorum eos colonos arbitror. nec enim communis illis lingua est: nec possumus dicere, quòd licet sermone differant, alia tamen seruẽt indicia veteris patriæ. nec enim eadem quæ Lydi colũt numina, nec similibus legibus vtuntur aut studiis, verùm hac parte à Lydis plusquam à Pelasgis differunt. quare vereor ne verisimilior sit eorum oratio, qui non aduenam esse hãc gentem sed indigenam asseuerant: quandoquidem & peruetusta est, nec cum vlla alia moribus aut lingua eam conuenire compertum est. hoc autem nomine à Græcis appellatos esse nihil vetat, vel propter domicilia turrita, vel ab aliquo præpotente principe. Romani certè aliis eos vocant nominibus. etenim ab Hetruria quã aliquando habitarunt ipsos Hetruscos appellitant: & ob excellentem sacrorum ac diuini cultus peritiam, nunc quidem obscurius, olim verò integra voce quemadmodum Græci Θυοσκόους vocabant. Ipsi verò se à duce quodam Rasena superiore illa ratione nominant. Vrbes autẽ à Tyrrhenis habitatas, & modos administrandæ reipublicæ, vniuersamq́; eius gentis potentiã & res gestas digniores cognitu, ad hæc fortunæ varias vices dicemus aliàs. Ergo Pelasgica natio, quantũ eius cladibus superfuit, nec in colonias distractũ est, id quod ex magno ad modicum redactum est numerum inter Aborigines degens in his resedit locis, vbi postea Romam illorũ posteri condidere cũ aliis. atque hæc sunt quæ de Pelasgis produnt fabulæ. Nõ multo post alia classis Græcorum in eam Italiæ partem appulit.

pulit, LX. fermè annis ante bellum Troianum, vt ipsi Romani autores sunt, profecta à Palantio vrbe Arcadica eam coloniam deduxit Euander Mercurij filius & nympha cuiusdam Arcadicæ quam Græci Themin dicunt plenam numine: Romanarũ antiquitatum scriptores Carmentam patria lingua nominant: quod nymphæ nomen fatidicam significat, deductum à carmine iuxta Romanam etymologiam hanc mulierẽ affirmant dæmonis spiritu correptam futura populo præcinere solitam. ea multitudo nõ consensu ciuitatis emissa est: sed orta seditione inferior factio sua sponte secessit. Forte tum apud Aborigines regnum à maioribus acceptum tenebat Faunus, à Marte vt ferunt oriũdus, vir fortis ac prudens, à Romanis pòst tanquã vnus indigetum sacris honoratus & carminibus. Is paucos illos Arcadas comiter exceptos donauit agris ipsorum arbitrio. elegerunt autem, sicut eos Themis post rem diuinam peractam præmonuerat, tumulum non longe distantem à Tiberi, qui nunc fermè in meditullio Romanæ vrbis situs est. apud eũ construxerunt paruum vicum, capacem hominum quot potuerunt duæ naues aduehere è Græcia, cui erat in fatis vt in tantam vrbem euaderet, quanta alia nulla vel Græca vel barbara, siue amplitudo ædium, siue maiestas imperij spectetur, siue alia quæuis felicitas, duraturam quantum potest mortalitas, ac præ cæteris cunctis memoratu dignißimã. huic oppidulo à veteri patria nomen imponunt Palantium: nunc tamen palatium à Romanis dicitur, corrupta voce iniuria temporum: vnde multis absurdarum etymologiarum occasio Sunt qui tradant, & in his Polybius Megalopolitanus denominatum ab adolescente quodam Palante ibi mortuo, eum fuisse filium Herculis & Dynæ Euan-

dri filiæ: cui maternum auum extruxiſſe in eo tumulo ſepulcrum, & locum nominaſſe ab adoleſcente Palantium. ego tamen Romæ neque ſepulchrum vidi Palantis, neque inferias audiui ei fieri, nec aliud quicquam eiuſmodi cognoſcere potui: quã-uis hæc domus non ſit obliuioni tradita, nec ſit expers honorum quibus diuinum genus ab hominibus colitur. nam & Euandro & Carmentæ Romanos ſacrificare quotannis comperi, quemadmodum reliquis heroibus ac dæmonibus: aras etiam eis dicatas contemplatus ſum, Carmentæ apud Carmentalem portam ſub Capitolio. Euandro apud Auentinum collem prope portam trigeminam. Palanti verò nihil tale vidi ab eis exhibitum. Cæterum Arcades acceptis ſub colle ſedibus, exædificatis more patrio domiciliis, templa quoque conſtruunt, primum Lycæo Pani iubente Themide. (Arcadibus enim deorum antiquiſſimus & honoratiſſimus eſt Pan) in loco quem Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere poſſumus. & nunc quidem ædificiis fanum circùm occupantibus omnia, difficilis coniectura eſt qualis olim loci natura fuerit: ſed ut fertur, erat tum ſpelunca ſub tumulo magna, denſo querceto conteƈta, & ſub petris profundi fonticuli, ſolúmque rupibus contiguum nemoroſum, & frequentibus ac proceris opacum arboribus. ibi ara dicata deo more patrio ſacra fecerũt, quæ noſtro quoque tempore faciũt Romani menſe Februario poſt brumam, nihil mutantes ex ritu priſtino. modus autem ſacrorum dicetur poſtea. In vertice verò tumuli Victoriæ fano exſtructo, rem diuinam ei alternis annis fieri inſtituerunt: quod & noſtra ætate Romani faciunt. hanc Arcades fabulantur filiam Palantis prognati Lycaone: & honores quos nunc habet apud homines conſecutam Minerua iubente

te quòd cū hac dea simul educata sit. à Ioue enim recens natam Mineruam commendatam esse Palanti, & apud illum educatam dum adolesceret. Cereri quoque templum exstruxerunt, & per fœminas sacerdotes sacra ei fecerunt abstemia, more Græco, quorum nihil mutatum est nostro tempore. Quin & Neptuno Hippio festum instituerūt, Hippocratia dictum Arcadibus, Romanis verò Cōsualia, per quod apud Romanos ex more immunes sunt ab opere equi & muli, coronantúrq; floribus. Alia quoque multa fana & aras & simulacra deorum dedicauerunt, expiationésque instituerunt & patria sacrificia, quæ etiam ætate mea fiunt eodem modo: nec mirarer si quædam per tot secula obliuioni fuissent tradita. sufficiūt tamē vel ea quæ adhuc supersunt in argumentum priscorum Arcadicorū rituum: de quibus aliàs dicetur amplius. Dicuntur etiam literarum Græcarum vsum primi inuexisse in Italiam, nuper visarum Arcadibus: instrumenta quoque musica, lyram, trigona & lydos: cum ad id temporis non nisi pastoralibus fistulis vsi fuissent, nec vllo præter has inuēto musico. leges etiam tulisse, & vitam antea ferinam maiore ex parte mitem ac mansuetā reddidisse. Sed & artes ac studia, multáque alia contulisse in publicum: & propter hæc gratiosi fuisse apud suos hospites. Hæc secūda gens Græca post Pelasgos delata in Italiam communes cum Aboriginibus sedes habuit, eásque in loco qui nūc est in tota vrbe Romana præcipuus. Post Arcadum aduentū paucis aliquot annis elapsis alia manus Græcorum in Italiam venit ductu Herculis, qui tum Hispaniā, & quicquid terrarum vsque ad occidentē solem protēditur, domuerat. horum quidam missione ab Hercule impetrata circa hæc loca hæserunt: & nacti opportunū tumulū tri-

bus

bus fermè ſtadiis diſtantē à Palantio, redegerunt eũ in formã oppidi as nunc Capitolinus nominatur, ab illius ſeculi hominibus dicebatur Saturnius: Graci noſtri Cronium dicerent. Qui autem relicti ſunt, pleriq; erãt Peloponneſij, videlicet Pheneatæ, & Elidenſes Epei, quos nullũ amplius tangebat re uertendi deſideriũ, deleta patria bello quod geſſe rant contra Herculem. admixtum his erat & Troiani generis nonnihil, captiuis Laomedonte regnante abductis ex Ilio, quando Hercules eam vrbem vi ceperat. & vt mihi videtur etiam ex reliquo exercitu quicquid erat feſſum laboribus, aut errorum pertæſum, miſſione impetrata in hoc loco remanſit. Tumuli nomen quidam, vt dixi, antiquũ exiſtimant, eóque Epeos maximè delectatos ob memoriã tumuli apud Elidē Cronij: qui eſt in Piſano agro prope amnem Alpheũ eum Elidenſes Saturno ſacrum rati, ſacrificiis aliiſq; honoribus venerantur, conuenientes illo ſtatis tēporibus. Euxenus autē vetus poëta: & alij quidam fabularum ſcriptores Itali, putant ab ipſis Piſanis propter ſimilitudinem ſui Cronij loco nomē impoſitũ: & arã Saturno Epeos dicaſſe cũ Hercule, quæ etiãnum durat ad radices tumuli, iuxta viam qua à foro in Capitoliũ aſcenditur: & ſacrificium quod etiam ætate mea faciũt Romani ritu Græcanico, ab illis inſtitutum fuiſſe. Sed quantum ego ex coniecturis colligo, etiam ante aduentum Herculis in Italiam ſacer erat Saturno is locus, dictus ab incolis Saturnius. quin & vniuerſa ora quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo, vocata à ſuis hominibus Saturnia, vt licet videre in Sibyllinis carminibus, & aliis oraculis à diis redditis: ſuntq; paſſim per eam regionem multa templa dicata huic deo, & multa ciuitates eodem quo vniuerſa ora dicta nomine: agri quoque

multi

multi cognomines eius numinis, præcipuè scopuli ac summitates montiū. Italia verò pòst nominata est à viro præpotente Italo. hunc Antiochus Syracusanus ait bonum & sapientem fuisse: & propinquarum regionum hominibus partim oratione persuasis, partim vi coactis, totam eam terram sub iugum suum redegissè, quanta patet Napetinum sinum inter & Scyletinum: eamque primam Italiā vocatam Itali temporibus: ea ditione potitum, cum iam haberet multos subditos, appetisse finitimos, ciuitatésque multas in vnum coegisse imperium: ipsum verò fuisse Oenotrum genere. Hellanicus autem ait Herculem Gerionis boues abigentem in Argos per Italiam, cùm iuuencus quidam ab armento resiliens peragrata vniuersa ora tranauisset trans fretum in Siciliam, rogitantem semper per obuios eius regionis homines quà persequebatur iuuencum, nuncubi eum vidissent, illis Græcā linguam parum intelligentibus, sed patria voce vitulum indicantibus, quæ etiam nunc id animal significat, appellasse totam regionem quam iuuencus pertransiuit, Vitaliam. temporis autem processu mutatum id vocabulum in præsentem formam mirum videri non debet, quando simile quiddam accidit multis etiam Græcis nominibus. Verumtamen siue, vt Antiochus ait, à duce, quod fortasse verisimilius est siue, vt Hellanicus opinatur, à tauro nomen hoc accepit: illud certè ex amborum autoritate liquet, quòd Herculis ætate, aut pauló antè, sic nominata est: superiori verò tempore Græci Hesperiam & Ausoniam eam vocabant, indigenæ Saturniam, vt iam dictum est. Est etiam alia fabula vulgata inter indigenas, quòd ante Iouis regnum Saturnus in his terris imperium habuerit: & decantata illa vita regnante illo abundans omnibus copiis

piis quas annus fert, nusquam alibi magis quàm apud ipsos fuerit. Quodsi quis remota ex horum verbis fabula bonitatem regionis velit disquirere, ex qua humanum genus plurima ad hilaritatem vitæ facientia decerpserit mox à suis initiis: siue ex terra, vt antiquorum habet opinio, siue aliunde ea fuere: non facilè aliam inueniat magis ad hoc idoneam. Si enim eam ad vnam aliquam magnitudine parem terram conferas, non solum in Europa, verum etiam in toto orbe optima meo iudicio est Italia: quamuis non me lateat quòd multis incredibilia videbor dicere, cogitantibus Aegyptum & Africam ac Babyloniam, & si quarum aliarum celebrata est felicitas. At ego terræ opes non æstimo ex vna aliqua frugum specie, nec me subit desiderium habitandi vbi arua tantum sint pinguia, aliarum verò rerum ad vitam vtilium aut nulla aut admodum parua copia: sed quæ sibiipsa maximè sufficit, aduectitiisq́ bonis minimè indiget, eam puto optimam. hanc verò omnigenam fertilitatem & copiam, credo supra quamuis aliam terram concessam Italiæ. non enim arua modo bona habet, caret autem arboribus, vt aliqua frumentifera: neq; plantis modo omnium generum alēdis est idonea, sed inutilis segetibus, vt arbusti agri: neq; habet quidem hæc vtraq;, sed parum apta est pascuis, neq; dixerit quis eam abundare quidem frugibus ac pascuis, sed ad degendam vitam esse ingratam hominibus: sed est referta omnibus, vt ita loquar, voluptatibus & commodis. cui enim frumentifera cedit campus Campanus, nō fluuiis, sed aquis rigatus cœlestibus: in quo ego vidi arua vel trifera, æstiuam post hibernam, & autumnalem post æstiuam sementem enutrientia. cui oliuifera, Mesapiorum, Dauniorum, Sabinorum aliorumque

multorum cultura?cui vitifera Etruria, & Albanus ac Falernus ager mirum in modum amici vitibus, & modico labori plurimos reddentes fructus atque optimos? præter eam autem quæ colitur, multum terræ inuenias patere ouium, multum caprarũ gregibus: plus etiam & præstantius armentis equorum & boum. palustris enim & pratensis herba copiosa illa: cultiuaque terra irriguà & roscida, immensũm quantum æstate compascua, omni tempore præbet gregum copiam. Sed saltus imprimis admiratione digni sunt, circa prærupta loca & nemorosa, tumulósque culturæ parum idoneos: ex quibus habent multam ac pulchram naualem materiem, multã etiam aptã aliis operibus. atque horum nihil est vel paratu difficile, vel remotũ ab humanis vsibus, sed operi facilia & in promptu sita propter fluuiorum frequentiam qui vniuersam oram perfluunt, & magnum commoditatẽ importandis ac permutandis quas terra fert rebus afferunt. eadem terra habet aquarum calidarũ multis in locis scaturigines, iucundissima exhibentes balnea, morbis inueteratis sanandis vtilissima, metalla omnis generis, venationes ferarum prouentúsque maritimos varios: & innumera alia vel vtilitati seruientia, vel delectantia miraculo. sed omnium pulcherrima est aëris moderatæ, vt anni tempus fert, temperies, qualis nec nimio gelu, nec immenso æstu, fruges lædat aut animantia. Nil mirũ igitur si antiqui Saturno sacram putauerunt hanc terrã numen hoc rati beneficum, & autorẽ felicitatis hominum: siue is Chronus est, vt Græci volunt: siue Saturnus, vt Romani: totam mundi naturam cõplexus, vtcunque eum nomines. eadem huius regionis admiratione factũ est, vt ob eximiã eius opulentiam ac gratiã, cuius studiosum est humanum genus, censentes

quod cuique accommodum est maximè conuenire vel diis vel hominibus, montes & nemora Pani in tutelam dicauerint, nymphis prata & loca viritia, litora & insulas marinis numinibus, & in cæteris item quicquid alicui familiare est vel Deo vel dæmoni. Fertur etiam veteres Saturnũ placare solitos humanis victimis, sicut Carthaginienses dum stetit eorum vrbs: & apud Gallos idem fit nunc quoq́, aliásque gentes occidenti proximas. Herculem verò, vt aboleret hunc morẽ sacrorum & aram fundasse in colle Saturnio, & autorem fuisse vt sanctæ hostiæ puris adolerentur ignibus. & nequã pœnam timerent quasi ob neglecta sacra patria, docuisse incolas ad mitigandã iram Dei, pro hominibus quos manibus vinctis iaciebant in Tiberim, oscilla facta in eorum similitudinẽ pari modo mittere in fluuium, vt quicquid religionis in animis omnium superesset tolleretur: qui mos iam inde ad nostra demanauit tempora: & nunc quoque Romani idem factitant paulo post vernum æquinoctium Idibus Maiis, quo die lunam volunt esse dimidiam. tunc enim peractis sacris pontifices (id summum est sacerdotium) & cum his custodes immortalis ignis virgines, prætoresque & alij ciues quos fas est inter esse illi sacrificio, simulacra hominũ XXX. numero de sacro ponte mittunt in Tiberim fluuium, quæ argeos nominãt. Verũ de sacrificiis & aliis Romanorũ caremoniis, in quibus seruant Græcanicũ morem & domesticũ, aliàs significabimus. nunc tẽpus videtur poscere vt de aduẽtu Herculis in Italiam tradamus aliquid compertius, & non omittamus si quid ibi gessit memorabile. de hoc dæmone quæ narrantur, quædam fabulis, quædam veritati propiora sunt. Fabula de aduentu eius sic habet. Eurystheus inter cætera certamina iussit Her-

culem boues Gerionis ex Erythea in Argiuam vrbem agere. is vbi fecit quod iussus est, domum reuertens adiit tum alia multa loca Italiæ, tũ agrũ Palantinum in terris Aboriginum. ibi boni pabuli nactus copiam armenta dimisit per pascua: ipse labore fessus, procubuit somnóque se dedidit. Interim quidam eius loci latro Cacus nomine, repertis bubus sine custode pascentibus, cupidine earum captus est: cúmque animaduertisset sopitum Herculem, totum quidem armentum abigere non ausus est, ratus nec latere furtum posse, & alioquin id fore difficile. paucas tamen aliquot in propinquam speluncam vbi degebat abdidit, quas auersas vnam post aliam caudis eò traxerat: vt quærentem indicium falleret vestigiis in contrariam partem ducentibus. Hercules paulo pòst somno excitus cum recensuisset numerum, & aliquot boues sensisset deesse, primum incertus quò deuenerint, & ratus aberrasse à pascuis, quærebat eas per agros: vt verò nusquam reperit, ad speluncam pergit licet reclamantibus vestigiis, nihilominus perscrutandum eum locum ratus. Caco autem stante pro foribus, & cum rogaretur negante se vidisse, nec tamen inquisitionẽ permittente, imò fidẽ inuocante eorũ qui aderant, quasi vim pateretur ab hospite: confuso Herculi & inopi consilij tandem in mentem venit reliquas boues ad speluncam agere: quarum vocem consuetúmq; odorem vbi senserunt inclusæ, mugitu reddito furtum prodiderunt. at Cacus in maleficio deprehensus decreuit vti viribus, simulq; pastores socios conuocat. tũ Hercules vociferantẽ claua prosternit: eductísque bubus quoniam videbat locum aptum latronum receptaculo, speluncam baculo suo diruit: cúmq; cædem expiasset aqua fluminis, in proximo arã Ioui Inuentori posuit, quæ est Roma

ma prope portam trigeminam, & ob inuentas boues Deo iuuencum vnum ſacrificat. hæc ſacra etiam ætate mea Romani Græco ritu faciunt, quemadmodum ab illo inſtituta ſunt. Cæterum Aborigines & Palantini Arcades, vt viderunt Herculem, & Caci mortem cognouerunt, hunc propter rapinas peroſi, illius ſtupentes ſpeciem, diuinum quiddam ſe videre putabant: & pro magna fœlicitate habebant exemptos ſe latronis iniuriis: & vt inopes ramis lauri, cuius in his locis magna erat copia, tam ſe quàm illum coronabant: reges ipſi inuitauerunt eum ad hoſpitium. vt verò nomen & genus ac geſta ipſo narrante cognouerunt, cum tota regione ſe commiſerunt in tanti viri fidē ac amicitiam. Euander verò qui iam antè audierat è matre Carmenta, eſſe in fatis vt natus Ioue & Alcmena Hercules immortalis ex mortali virtutis ergò fieret, mox, vbi hunc ipſum eſſe didicit, occupare volens eam gratiam, primus omnium Herculem diuinis dignatus eſt honoribus, extructáque ara extēporali præ nimio ſtudio, mactauit ei iuuencum indomitum, oraculo prius communicato cum hoſpite precatus vt delibaret victimam. qui lętus hoſpitalitate gentis populum excepit epulo, bubus aliquot mactatis, quos ex reliqua præda decimas ſelegerat. Reges verò, id quod eos vehementer cupere ſciebat, donauit agris Ligurum & quorūdam aliorum à finitimis, prius expulſis inde viris quibuſdam immanibus. Ferunt præterea incolas regionis ab eo rogatos, vt quando ſe vltro inter deos recepiſſent, ſeruarent honores ipſius perpetuos, quotannis iuuencum indomitum mactantes, & ritu Græco peragentes id ſacrificium. Et vt ſemper libens adeſſet ſuis ſacris, præfecit illis edoctas prius ritum duas nobiles familias hi fuere Potitij atque Pinarij, penes quas

gentes multis seculis durauit cura sacrorum. ita vt ille iuxta Græcorum disciplinam instituerat: Potitiis solis extorũ dape vescentibus, à quibus arcebãtur Pinarij, in communi officio semper potiorẽ partem cedentes collegis sacerdotij Potitiis. ea fuit tarditatis mulcta & negligentiæ, quòd ipsi mane præsto esse, adesis demum extis ad cæteram dapem venerint. nunc tamen illorum posteritas non habet curam horum sacrorum, sed operantur eis serui empti ære publico: quæ autem causa mutati moris fuerit, & quàm manifestа vbi id indignatio numinis, suo loco dicetur aptiùs. Ara verò in qua Hercules decimas obtulit, à Romanis vocatur maxima, prope forum Boariũ, nulla inferior quod ad ciuiũ venerationem attinet. nam & iusiurandum apud eam ac conuenta quæ volunt esse firma peragunt, & decimas facultatum ex voto sæpe illuc offerũt. apparatus tamen eius parũ respondet opinioni hominũ. Paßim etiam aliàs per Italiam templa huic deo dicata sunt, aræq; oppidatim & per vias: nec facilè reperias in Italia locũ vbi nõ colatur hic deus. Et fabulis quidem hæc de illo sunt prodita. Veriora videntur quæ de eo narrant historici qui res gestas eius mandarunt literis, videlicet quòd cũ esset ætatis suæ ducum præstantißimus, magnásque ductaret copias, quicquid terrarũ oceano cingitur peragrauerit, tollens tyrannos quoquot essent graues & subiectis intolerabiles: aut si qua ciuitas praferocia molestaret finitimos, hospitúmve nefariis gauderet cædibus. pro quibus legitima regna moderatásque respublicas constituit, & in vitam mores induxit humanos ac sociabiles. ad hæc cũ Græcis iuxtà versatus est ac barbaris, cum maritimis atque mediterraneis, quibus antea malè conueniebat per infida commercia: & in desertis terris vrbes condidit,

dit, fluminaq; auertit campos inundātia, vias muniuit in difficilibus accessu montibus, nihil non molitus vt mare ac terra quàm latißimè paterēt vsibus cunctorum mortalium. Cæterùm in Italiā venit non absque comitatu, nec agens præ se armenta pecudum: nec enim trita est per has regiones via petentibus Argos ex Hispaniis, neque propter visa obiter ea loca tātis potitus fuisset honoribus: sed per domita Hispania cū exercitu venit ad subiugandos eorum locorū homines. coactus est enim ibi multum tēporis terere propter classis absentiam quæ distinebatur hibernis tempestatibus: tum quia nō omnes Italicæ gentes vltro imperata facerent. nam præter alios Ligurum gens magna & bellicosa in transitu Alpiū sita conata est eū arcere ab ingressu Italiæ: vbi Græcis fuit certamen difficillimum, adeò vt tela eos in hac pugna defecerint. meminit autem huius belli ex antiquis Poetis Aeschylus in soluto Prometheo. Inducit ibi Prometheum Herculi prædicentē inter cætera de euentu certaminū expeditionis contra Gerionē & quam difficilè obiter gesturus sit bellū Ligusticū carmen autem sic habet. Vises Ligurū copias imperterritas: quorū pugnaces. sat scio, ferox licet probabis manus, & tela te deficiēt. Sed postquā his profligatis patefecit sibi transitū, quidā sponte deditionē oppidorū faciebāt, maximè quotquot erant Græcanici generis, aut nō satis fidebant suis viribus: plerósque tamen armis expugnare necesse habuit. Inter eos qui bello subacti sunt, fuisse aiunt & Cacumillum Romanis fabulis celebrem, qui princeps immanium quorundam barbarorum heroi restitit, fretus locis natura munitis, vnde excursabat in finitimos. is cum animaduertisset Herculem castrametatum in propinqua planicie, cum prædatorio globo in-

eum irruit: & dormiente etiam tum exercitu, quicquid prædæ incustoditum nactus est, retro abegit in sua. deinde obsessus à Græcis & expugnatus, fortiter resistendo in pugna cecidit. cuius castellis dirutis agros occuparunt milites Herculis, & cum his Arcades Euădro subditi, ac Faunus rex Aboriginum. cæterum Græci qui ibi mansere fuerunt (vt coniicere licet) Epei, Pheneatæ Arcades, & Troiani, relicti eius regionis præsidio nam inter imperatorias Herculis artes hæc quoque fuit mirifica, quòd abstractos à deuictis vrbibus ducebat secum in militiam: quorum prompta & fideli opera vsus in bellis, collocabant eos in agris ademptis hosti, de alieno eis satisfaciens. quamobrem durat eius nomen & gloria per Italiam, non ob transitum, in quo nihil veneratione dignum inerat. Sunt qui dicant eum etiam filios in locis quæ nunc Romani habitant reliquisse susceptos è duabus fœminis: Palantem ex Euandri filia quam Lauiniam nominant, Latinum ex quadam hyperborea puella, quam obsidem à patre acceptam secum circunducebat, eam aliquantisper innuptam seruarat: sed cum appulisset in Italiam captus amore grauidam reddidit, & abiturus Argos nuptum dedit Fauno regi Aboriginum: quo factum est vt multi Latinum huius putarent filium, non Herculis. horum Palantem aiunt ante pubertatem mortuum. Latinum postquam virilem ætatem attigit, factum esse regem Aboriginum: quo sine maribus liberis defuncto in conflictu cum finitimis Rutulis, regnum deuolutum esse ad Aeneam Anchisæ filium, ipsius Latini generum. Sed hæc aliis facta sunt temporibus. Hercules autem compositis ex animi sententia rebus Italicis, & recepto incolumi exercitu Hispanico, & decimis prædæ impensis in deorum sacrificia,

oppidum

oppidum sibi cognomine condidit vbi classis eius naualia fuerant, quod nunc quoque à Romanis habitatur inter Pompeios & Neapolim habens portus tutos omni tempore: atque ita gloriam exemplo futuram posteris honoresque diuinos consecutus apud omnes Italos traiecit in Siciliam. Illi verò quos colonos reliquit & præsidium Italiæ, locati circa collem Saturnium, aliquandiu propriam habuerunt rempublicam: sed elapso non longo tempore viuendi rationem, leges, sacra habuerunt cum Aboriginibus communia: sicut Arcades & ante hos Pelasgi in eandem ciuitatem cum illis coaliti, pro vna gente habiti sunt. Atque hæc de expeditione Herculis, & relictis in Italia Peloponnesiis dicta sint, post cuius digressum ætate altera, circiter annum quintum supra quinquagesimum, vt ipsi Romani perhibent, rex Aboriginum erat Latinus Fauni, sed semen Herculis, annum agens regni sui quintum & trigesimum. per id tempus Troiani cum Aenea post captum Ilium profugi appulerunt Laurentum, in littus Aboriginum quod Tyrrheno mari alluitur, non longe ab ostio Tiberis: acceptóque ab hospitibus ad habitandum agro, & quicquid petierunt, oppidum condunt non longe à mari in quodam colle, nomine Lauinium. nec ita multo pòst veteri appellatione mutata vnà cum Aboriginibus à loci rege Latini nuncupati sunt: & profecti è Lauinio vnà cum indigenis maiorem vrbem muniuerunt dictam Albam: vnde alia quoque multa oppida deduxerunt, quæ priscorum Latinorum vocantur, & maxima pars eorum habitatur etiam nostro tempore deinde sextadecima ætate post captum Ilium miserunt coloniam in Palantium & Saturniam habitatas primum à Peloponnesiis & Arcadibus, & retinentes etiam tum

scintillas quasdam prisci generis: cinxeruntque muris Palantium, vt formam vrbis tum primum acciperet. Conditæ vrbi Romæ nomen imposuerũt, quòd ductu Romuli missa sit colonia, qui septimusdecimus ab Aenea descendebat. Dicam & aduentum in Italiam Aeneæ, scriptoribus partim ignoratũ partim dissimulatũ inuidia, diligẽter super eã re scrutatus fide digniores tũ Romanas tũ Græcas historias, in quibus inuenio proditum sic. Capto ab Achæis Ilio, siue commento equi Durij, sicut canit Homerus, siue proditione Antenoridum, siue alio modo, cætera quidem multitudo tam sociorum quàm ciuium in cubilibus deprehensa cæditur. noctu enim ex inopinato & sine custodiis oppressi sunt. Aeneas autem cum suis sociis qui ex Ophrynio & Dardano Iliensibus auxilio venerant, & siqui alij maturè sentientes inferiorem vrbem captam in munitionem Pergami confugerant, arcem proprio muro tutam occupant: vbi reposita erant Troianorum sacra patria, magnáque vis pecuniæ, vt pote in loco firmo: inerátque militum quisque fortissimus. inde propulsabant conantes in arcem ascendere, & eos qui ex capta vrbe effugerent angiportorum peritia succurrentes excipiebant, ita vt pauciores interciperentur quàm euaderent. atque hoc consilio Aeneas frustratus est hostium impetum volentium omnes ciues ferro perdere, effecitq́; ne tota vrbs in eorum potestatem redacta sit. sed cum etiam in futurum prospiceret, cogitanti impossibile esse vrbẽ seruare iam captam parte sui maxima, in mentem venit arcem hostibus cedere, subductis prius corporibus & sacris patriis, & siquid secũ exportare possent præterea. quod vbi placuit, pueros, mulieres, senes, & quicquid hominum erat ad fugam tardius, præmisit iussos Idam petere,

peteret, dum Achæi arcis oppugnationi intenti de persequendis eis nihil cogitant. militum autem partem exeuntibus addidit præsidio, quo tutior ac expeditior eis fuga fieret, cum mandatis vt occuparent montis loca natura munitissima. reliquam militum manum, in qua erat plurimum virium, retinuit intra muros, circa eos hostem distinens, dum præmissa turba facilius effugeret. sed postquam Neoptolemus cum sociis euasit in partem arcis mœnium, vniuersis Achæis eò concurrentibus, excessit arce per portam qua fugientes emiserat, atque ita seruatis ordinibus abiit, lectissimis bigis vehens secum patrem, deos penates, vxorem, liberos, & res cariores atque corpora. interim expugnata vrbe Achæi direptione occupati elapsis tutum dederunt effugium: quos Aeneas secutus in itinere, vno agmine facto contulit se in Ida munitissima. eadem nocte venerũt illò Dardanenses deserto oppido, quia flammam emicantem ex Ilio maiorem solito viderant: absq; his qui cum Elymo & Aegesto maturè egressi correptis nauibus commiserunt se pelago. Venit & ex Ophrynio totus populus, aliarúmque Troianarum vrbium incolæ quotquot erãt libertatis cupidi, vt breui tempore gentis eius copiæ maximæ illò confluxerint. atque ita Aeneæ socij captæ vrbi superstites ibi morabantur, sperantes se non multo pòst profecto hoste redituros ad sua. Achæi verò oppidanis atque agrestibus in captiuitatem abductis, vastatísque castellis, parabant se ad expugnationem montium. Sed cum ad eos venissent caduceatores acturi de pace, rogantes ne se ad necessitatẽ belli adigerent, pro concione decretũ est fœdus his conditionibus: vt Aeneas ac socij, cum suis rebus quas in fuga exportauerant, intra certũ tẽpus agro Troiano excederẽt castellis in potestatem Achæo

Achaeorum traditis Achai verò ex pacto præberent cis terra marique tutam discedendi copiam. Accepit conditionem Aeneas, quippe qui nihil in præsens videbat satius: ac mox Ascanium filiorum natu maximum, cum parte sociorum quæ ferè constabat ex Phrygibus, in Dascyliticum agrum mittit ad lacum Ascanium, in regnum accitum ab eius regionis incolis, mansurum ibi non longo tempore nam cum ad eum venissent Scamandrida cum aliis è familia Hectoris dimissi è Græcia per Neptolemum, reducens eos in paternum principatum ad Troiam rediit. Et de Ascanio tantum comperimus. cum reliquis autem filiis & patre ac delubris numinum Aeneas parata prius classe traiecit Hellespontum, in proximam peninsulam nauigans, quæ ab Europa in mare procurrens Pallene dicitur, eam tenebat socia gens Thracum Crusæa nomine, quorum strenua opera in bello vsi fuerant. Sic habet vero proxima narratio de fuga Aeneæ, reperiturq; apud veterem scriptorem Hellanicum in rebus Troicis: quamuis alia quorundam feratur ab hac euarians, quæ mihi sanè videtur parum credibilis. iudicium sit suum cuiq; liberum. Sophocles tragicus in Laocoonte fabula facit Aeneam instante vrbis excidio secedentem in Idam patris Anchisæ monitu, cui Venus eam cladem prædixerat, atque etiam ex recenti prodigio quod circa Laocoontidas acciderat, coniectabat vrbis interitum. apud eum tales exstant ex aliena persona iambici. Nunc in porta est Aeneas deæ filius, humeris baiulans patrem, siderat à terga amictum fluxa veste byssina. hunc stipat tota turba familiarium sequiturq; plebes non quanta tibi placet, sed quotquot Phrygum de mutandis sedibus cogitant. Menecrates autem Xanthius prodidisse eum Achæis vrbem affirmat,

ob simultatem, quæ illi cum Alexandro intercedebat, & in gratiam eius beneficij Græcos abstinuisse ab eius domo omnem iniuriam. is ab Achillis funere auspicatus suam historiam scribit in hunc modum. Achæos autem tenebat mæstitia: videbantúrque sibi amisisse caput totius exercitus. attamen iustis ei persolutis infestabant vniuersam hostilem regionẽ, donec Aeneæ proditione captũ est Ilium. is enim ægre ferens in nullo se apud Alexandrum esse precio, arcerique à sacerdotiis, prodidit Priamũ: quibus perpetratis ciuis Achæorum factus est. Alij dicunt eum tunc commoratum apud stationem Troianorum nauium: alij missum cum copiis à Priamo in Phrygiam propter quoddam negotium ad id bellũ pertinẽs. nec desunt qui fabulis propiora narrent de eius exitu ab Ilio. integrum sit cuique quodlibet credere. Quæ deinde sequuntur incertiora multi faciunt. Alij Thracia tenus perductum illic vitam finisse affirmant: quorum è numero sunt Cephalon Gergithius, & Hegesippus qui de Pallene scripsit, viri graues & scriptores veteres. alij rursum è Thracia deducunt eum in Arcadiam: dicuntque illum habitasse in Orchomeno Arcadico, ea quam insulam vocant, quamuis sit mediterranea, cincta paludibus & flumine. quin & Capyas ab Aenea cæterisque Troianis conditas, & deductas à Troiano Capy vocatas nomine: quod inter alios tradit Aristhus scriptor rerum Arcadiæ. Sunt qui fabulentur venisse quidem eum ad hæc loca, non tamen ibi defunctum sed in Italia: quod cum aliis multis testatur etiam poëta Agathyllus genere Arcas huiusmodi elegiaco.

Arcadiam tenuit, geminamq; in Neside prolem
Natam Codone liquit & Anthemone.
Italiam petiit post hæc, vbi nascit illi Romulus.

Adun

Aduentus autem Troianorum in Italiam fidem faciunt & Romani omnes eorúmque sacra festíque dies, & Sibyllini libri cùm Pythicis atque aliis oraculis, quæ nemo tanquam ad gratiam ficta contempserit. quin & apud Græcos multa manifesta in hanc vsque diem eius rei exstant indicia, in quos portus appulerint, & apud quos tempestatibus aduersis detenti sint: quorum pauca è multis referam quàm breuißimè potero. Primùm aduecti sunt in Pallenem Thraciæ peninsulam, habitatam vt dixi à Crusæis barbaris, tuto ibi excepti hospitio. in his hibernis Veneri templum exstruxerunt in vno è promontoriis, & oppidum Æneam condiderunt, in quo nauigationis pertæsos reliquerunt, & si qui fuere manendi cupidi, habituros posthac eum locum pro patria. id durauit vsque ad imperium successorum Alexandri Macedonum. Cassandro demum regnante desertis pristinis sedibus Æneatæ in Thessalonicam recens tum conditam inter alios multos migrare iußi sunt. A Pallene Troiani Delum veniunt, in ea regnante Anio: vbi florentibus eius insulæ rebus visebātur aduentus Æneæ multa indicia. inde in aliam insulam Cythera ventum est, obiacentem Peloponneso, & Veneri templum ibi conditum. à Cytheris nauigantes præter oram Peloponnesi quendam ex Æneæ sociis Cinathum in vno promontoriorũ sepeliunt, quod nũc ab eo vocatur Cinathium: renouatáq; cũ Arcadibus cognatis (vt pòst dicemus) amicitia, aliquantulum in his locis morati, relictis hîc quoq; aliquot è suis, Zacynthum inde venerũt, recepti à Zacynthiis iure cognationis & amicitiæ. Dardanus enim Iouis & Electræ Atlantidis filius è Batea duos suscepit filios, Zacynthum & Erichthonium: hic fuit autor Æneæ generis, alter Zacynthus insulæ conditor. eius

cognationis memoria benignè ab insulanis accepti contriuerunt ibi aliquantum temporis quòd tum mare nauigationem non admitteret: interim Veneri in nouo templo à se constructo sacra faciunt, quemadmodum etiam nunc publicè facere solent Zacynthij: & certamina iuuentuti proposita sunt, tam cursus, quàm alia varia. præmium accipit qui primus in templum peruenit. vocatúrque Aeneæ cursus & Veneris, & ambobus statuæ sunt positæ. inde per altum nauigantes appulerunt ad Leucada, tenentibus tum locum Acarnanibus. hic rursum Veneri templum construunt, quod nunc est in parua insula inter isthmum eius peninsulæ perfossum, & ipsum oppidum: vocatur id Veneris Aeneadis. hinc delati ad Actium, stationem habuerunt in sinu Ambracio iuxta promontorium: inde peruenerunt Ambraciam, vbi Ambrax nepos Herculis regnabat, Dexameni filius. in vtroque loco manent eius aduentus vestigia: apud Actium templum Veneris Aeneadis, & prope id aliud Magnorum deorum, durántque nunc quoque. Ambraciæ verò eiusdem deæ templum, & sacellum Aeneæ prope paruum theatrum, in quo est & statua parua operis antiqui huic heroi sacra, eam solebant victimis colere sacerdotes quas ipsi appellant amphipolos. Ex Ambracia nauibus Anchises oram legendo Butrotum Epiri portum petiit: Aeneas cum militum fortissimo quoq; duorum dierũ itinere Dodonam peruenit oraculi causa, vbi Troianos inuenit Heleni socios: acceptoq; responso de quærendis sedibus, & inter cætera oblatis deo crateribus æreis, quorum aliquot exstant & hodie literis antiquissimis testantes muneris autores Troianos, ad classem redeunt emenso quatuor fermè dierũ itinere. A Butroto deuecti in portum

portum Anchisæ tunc dictum, nunc deprauato nomine, cum & iam ibi templum Veneri dedicassent, Ionium sinum traiiciunt, ductoribus nauigationis aliquot qui vltro se comites addiderant, & cum his Patron Thurius. horum plerique postquam incolumis exercitus peruenit in Italiam retro vnde venerunt reuersi sunt: Patron ab Aenea persuasus vt secum velit ire in coloniam, & quidam ex eius sociis manserunt in classe: quos nonnulli aiunt sedes fixisse in Aluntio Siciliæ. Huius beneficij memores postea Romani Leucada & Anactorium Corinthiis ademptum donauerunt Acarnanibus, & permiserunt eis restituere Oeniadas, concesseruntque commune cum Aetolis ius fructus colligendi ex insulis Echinadibus. Cæterum Troiani non vno loco facta exscensione in Italiam, quod maior pars nauium appulisset ad Iapygiæ promontorium, (tum Salentinum erat) reliquæ ad Mineruæ templum, vbi etiam Aeneas nauim egressus est, (id promontorium est cum æstiuo portu qui ex illo tempore dicitur Veneris) præternauigarunt totam eam oram vsque ad fretum, per illa quoque loca relictis passim aduentus sui vestigiis: inter quæ est in Iunonis templo ærea phiala, donum Aeneæ, nomen eius habens inscriptum antiquis literis. Vt ventum est ad mare quod Siciliam alluit, siue animi decreto, siue tempestatibus acti, quæ in hoc maris tractu non raræ sunt, appulerunt ad eam insulæ partem vbi sunt Drepana. Hic forte fortuna inciderunt in Elymi & Aegesti socios: qui priores à Troia profecti, & aspirante cum ventis fortuna, expeditis ad cursum nauibus aliquanto antè appulsi in Siciliam, habitabant circa Crimisum fluuium, à Sicanis in partem agrorum admissi propter Aegesti cognationem & amicitiam, qui casu quodam in

ea insu

ea insula natus & educatus fuerat. Nam regnante Laomedonte quidam ex ipsius maioribus vir domi nobilis offenso rege per occasionem quæsitam cum omnibus melioris sexus liberis ab eo necatus est, nequis vltor iniuriæ tandem existeret. filias verò etiā tum virgines occidere indignum ratus, nec tamen tutum eas elocare Troianis ciuibus, dedit negotiatoribus, cum mandatis vt asportarentur in terras longinquissimas. cum his in eadem naui quidam bene natus adolescens nauigauit. is amore captus alterius, puellam aduectam in Siciliam duxit coniugem: ex his parentibus in eadem insula Aegestus est genitus: qui linguam & mores eius regionis edoctus, post obitum eorum à Priamo rege impetrauit reditum in veterem patriam: & cum tolerasset cum suis ciuibus bellum Achaicum, quo tempore hostes vrbe potiti sunt nauigauit rursum in Siciliam, vnà cum Elymo fugiens tribus nauibus: quas Achilles dum oppida Troiana popularetur, saxis latentibus hærentes amiserat. In hos viros postquam Aeneas incidit, complexus est eos comiter: conditísque in eorum gratiam Aegesta & Elyma, exercitus sui partem quandam reliquit in his oppidis: quantum ego coniectura possum colligere, sua sponte, vt iactationibus maritimis & labore fessi loco tuto quiescerent: quamuis quidam scribant detrimētum classis ibi acceptum, nauibus aliquot opera fœminarum incensis errorum tædio: atque ita coactū relinquere turbam, quam post amissas suas reliquas capere non poterant. Sunt præterea multa alia Troianorum Aeneæq; ad Siculos aduentus argumenta, sed clarissimū ara Veneris Aeneadis supra caput Elymi fundata, & apud Aegestanos templum Aeneæ dicatū: illa matri sacrata ab ipso Aenea, hoc in beneficij memoriam seruatori suo dicatum

ab his quos classis reliquerat. Hæ fuerunt sedes profugorum cum Aegesto & Elymo, appellatiq; sunt in vniuersum Elymi, quòd huius propter genus regium maior esset dignitas. Aeneas verò è Sicilia per Tyrrhenum mare nauigans primùm in Italiã appulit ad portum Palinurum, qui ab vno gubernatorum Aeneæ defuncto ibi nomen id sortitus est. deinde insulam tenuerunt, cui nomen indiderunt Leucasiæ, ab Aeneæ nepte circa hæc loca mortua. Illinc deuecti ad portum bonum ac profundum in Opicis, extincto ibi quoque Miseno viro nobili, ab illo portũ denominauerunt. inde ad insulam Prochytam & eius promontorium Epityches deuecti, locis hæc nomina fecerunt in mulierum ibi defunctarum memoriam: quarũ altera nutrix Aeneæ, cognata altera fuisse dicitur. Tandem ad Italiæ Laurentum perueniunt, vbi errorum fine inuento castrametati sunt: ideo castrorum locus Troia vocatur, distans à mari circiter quatuor stadia. In hanc autem nauigationem describendam necessariò digressus sum, quandoquidem scriptores partim negãt Aeneam cum Troianis venisse in Italiam, partim alium quendã venisse dicunt, non Anchisæ ac Veneris filium: quidã Ascanium Aeneæ filiũ, alij quosdã alios. Sunt qui Veneris Aeneam dicũt deducta manu suorum in Italiam, ipsum domũ reuersum apud Troiam regnasse, & post obitum reliquisse regni successorem Ascanium, eiusq; progeniem tenuisse id regnum longo tempore: vt opinor, decepti non rectè intellectis versibus Homericis. nã is poëta in Iliade sua facit Neptunum Aeneadum fata prædicentem in hanc sententiam:

Imperitabit enim Teucris Aeneia virtus,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Intelligentes igitur Homerum sciuisse horum virorum

rerum imperium in Phrygia, quasi verò non possent in Italia regnum Troianorũ tenere, reditum Aeneæ commenti sunt. Sed quid vetabat ne Aeneas rempublicam sociorum administraret vel apud exteros? nec desunt huius falsæ opinionis causæ aliæ. Quod si quem perplexum facit quòd Aeneæ sepulcra monstrentur multis in locis, nec possit nisi vno esse conditus: cogitet hanc dubitationem esse vulgarem, præsertim de iis qui in illustri fortuna vitam egerunt vagam & instabilem: & intelligat quòd quamuis vnicus locus capit corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt, in gratiã accepta vtilitatis cuiuspiam: præcipuè si superessent reliquiæ generis, aut oppidum aliquod conditum. aut sicubi longiore vsi sint hospitio. qualia de hoc etiam heroe ferunt fabulæ. Qui enim effecit vt captum non funditus deleretur Ilium, & vt ad Bebryciam salua redirent auxilia, in Phrygia regem reliquit Ascanium filium, in itinere condidit ciuitatem sui nominis, in Arcadia collocauit filias, in Sicilia reliquit partem exercitus, in multis aliis locis hospitaliter est habitus, conciliauit sibi hominum eorum beneuolentiam: qua factum est vt postquam inter mortales esse desiit, multis in locis monumentis & sepulcris honoratus sit. alioquin non facile attuleris causam cur tot exstent per Italiam. Sed de his aliàs dicetur quando postulabit occasio. Quo minus autem remotiores Europæ partes Troiana classis peteret in causa fuerunt oracula, finem sortita in his regionibus, & numinis voluntas variis modis sese proferens. Postquam enim in Laurentino portu tentoria fixerunt per littora, cum siti laborarent ob aquarum inopiam (dicam quod ab incolis loci didici) fontes spontanei laticis suauissimi è terra visi sunt prorumpere, qui aquationẽ præ-

buerunt toti exercitui: & locus factus est irriguus, fontanis aquis vsque ad mare decurrentibus. nunc tamen non adeo redundant vt quicquam inde profluat, sed in concauo loco restagnat aqua modica, sacra Soli vt credunt accolæ. monstrantur apud eã aræ duæ, quarum altera orientem solem spectat, occidentem altera, vtrunque Troianorum opus: in his Aeneam fabulantur deo mactasse primam victimam, in gratiam acceptorũ fontium. Deinde prandium eis humi sumentibus, multi vice mensæ cibis substrauerunt apium, vel sicut alij dicunt crusta triticea, quo vescerentur mundius. absumptis autẽ cibis appositis, cùm vnus atque mox alter non temperarent ab apiis siue crustulis suppositis, quidam ex Aeneæ filijs, vt fertur, siue is fuit alius quispiam è commilitonibus, exclamat: Etiam mensas consumpsimus. quo audito omnes turbati sunt, vt qui tum demum oraculi euentum cernerent. acceperant enim quoddam responsum apud Dodonam, vt nonnulli scribunt: vt alij malunt, in Erithris Idæ viculo, vbi habitabat Sibylla eius loci nympha fatidica. hæc iusserat eos nauigare occidentem versus, donec eò locorum peruenirent, vbi mensas comederent, quod quàm primum factum animaduertevint, quadrupedis ductu, vbicunque fessa procubuerit, condendum esse oppidum. Huius oraculi tum admoniti, alij penates è naui transferunt quò Aeneæ placuit: alij subsellia sibi adornant & altaria: mulieres sacra cum vlulatu & choreis adferunt. Aeneas verò & socij, paratis omnibus ad sacrificium, coronati consistunt circum altaria. Interea dum hi vota faciunt, porca destinata ad victimam, grauida tum & vicina partui, parantibus eã mactare sacrificis, proripit se excussis vinculis petens mediterranea. Sensit Aeneas hanc profecto

quadr

quadrupedem designasse oraculum, eámque cum paucis mox subsequitur à tergo paulo remotior, veritus ne strepitu territam à via fatali auerteret. illa fermè viginti & quatuor stadiis à mari digressa in collem quendam procurrit, ibique fessa quieuit. At Aeneas qui animaduertebat finem oraculi, videns eum agrum & terram habere nō bonam, & procul abesse à mari, eóque importuoso, incertus erat animi, vtrum deberet parere vatum monitis, & male per omnem vitam habitare in bonarum rerum inopia, an longius meliorem terram quærere. Hæc agitanti, & incusanti numina, repente vox quædam è nemore accidisse dicitur, incerto autore edita, iubens maneret ibi & celeriter oppidum conderet, néve præsenti hæsitationi indulgens, quasi agrum habiturus ad degendam vitam parum commodum, breui pòst venturam felicitatem pateretur elabi è manibus: esse enim in fatis vt ex hoc inopi & modico profecti domicilio, tandem multos ac bonos agros acquirant: eorum verò liberi & posteri sibi parent imperiū longe amplissimū, & plurimis duraturum seculis. in præsentiarum Troianos debere cōtentos esse his sedibus. post totidem annos quot sus porcellos pepererit, fore vt illius posteri condāt aliam vrbem magnam & florentem opibus. Tum verò Aeneam, ratum diuinam esse vocem, imperata fecisse. Alij narrant heroi solicito & languenti præ mœstitia, & neque ad exercitum descēdenti, neque cibum admittenti sed illic ita vt erat cubanti noctem illam, astitisse in somnis miram quandā deorum penatium speciē, & præmonuisse quæ modò dicta sunt. Deus nouit vtrum sit verius. Postera die sus triginta porcellos peperisse dicitur, & post totidem annos à Troianis aliam vrbem esse conditam iuxta vocem fatidicam, de qua suo loco memo-

rabimus. Aeneas fœtum suis vnà cum matre diis penatibus sacrificat in eo loco vbi nunc est septum ligneum: quem Lauinienses sacrum existimantes ab eius aditu arcent exteros: iussisq; Troianis mouere castra, deorum suorum effigies transfert in sacellum constructum collis loco opportunissimo: continuóque oppidum ædificare magna omnium alacritate aggreditur, excurrens in circumuicina, & rapto quærens quicquid opus erat ad munienda instruendáque noua ædificia, & non sine agrestium iniuria, ferrum, materiem, instrumentúmque rusticum diripiens. Interea Latinus, cuius tum erat regnum, aduersus finitimos Rutulos bellum gerens aliquoties parum feliciter pugnauerat: ei mox terribilis nuntius aduolat, vastari totam oram maritimam ab externo exercitu: cui nisi occurratur celeriter, fore bellum cum vicinis difficilius. His auditis metus virum subiit, confestimq; intermisso præsenti bello, in Troianos ducit magnum exercitum. Videns autem eos armatos more Græco, & seruatis ordinibus impauidè expectantes instantē Martis aleam, frustratus spe qua putarat se debellaturum eos primo impetu, deflexit nonnihil: castrisq; in quodā colle positis, decreuit primùm suos de via fessos reficere. vbi cum per noctem quiesceret paratus sub auroram cum hoste confligere, quidam indigetum dæmonum in somnis illi astitit, monens vt Græcos in agri partem recipiat: aduentum enim eorum esse in rem Latini maximè, bonoq; futurum vniuersæ genti Aboriginum. Itidem Aeneam dij penates eadem nocte per visionem oblati hortātur, suadeat Latino vt sponte sibi sedes concedat vbi voluerint, malitq; Græcis amicis vti quam hostibus. Itaque ambos somnium vetabat incipere prælium. Vt verò exorto die constiterant acies, vtrinque ad

duces

duces missi caduceatores postulantes eorum colloquium, id quod impetratum est. Ac prior Latinus questus peti se bello repentino & non denũtiato, rogabat Aeneam quisnam esset, quámve ob causam ageret ferrétque res suas, nulla vnquam lacessitus iniuria, nec ignorans quod inferenti bellum fas sit armis resistere: offerebatq́ ei quicquid cuperet modestè atque amice à volentibus ac lubentibus suis ciuibus accipere, quantumuis ille violato iure gentiũ, sine vllo honestatis respectu maluisset per vim vsurpare non sua. Ad hæc Aeneas respondit: Nos Troiani sumus genere, profecti ab vrbe apud Græcos non incelebri: qua post decennale bellum ab Achæis capta, errabundi vrbem aliam & agros vbi habitemus in posterum quærimus: dijsq́ ita iubentibus huc peruenimus, qui pollicentur hanc solam terram fatalem portum fore nostris erroribus. ex agris autem vestris ad victum necessaria quærimus miseriæ nostræ magis quã honesti memores, quod quidem in hac rerum nostrarum nouitate factum nolumus. sed hanc iniuriam pensabimus multis beneficiis & officiis offerentes vobis & corpora & animos duris iam rebus exercitos, quibus vestro arbitratu vtamini: à vestris agris omnem iniuriã abstinebimus, hostiles vero vnà vobiscum fortiter occupabimus. vos supplices oramus anteactorum veniam, quam non grauatim concedetis, si reputetis necessitatis non superbiæ fuisse hoc facinus: quandoquidem omne peccatum inuoluntarium meretur veniam. quare æquum fuerit vos nihil durius consulere in supplices. alioquin deos & dæmones huius terræ præsides cum pace ipsorũ testamur, quod inuiti arma inferentibus repugnabimus. nec enim primum hoc bellum gesturi sumus nec maximum. Ad hæc Latinus: Equidem & Græcorum omne

genus diligo, & fatalibus hominum casibus condoleo, essetq́; mihi curæ vestra incolumitas, si compertum haberem venisse egenos certarum sedium, & fore contentos agris concessis per amicitiam, neque conaturos meam ditionem vi mihi eripere. quod si vera sunt quæ dicitis, fidem date & accipite, quæ nostra sine dolo malo confirmet fœdera. Aenea verò probante regis sententiã, fœdus inter vtrosque ictũ est his conditionibus: vt Aborigines darent Troianis agri quantum peterent, à colle quoquouersus stadia circiter quadraginta: Troiani Aboriginibus essent in præsenti bello socij, eorúmque auspiciis vbicunque vsus postulauerit, militarent: vtrique alteros pro viribus iuuarẽt mutuum tã manu quàm consilio. Hæc pacti datis vltro citroque obsidibus communem expeditionem in Rutulos faciunt: breuique captis vniuersis illorum oppidis reuertuntur ad semiperfectum Troianorum ædificium, & pari omnes alacritate id muniunt. ei nomẽ Aeneas indidit Lauinium, vt ipsi Romani dicunt à Lauina Latini filia: vt Græci quidam fabulatores, ab Anij filia regis Deliorum, eodem vocata nomine: in cuius morbo per id tempus extinctæ ibiq́; sepultæ memoriam oppido vocabulum aiunt impositum. hanc Aeneæ precibus impetratam à patre nauigationis comitem, quòd sapiens esset ac fatidica. Fertur dũ Lauinium conditur oblata Troianis quædam prodigia: in nemore orto sua sponte incendio, lupum ore aggessisse fomitem aridum, aquilam verò alarum ventilatione flammam excitasse: vulpem contrà cauda in flumen intincta ignem conatam extinguere: & nunc accendentibus, nunc extinguente, præualentibus, tandem vicisse duos, illam verò abiisse conatu irrito. Quo viso Aeneam dixisse, illustrem quidem & mirandam futuram eam coloniam,

niam, sed suis incrementis inuidiosam & molestam exteris: fore tamen vt tandem vincat aduersarios, humanæ inuidiæ præualẽte fauore numinũ. tum insigne futuræ vrbis fortunæ præsagium tunc accidisse dicitur: extantq́ rei monumenta in foro Lauiniensium effigies æreæ horum animalium, asseruatæ longissimo tempore. Absoluto Troianorum oppido, animos omnium cupido incessit demerendi socios mutuis officiis: & initium huius rei factum est à regibus. qui per connubiũ æquauerunt dignitatem exterorũ atque ciuium, Aenea Latino in vxorem dante Lauinã filiam. Dein exemplo regum cæteris quoque animo suo morem gerentibus, breui admodum tempore collatis in vnum moribus, legibus, & deorũ cæremoniis, communicato per connubia genere ac iure ciuium, commixta ex vtrisque Resp. & appellatione desumpta à rege Aboriginũ, Latini vocati adeò coaluerunt firmiter stantes pactis, vt nullo vnquam tempore ab inuicem discedere aut separari potuerint. Atque hæ sunt gentes quibus in vnũ conuenientibus Romanũ genus concreuit, ante vrbem quã nunc habent conditam: primùm Aborigines qui ex his locis eiecerũt Siculos, ipsi Græci oriundi à Peloponnesiis cum Oenotro ab Arcadia profectis quantum ego comperio. deinde Pelasgi qui demigrarunt ab Hæmonia, vt tunc vocabatur: ea nunc est Thessalia. tertij comites Euandri delati ad Italiam ex vrbe Palantio. post hos è Peloponnesiis Herculi militantibus Epei atq; Pheneatæ, quibus & Troiani generis nonnihil permixtum fuerat. postremò Aeneæ socij elapsi ex Ilio, Dardanoq́, & cæteris Troianis oppidis. Quòd autẽ etiam Troiani cum primis Græcanica natio fuerint profecta olim à Peloponneso, dictum est quidẽ iam pridem & ab aliis, dicetur tamen à me quoq;

breuibus. Narratur autē de illis hoc modo. Primus in ea quæ nunc vocatur Arcadia regnauit Atlas, habitans circa montem Caucasum. Huic filiæ fuere septem, nūc relatæ inter sidera nomine Pleiadum. vnam ex his Electram duxit Iupiter, ex qua susce pit filios Iasum & Dardanū. Iasus mansit cælebs, Dardanus vxorem habuit Chrysen Palātis filiam, & ex ea filios Idæum & Dimantem, qui Atlanti mox successerunt in regnum Arcadiæ. deinde cum ingens diluuium accidisset per Arcadiam, aquis in planitie camporū stagnantibus, homines ad mon tana se conferre coacti parco victu sustentabant vitam: cuius pertæsi & animaduertentes quòd reliquus ager alendis omnibus non sufficeret, totum po pulum in partes duas diuidunt. altera in Arcadia mansit Dardani filio Dimanti regno credito. reliqui magna classe demigrarunt è Peloponneso. hi præter Europam nauigantes in Melanem sinum deueniunt, in portum cuiusdam insulæ Thraciæ, de qua non possum affirmare certáne an prius quoque habitata fuerit: ei Samothracia nomen fecerunt ex loco & viro compositum. ipsa enim ad Thraciam pertinet: habitator autē eius fuit Samon Mercurij filius & nymphæ Cyllenicæ Rhenes nomine. ibi non diu cōmorati, quòd molestam vitam agerent pugnantes simul cum sterilis terræ & maris asperi difficultatibus, paucis aliquot in insula relictis migrarunt denuo, maior pars in Asiam, deducente coloniam ipso Dardano. nam Iasus in insula fulmine ictus periit, attentata Cereris pudicitia. exscensione autem facta in Hellesponto, eam quæ nunc est Phrygia terra habitauerunt: Idæus Dardani filius cū parte exercitus montes qui nūc Idæi ab illo vocantur: ubi cōdito Matri deûm templo my steria & sacra instituit, quæ ad hæc vsque tempora

durant

durant per totam Phrygiam. Ipse autē Dardanus in ea quæ nunc Troas est sui nominis oppidum condidit, acceptis agris à rege Teucro à quo Teucris tunc dicebatur ea regio. Hunc & alij multi, & Phanodemus qui scripsit de antiquitatibus Atheniensium, aiunt ex Attica sedes transtulisse in Asiam, cum esset princeps pagi Aexonensis, multisque argumentis fidem suo sermoni adstruunt: & quod occupasset terrā magnam & bonā, nec multos habentē indigenas, libenter vidisse Dardanum cū Græcorū copiis, tum ut sociis uteretur contra hostes barbaros, tū ne terra careret cultoribus. Nunc ut etiam de maioribus Aeneæ dicamus locus postulat, id quod paucis indicabitur. Dardanus post Chryses Palantis filiæ, quæ primos filios ei peperit, obitum Bateam duxit Teucri filiam. ex his filius prognatus est Erichthonius, qui fertur fuisse omniū hominum fortunatissimus, quòd simul in patris & materni aui ditiones hæreditario iure successerit. is è Calliroë Scamandri filia Troem genuit, à quo genti nomen impositum. Trois & Acalidis Eumedis filiæ fuit Assaracus: huius porrò & Clytodoræ Laomedontis filiæ Capys, Capyis & nympha Naidis Anchises, Anchisæ & Veneris Aeneas. Itaq; Troianū genus oriundū à Græco satis declarauimus. Cæterùm de tempore quo Lauinium est conditum autores variant: mihi propiores vero videntur, qui secundo anno post discessum à Troia id factū autumant. Ilium enim captum est vergente iam æstate, XVII. dieb. ante solstitium, octaua deficientis Thargelionis iuxta supputationē temporū Atticū. supererant ex eo anno post solstitium dies viginti. in his triginta septem diebus qui captam urbem secuti sunt, existimo Achæos res eius cōposuisse, & per legatos egisse cū his qui defecerant, istáq; tunc

cum eis fœdera. Sequenti autem anno, qui ab vrbe capta fuit primus, circa æquinoctium autumnale Troiani soluentes à terra Hellespontum traiiciunt: delatique in Thraciã exegerunt ibi hiemem, colligentes profugos. & futuræ nauigationi sese apparantes. ex Thracia verò primò vere profecti, emensi sunt mediũ spatium vsque Siciliam. in eius portu manserunt vsque ad eius anni exitum: vbi etiã altera hiems exacta est, dũ Elymis oppida condunt in ea insula. mox vt mare visum est nauigationem admittere, soluentes à Sicilia traiiciunt mare Tyrrhenicum, tandémque Laurentum ad Aboriginũ littora perueniunt, æstatis eius medio: acceptóque agro condiderunt in eo Lauinium, expleto anno secundo post captum Ilium. Et de his quidem rebus opinionem nostram indicauimus. Cæterùm Aeneas postquã templis cæterísque ornamentis abundè instruxit id oppidum, quorum pleraq; durauerunt ad nostra tẽpora, sequenti quidem anno, hoc est post discessum suum tertio, Troianorum tantum rex fuit. quarto verò succedens defuncto Latino, etiam illius regno potitus est, tũ affinitatis iure quòd id esset Lauinæ patrimonium, tum quòd ducẽ haberent ardente bello vt cum maxime. Rutuli enim denuo defecerant ductu cuiusdã trãsfugæ. is erat Turnus, nepos Amatæ Latini coniugis. qui propter Lauinæ nuptias incusans socerum, quasi cognatus ipse posthabitus sit exteris, Amata quoque instigante, & aliis quibusdam fauentibus, cum militũ manu, cui præerat, ad Rutulos transierat. Ex his causis redintegrato bello, & commisso acri prælio, Latinus cecidit atque Turnus, cũ multis aliis. Aeneas tamen & victoriam consecutus est, & accessionem regni soceri: in quo tribus annis exactis post Latini obitum, quarto bellum gerens interiit. nam

&

& Rutuli arma contra eum ſumpſerunt populariter, & rex Tyrrhenorum Mezentius, timens ſuæ ditionis oppidis, quòd ſuſpectam haberet creſcẽtem magis ac magis Græcorum potentiam. Itaque pugnatum eſt acriter non longe à Lauinio, & multis vtrinque deſideratis nox diremit prælium. corpus Æneæ cum quæſitum nuſquam compareret, alij coniectabant eum diſceſſiſſe ad deos, alij necatum in flumine apud quod pugnauerant. Latini ſacellum heroi dicauerunt cum inſcriptione hac. PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. *Sunt qui dicant id Æneam dicaſſe Anchiſæ, defuncto ante hoc bellum anno proximo. eſt autem tumulus non magnus, & circùm dignæ ſpectatu in ordinem digeſtæ arbores. Ænea tranſlato ad ſuperos ſeptimo fermè anno poſt captum Ilium, Euryleon regno Latinorum potitus eſt, mutato nomine in fuga dictus Aſcanius. Obſidebantur tum Troiani creſcentibus hoſtium copiis, nec Latini poterant Lauinio ſuccurrere. ac primùm ad æquas pacis conditiones hoſtem prouocabat Aſcanius: quæ cum faſtidirentur, coactus eſt illi permittere arbitrium, modò pax fieret. ſed cum Thuſcus rex ſuperbè quaſi captis leges imponeret, vt quantum vini Latinus ager ferret quotannis deportarent in Etruriam, rem indignam rati, vinetorum fructum Ioui ſacrum eſſe publico decreto ſanciunt ex Aſcanij ſententia: ipſi cohortati ſe inuicem ad rem gerendam fortiter, inuocatáque ope numinum, erumpunt obſeruato lunæ ſilentio: móxque aggreſſi propinquum vallum, quod ſibi hoſtes in loco munito obiecerant, præſidiumque iuuentutis Etruſcorum lectiſſimæ duce Mezentij filio Lauſo impoſue-*

teri qui tendebant per planitiem, vt videre lumen intempesta nocte exortum subito, & voces audiuere morientium, in montana ex campestribus refugiunt: erántque omnia plena trepidatione atq; tumultu, vt solet fieri turbato per noctem exercitu, dum metu imminentium hostium non potest miles contineri in ordinibus: Latini autem expugnato repentina vi præsidio turbatum reliquum exercitum animaduertentes instabant fugientium tergo sternentes trepidos: qui adeo virtutis erant immemores, vt vix satis intelligerent in quanto essent periculo: sed præ nimio tumultu inopes animi atq; consilij, pars iactantes se per prærupta loca exhalabant animam, alij delati in valles imperuias, veniebant in potestatem hostium. maxima pars sublato per tenebras discrimine, conficiebant se inuicem pro hostibus. pluresq; suis quàm hostilibus armis interfecti sunt. Mezentius cum paucis occupato quodam tumulo, postquam audiuit mortem filij, tantámque stragem exercitus, & reliquum quàm in angustum coactum sit cogitans, vt in rebus dubiis misit caduceatores Lauinium acturos de fœdere: & quia Latini suadente Ascanio moderatè fortuna vsi sunt, impetrata pace reductisq; vt poterat copiis, posthac constanter mansit in amicitia. Trigesimo autem anno post conditũ Lauiniũ, ascitis etiam aliis Latinis quos commodius habitandi cupido ceperat, Ascanius nouam deduxit coloniam. Alba dicta est: Græci sua lingua Leucam dicerent, additum est cognomen Longæ, à situs forma, vt discerneretur ab altera eiusdem nominis, iunctímque Alba longa vocaretur: nunc tamen deserta est. nam regnante Romæ Tullo Hostilio, quoniam videbatur cum sua colonia de principatu contendere, solo æquata est à Romanis, & ciues Romã

adducti populariter. Sed hæc euenerunt postea. olim cùm habitabatur, medium inter montem & lacum obtinebat spatium, natura loci munitissima, nam & mons cum primis altus est ac arduus, & lacus profundus ac magnus: ex quo reductis claustris in subiectos cāpos dispensatur aqua collicibus arbitratu agrestium. prospectat autem in agrum amœnissimū & omnis generis frugū fertilissimum, nec cedentem vlli agro Italiæ, præcipuè bonitate vini suauissimi, præcellentis omnibus reliquis, si Falernum excipias. Dum autem conderetur accidisse ferunt mirum prodigium. nam cum penatibus, quos Aeneas à Troia deuectos Lauinij collocauerat, templum extructum esset cum adyto, & delubra Lauinio translata in intimum templum recondita, sequenti nocte clausis vt cum maximè foribus, & inuiolatis tecto simul atque parietibus, sponte sua simulacra in pristinas bases transisse reperta sunt: denuóque Lauinio transportata cum votis & sacrificiorum placaminibus, in eundem locum rursum reuersa sunt. Dubitatum est diu quidnam facto opus esset, cum neque sine diis patriis habitādum censerent, neque in semel relictas sedes remigrandum. tandem placuit sententia quæ & religioni deorum & vtilitati hominum satis faceret. visum enim est simulacra suo loco sinere, & viros qui sacrorum curam gerant ex Alba ad Lauinium habitandum reducere. fuerunt hi sexcenti numero, commigrarúntque illò cū totis familiis duce Aegesto. Hos deos Romani penates vocāt, Græci vario modo conati significationem reddere, nunc πατρώους, nunc γενεθλίους, alij κτησίους aut μυχίους, aut ἑρκίους. harum appellationū singulæ iuxta aliquam proprietatē eis congruunt: fieriq́ potest.

eorum effigiem atque habitum Timæus describit, in hunc modum: sacra, apud Lauinium reposita esse caducea partim ferrea, partim ærea, Troianumq; vas fictile: idq; se cognouisse ait ex ipsis ciuibus. Ego verò quæ videre non est fas omnibus, neque audienda ab his qui viderunt, neque scripto prodenda censeo: neque illos probo qui curiose inquirunt plura quàm concessum est legibus. Quæ autem mihi ipsi sunt cognita, nec vlla religio vetat scribere, sunt hæc. Templum Romæ non procul foro ostenditur, secundum viam quæ ad Carinas fert compendio, situm in loco obscuro propter circũiecta ædificia, qui Romano vulgo sub oliuis dicitur. in eo positæ sunt Troianorum deorum imagines, quas cuiuis fas est inspicere, cum inscriptione Denates, quæ penates significat. videntur enim mihi prisci ante inuentum P, vsurpasse pro eo D literam. sunt autem hastati duo iuuenes habitu sedentium admodum antiqui operis. alia quoque multa in antiquis templis horũ deorum idola conspeximus, & in omnibus duos iuuenes militari habitu. Hæc igitur videre fas est, audire autem de illis & scribere dũtaxat ea quæ exstant in Callistrati historia quam edidit de rebus Samothraciæ, & apud antiquarum fabularum collectorem Satyrum, & Aratinum poëtam omnium quos scimus antiquissimum, apud quos ita legitur. Chrysen Palantis filiam nuptam Dardano attulisse dotem Mineruæ munera, videlicet effigies ipsius deæ, simúlque sacra Magnorum deûm, quorum mysteria didicerat. Sed postquam diluuium fugientes Arcades relicta Peloponneso fixerunt sedes in insula Thraciæ, Dardanum ibi templum exstruxisse his diis, nemini communicato eorum nomine: mysteriáque illis instituisse, quibus & hodie mos est initiari in Samothracia. deinde dum maiorem

rem

rem populi partem transportaret in Asiam, sacra quidem ac mysteria penes eos reliquisse, qui manserunt in insula, palladia verò secum abstulisse & deorum imagines. cúmque oraculum de sedibus cõsuleret, inter cætera de asseruandis sacris sic esse admonitum.

Fata dabunt vrbem, poteris qua condere sacra,
Cælicolásque illic festis colere atque choreis.
Muneranámque deæ seruabis arce reposta
Palladis: hæc quondam cepit tua regia coniux,
Seruatura tuam duris procul omnibus vrbem.

Atque ita Dardanum in condita vrbe noua & à se denominata deposuisse hæc simulacra. postea cum Ilium habitari cœpisset, reges illò transtulisse hæc sacra gentilitia: dicatúmque his ab Iliensibus in arce templum cum adyto: ibique asseruata quàm possent diligentißimè, omnibus missa diuinitus existimantibus, & penes illa esse incolumitatem publicam. Aeneam autem capta inferiore vrbe, potitum arce, sacra Magnorum deûm abstulisse cum altero quod supererat palladio: nam alterũ nocturno furto surreptum Vlyxis ac Diomedis insidiis, cum his fugisse ex vrbe, & secum ea deportasse in Italiam. Aratinus autem dicit à Ioue donatum Dardano unum Palladium; & hoc in Ilio vsque ad eã vrbẽ captã absconditũ in loco inaceßibili. ad eius exemplar effictam imaginẽ indiscreta similitudine propositã in propatulo, ad fallendas insidias, eáq; furto Achæos subduxisse. Itaque secutus autores idoneos aio sacra per Aeneã translata in Italiam esse Magnorum deûm imagines, quibus inter Græcos Samothraces initiantur præcipuè: fabulosumq; illud palladium, quod dicunt in templo Vestæ custodiri à sacratis virginibus, vbi etiam asseruatur ignis perpetuus: de quibus dicetur aliâs. potest autem

 fieri

fieri vt nos profani homines ignoremus cætera. Et de sacris Troianis hæc dicta sufficiant. Ascanio autem defuncto regni sui vigesimooctauo anno, Siluius assumpsit imperium frater Ascanij, post mortem Aeneæ sui patris ex Lauina genitus Latini filia, quem ferunt inter pastores educatū in montibus. cùm enim regno potitus esset Ascanius, grauidatum Lauina metu nouercali commisit se fidei Tyrri cuiusdam subulci regij, quem Latino cū primis familiarem fuisse nouerat. is abductam in deserta siluarum quasi vulgarem quampiā mulierem procul arbitris alebat constructo in nemore tugurio: natūq́; infantem nutriuit & educauit nominatum à silua Siluium: Græci Hylæum dicerent. Tempore autem procedente vt cognouit Latinos diligenter quærere puellam & suspectū esse de eius nece Ascanium, indicauit rem totam populo, & ipsam vnà cum puero produxit è nemore. Ita Siluius ex casu nomen inuenit, quod deinceps mansit in progenie. regnum autem adeptus est post fratris mortem non sine controuersia, quòd Iulus maior Ascanij filius postularet in paternum regnum succedere. sed eam litem populus diremit iusto suffragio, præter alias rationes hac motus præcipua, quòd Siluius matre hærede regni esset progenitus. Iulo verò pro regno honor sacerdotij repositus est, securior ac quietior, quo ad nostram vsque ætatem fruitur gens Iulia, autoris appellationem referens, & omnium quas ego sciam familiarum maxima atq; illustrissima. tulit enim viros ducum præstantissimos, virtute facilè approbantes nobilitatem sui generis, de quibus alias dicetur conuenientius. Porrò Siluius cum vndetriginta annis tenuisset imperium, Aeneā filium hæredē reliquit potētiæ, quem regno & vita exemit annus alter à trigesimo. post

hunc quinquaginta & vnũ annos regnauit Latinus, post quẽ Alba minus vno quadraginta annos. post Albam Capetus viginti sex annis regnum tenuit, Capys deinde annis duodetriginta. Calpetus post hunc in regno annum expleuit tredecimum. octauum verò successor eius Tiberinus: hunc periisse dicunt in commisso iuxta fluuium prælio, abreptúmque eius rapidis gurgitibus fecisse vt mutato pristino nomine Tiberinus vocaretur pro Albula. Agrippa huic successit, regnauitq́; anno vno & quadraginta: post Agrippam vndeuiginti Alladius, vir impius & tyrannicus is deorum contẽptor commentus est quomodo imitaretur tonitrua strepitus ac fragores edens fulmineos, vt ciuibus attonitis haberetur pro deo. Sed imbribus & veris fulminibus in eius ædes irruentibus, stagnóque iuxta quod habitabat exundante præter solitum, diluuio cum ipsis ædibus absumptus est: & nunc quoque deficiente stagno & aquis decedentibus per tranquillitatem spectantur diruta cœnacula, & habitationis alia vestigia. Auentinus post eum successit, à quo nomen vni è septem vrbis collibus, tenuitque regnum annis XXXVII. & *post hunc Proca* XXIII. *hunc proximè secutus est Amulius, qui maiore fratre Numitore pulso quæsitum iniuria regnum per annos quadraginta duos tenuit. post hunc cæsum à Romulo & Remo natis Vestali virgine, vt mox dicetur, legitimum regnum ad Numitorem rediit maternum auum iuuenum. Sequenti autem anno quo Numitor suũ regnum auspicatus est, post Ilium captum* CCCXXXII, *Albani Romuli & Remi ductu coloniã miserunt Romã anno primo septimæ Olympiadis, qua stadium vicit Daicles Mesenius, archonte Athenis Charope, decennis eius principatus anno*

primo. Quoniam autem autores multum variãt tã de tempore quo vrbs est condita, quàm de ipsis conditoribus, nec mihi videtur rẽ quasi confessam esse prætercurrendam & attingendam obiter. Nam Cephalon Gergithius scriptor antiquissimus secunda ætate post bellum Troianum ait conditã ab Aeneæ sociis ex Ilio profugis, Romo autore deducendæ coloniæ: fuisséque hunc vnum ex Aeneæ filiis. nam quatuor eum habuisse tradit, Ascanium, Euryleontem, Romum, Romulum cum hoc de tempore consentiunt Demagoras & Agathyllus multíque alij, quemadmodum & de duce coloniæ. Sed is qui mulieres recenset potitas apud Argos sacerdotio, & quid gestum sit cuiúsque tempore, Aeneam dicit cum Vlixe delatum è Molossis in Italiam vrbis conditorem fuisse, noménque indidisse illi Romæ à quadam Iliensi fœmina: quam narrat cæteras Troianas hortatam effecisse vt facto simul impetu naues exurerent, nauigationis & errorum tædio. huic astipulatur Damastes Sigeensis & quidã alij. Aristoteles philosophus scribit Achæorum partem à Troiano bello redeuntem circum Maleam cursum flexisse, correptósque ventorum vi vltro citróque diu iactatos per altũ, tandẽ appulisse ad oram Opicorum terræ quæ vocatur Latium, Tyrrhenóq; mari alluitur. cúmque optati littoris desiderio naues illò subduxissent, exegisse ibi totam hiemẽ, dilata nauigatione in verna tempora. sed cùm naues eis conflagrassent nocturno incendio, profectionis facultate adempta necessitatem in voluntatem vertisse, fixisseq; sedes in agris ad quos appulerant. eum casum obuenisse illis captiuarum Iliensium opera, quòd metuentes ne se domum in seruitutem abducerent, ignem in naues coniecerint. Callias autem Agathoclis rerũ gestarum scriptor, Romam quan-

dam

*dam Troianam fœminam cum cæteris Troianis de-
latam in Italiam nupsisse Latino Aboriginum re-
gi, peperisseq́ ei filios duos Remum & Romulũ, à
quibus conditæ vrbi nomen matris impositum. Xe-
nagoras historicus Vlyxis & Circes tres fuisse filios,
Romum, Antiam, Ardeam. eósque conditis tribus
oppidis, à se indidisse illis nomina. Dionysius Chal-
cidensis consentit quidẽ de autore vrbis Romo, sed
eum iuxta quosdam Ascanij filium fuisse dicit,
Emathionis iuxta alios. nec desunt qui dicant Ro-
mam conditam ab Itali filio Romo, nato ex Ele-
ctra Latini filia. Possem & alios multos Græcorũ
scriptores adducere variantes de vrbis conditori-
bus, sed ne verbosior videar, præstat transire ad Ro
manos, apud quos nemo antiquus exstat nec fabu-
larum autor nec historiæ: vnusquisque tamen ali-
quid desumpsit ex antiquis tabulis, quæ in templis
seruantur dicata numinibus. Horum quidã volũt
Aeneæ filios fuisse conditores vrbis, Remum & Ro
mulum: alij nepotes ex filia, tacito patris nomine.
hos Aeneam Latino Aboriginum regi dedisse ob-
sides ex fœdere icto inter indigenas & aduenas:
pueróſque benignè apud regẽ habitos non solũ edu-
catos liberaliter, verum etiã cũ is absque virili stir-
pe decederet, relictos ex parte quadam hæredes im-
perij. Alij dicunt Aenea defuncto Ascanium ex
asse hæredem regni relictum assumpto principatu
agros & opes Latinorum tripartito diuisisse cum
Romulo & Remo fratribus. ipsum deinde Albam
condidisse & alia quædam oppida. Romulum verò
Capuam dictam à Capy pronuo, Anchisam de An-
chisa aui sui nomine, & de patris autem Aeneam:
quæ pòst fuit Ianiculum, Romam quoque de suo.
hanc aliquanto pòst desolatã, rursum Albanis aliã
coloniam eò Romuli & Remi ductu mittentibus*

accepisse habitatores: vt iam eadem vrbs intelligatur bis condita, semel non multo post belli Troiani tẽpora, iterum ætate exinde quintadecima. Quod si quis velit rem altius etiam repetere, tertiam quandam Romam his antiquiorem inueniet, vt quæ ante Aeneæ Troianorúmque in Italiam aduẽtum fuerit. Hoc autem nec vulgaris aliquis, nec recens scriptor prodidit, sed Antiochus Syracusanus, cuius iam supra memini. Is ait Morgete in Italia regnante (Italia tum erat ora quàm longa à Tarento Pestum vsque protenditur) venisse ad eum quendam Romanum exulem. verba ipsius sunt hæc. Postquam autem Italus consenuit, Morges pro illo regnauit. huius tempore venit à Roma vir quidam profugus, nomine Siculus. Atque ita ex autoritate Syracusani huius scriptoris inuenitur quædam antiqua Roma Troianis temporibus superior. vtrum autem eodem loco sita fuerit vbi nunc habitatur ea vrbs, an alius locus idem nomen habuerit, quemadmodum ipse incertum reliquit, ita nec ego coniicere valeo. Et de priscis quidem eius conditoribus hæc dixisse sufficiat. Extremam autem Romæ conditionem, siue ea deductio habitatorum potius dicenda est, siue quidcunque aliud, Timæus Siculus nescio quam regulam secutus, ait congruere in tempus quo Carthago est condita, trigesimooctauo anno ante primam Olympiadem: Lucius autem Cincius, in quartum annum Olympiadis duodecimæ. Portius Cato Græcam temporum rationem nõ indicat, alioquin cum esset diligens collector antiquæ historiæ, dicit quadringentis triginta duobus annis posteriorem bello Iliaco: quod tempus dimensum iuxta Eratosthenis Chronographias incidit in annũ primum Olympiadis septimæ. Esse autem in-

corrupt

corruptas regulas quibus Eratosthenes usus est, & quomodo ad eas dirigenda sit Romana temporum ratio, alio tractatu declarauimus. Nolui enim, sicut Polybius Megalopolitanus fecit, hoc tantum dicere, quòd circiter secundum annum septimæ Olympiadis Romam conditam comperi: neque vni & soli Anchisensium tabulæ fidem inexploratam habere: sed malui supputationes in medium propositas iudicio cuiusuis lectoris relinquere. Et exacta quidem ratio illic indicata est: hîc necessaria tantum dicentur in hunc modum. Gallorum expeditio qua Roma capta est, fuit vt omnes ferè autores consentiunt, Athenis summum magistratum gerente Pyrgione, circiter primum annum nonagesimæoctauæ Olympiadis. quod si retrorsum tempora supputes vsque ad L. Iunium Brutum, L. Tarquinium Collatinum, primos Romanorum post expulsum regem consules, complectentur annos centum & viginti: sicut apparet cum ex aliis multis, tum è censoriis commentariis quos à patribus filij per manus accipiunt, & ipsi posteris pari cura tradunt haud secus quàm sacra paterna & gentilitia. hi per viros illustres seruantur in familiis censoriis. in eis inuenio altero ante captam vrbem anno censum populi Romani habitum, cui quemadmodum & aliis tempus adscriptum est hoc: L. Valerio Potito, T. Manlio Capitolino COSS. post expulsos reges anno centesimo vndevigesimo: vt colligatur sequentem annum quo irruptio Gallorum accidit, expleto CXX. annorum numerum. iam si hoc temporis interuallum triginta Olympiadas facere compertum est, necessario sequitur primos consules magistratum iniisse archontis Athenarum Isagri tempore, circa primum annum octauæ & sexagesimæ Olympia-

 dis.

dis. Cõstat autẽ inter expulsos reges & initiũ regni Romuli annos intercessisse CCXLIIII. *quod patet ex regum successionibus & annorum numero quo quisque regnum tenuit. Nam Romulus Vrbis conditor septem supra triginta annis administrationi rerum præfuisse dicitur: post cuius obitum interregnum fuisse per annum integrum. deinde Numam Pompilium electum suffragiis populi regnasse annis* XL. *& tribus. post hunc* XXXII. *Tullum Hostilium. huius deinceps successorem Ancum Marcium* XXIIII. *post quem Tarquinium Priscum* XXXVIII. *deinde Seruium Tullium* XLIIII. *huic à se occiso successit L. Tarquinius vir tyrãnicus, & propter iuris contemptum cognominatus Superbus, regnauitque ad annum vsq; quintum supra vigesimum. supputatis autem regum annis* CCXLIIII, *Olympia. verò* LX. *& vna necesse est vt primus Romanorum rex Romulus regnum auspicatus sit anno primo septimæ Olympiadis, primo item Charopis decennalis magistratus Atheniensium. hoc enim annorum ratio postulat. quod autem tot annis regum quisque regnauerit, in illo libro declarauimus. Hæc mihi comperta sunt apud autores de tempore, quo vrbs nũc rerum domina est condita. Cæterùm de conditoribus eius quinam fuerint, aut in qua fortuna coloniam deduxerint, & quicquid ad hanc historiam attinet, dictum est quidem à multis, quibusdam etiam multum euariantibus: dicam tamen & ipse quæ mihi videntur vero proxima. ea sic habent. Amulius postquam fraudato maiore fratre Numitore occupauit Albanum imperium, præter alia multa superbè & iniustè facta, decreuit totam germani stirpem tollere, vel vindictæ metu, vel continuandi principatus cupidine. quod cõsilium cùm diu multumq;*

túmque agitasset animo, primùm filium eius Aegestum pubescentem tum maximè, in loco venationis assueto peremit, positis quàm latentißimis insidiis: & post facinus perpetratum sparsit rumores, necatum à latronibus adolescentulum. nec tamen opinio mendax tacitæ veritati præualuit, sed multi etiam suo periculo scelus id ausi sunt eloqui. At Numitor quamuis rem sciret, rationi tamen magis quàm dolori seruiens dißimulabat, in tempus minus periculosum iram cõsulto differẽs. Amulius autem credens occultum prius facinus, addidit & alterum: filiam fratris Iliam nomine: siue Ream vt alij malunt, sed cognomine Iliam, nuptiis iam maturam, Vestæ sacerdotem optauit, veritus ne virum nacta pareret vltorem auitæ iniuriæ. has puellas sacratas oportebat non minus quinquennio puras manere à nuptiis, æternúmque ignem custodire, & obire alias solennes virginibus cæremonias. Id honesto prætextu fecit Amulius, quasi ornaturus cognatam, cum nec ipse inuexisset morem hũc, & iã recepto nõ primũ inter illustres germanũ ad hoc coëgisset. nam honorificum habebatur apud Albanos nobilißimam quamque deæ famulari allectam in sacrum ordinem. Sensit Numitor non bono animo hæc à fratre fieri, indignationem tamen dißimulans ne populum offenderet, hanc quoque iniuriam celabat silentio. Quarto autem pòst anno Iliæ, sacrorum causa puram aquã in Martis lucum petenti, stuprum in fano nescio quis obtulit. quidam dicunt vnum è procis eius fuisse, amore captum virginis: alij verò ipsum Amulium, insidiatorem potius quàm seruientem libidini: septúmque armis quo magis terrorem puellæ incuteret, nec facilè agnosceretur ob insolitam cultus speciem. At plurimi fabulantur, numen ipsum cuius id fanum

erat se obtulisse puellæ ac specie: simúlque accidisse præter alia prodigia deliquium solis & repentinam caliginem: spectrumq́; id forma fuisse augustiore ac statura quàm vt videri posset humani sanguinis. quin & bono animo iussam esse virginem, vt quæ diuinis dignata sit complexibus, copula nuptiali coniuncta cum eius loci genio, paritura è violento concubitu geminos longè præstantissimos virtute bellica. his dictis nube susceptum, & sublimem ablatum per aërem. Et de his quidem quid opinandum sit: vtrum contemnenda tanquam de diis figmenta hominum, nulla ministeria rerum digna immortali & beata illa natura sustinentibus: an etiam tales admittendæ historiæ, quòd permixta sit vniuersa mundi essentia, & media quædam deos inter mortalésque natura quæ dæmonum generi attribuitur, vnde mixta origo heroici generis. non est præsentis temporis disputatio, & satis de hac re dissertum est à philosophis. cæterùm post vim illatam sibi puella infirmitatem prætexens matris monitu, quo & ipsa esset tutior, & sacrorum lateret iniuria, re diuina abstinuit, ceteris eius collegij virginibus vicem ipsius obeuntibus. At Amulius siue facti conscientia, siue suspicione verisimili motus, perscrutatus est causam intermissi diutius officij: missísque in hoc medicorum fidissimis, cum mulieres secretum morbum & haudquaquam proferendum esse causarentur, vxorem suam puellæ custodem apposuit. quæ postquam rem muliebribus coniecturis deprehensam ad maritum detulit, adhibitis armatis asseruari eam iussit, ne clam eniteretur iam partui proxima. ipse verò aduocato fratre in concilium, stupri fecit indicium dissimulati hactenus, incusans eius parentes vt culpæ conscios, & iubẽs rem totam eos proferre in medium, ibi Numitor

mitor ait se præter omnem expectationem hæc audire, essiq; ab hac culpa alienißimum: simulq; temporis spatium postulat, quo posit de his certius inquirere. Quod vbi ægrè impetratum est, cognitis ex vxore quæ puella à principio narrauerat, à deo se vim perpessam, & quid ille de gemina prole prædixit, postulabat vt fides penes euentum esset, si forte partus responderet oraculo iam enim parturitionem instare, nec fore fallaciis locum vlterius. famulas quoque asseruatrices filiæ offerebat ad quæstionem, nulla recusans indicia. Hæc eius postulata probante concilio, solus Amulius nihil sani aiebat inesse fratris causationibus, modis omnibus cupiens virginem perdere. Interea superueniunt custodes puerperij, nuntiantes editos geminos infantes masculos. Tum verò Numitor vehementius asseuerare deum auctorem eius facinoris, & abstinendam ab insonte puella omnem iniuriam. Amulium verò incesit suspicio, humana fraude non caruisse negotium mulieribus paratum in hoc habentibus infantem alterum, & deceptis aut etiam corruptis custodibus: multáque in hanc sententiam verba protulit. Tum iudices postquam intellexerunt mentem regis implacabilem, eandem & ipsi dixerunt sententiam, vt iuxta legem mater ob violentam pudicitiam virgis ad necem caderetur. proles verò abijceretur in fluuiū. Nunc autem viuæ defodi tales iubentur sacratis legibus. Hactenus plerique scriptorum consentiunt, aut nō multum variant, alij ad fabulas, alij ad veritatem accedentes propius: procedente autem narratione discrepant. Sunt enim qui confestim necatam puellam tradant: nec desunt qui malint coniectam in occultum carcerem cumq; perpetuum vnde necatā esse vulgo creditum. Dedisse autē hoc Amuliū filiæ precibus, postulantis in suā gratiam

gratiam remitti consobrinæ supplicium. æquales enim fuerunt eisdémque vsæ nutricibus, & sororis appellatione mutuum se salutare solitæ. Huic vtpote vnicæ filiæ donasse regem Iliam reuocata capitali sententia, sic tamen vt clam teneretur in carcere, vnde post Amulij mortem liberata sit. Atq; hæc sunt in quibus de Ilia veterum commentarij variant, vtraque opinione verisimili: quapropter vtriusq; meminisse libuit, quo liberum sit lectori alterutrum eligere. De natis autem ex ea Q. Fabius Pictor, L. Cincius, Porcius Cato, & Calpurnius Piso aliique scriptores complures sic tradunt. infantes Amulij iussu in alueo delatos à ministris quibusdam, proiiciendos in fluuium distantem ab vrbe fermè C X X. *stadiis. Eos cum accessissent, animaduertissentq; exundantem in campos & restagnantem præ continuis imbribus Tiberim, degressos à Palantij vertice ad aquam proximam, quòd non daretur vlterius procedere: ibique quà subiectam colli planiciem vnda texerat, in alluuie relictum alueum: qui aliquantisper fluitans, tandem paulatim recipientibus se aquis impactus saxo & subuersus effudit pueros. hi vagientes dum volutantur in cœno, lupa forte superueniens distentis à recenti partu vberibus, mammas eis præbuit, lingua simul abstergens lutum quo se inquinauerant. Interea pastoribus armenta propellentibus (iam enim aquæ decesserant) quidam ex his visa lupa fouente infantulos aliquandiu hæsit miraculo vix satis credens suis oculis. deinde conuocatis quotquot poterat è proximo sociis, nec fidem verbis suis impetrans, adducit ipsos ad spectaculum. Illi profecti comperiunt hanc, velut ex se natos cõplexam, hos pendentes velut à maternis vberibus: móxque rati hæc non sine aliquo numine fieri, vndique confluunt:*

fluunt: ferámque absterrent clamoribus. at lupa nihil exasperata incursu hominum, ceu mansueta sensim abstitit, quasi contemnens pastorum strepitum. Non longè inde aberat lucus opacus densitate arborum, & rupes caua manans fontibus. is ferebatur Pani sacer cum ara inibi posita. huc se fera condidit. Et lucus quidem non superest, sed antrum ex quo aqua promanat, visitur palatinis coniunctum ædificiis, secundum viam quæ in circum fert: & in propinquo est sacellum, seruans expressum hunc casum ære antiqui operis, lupam videlicet submittentē mãmas duobus puerulis. Consecratus autem dicitur is locus olim ab Arcadibus Euandri sociis. Post feræ discessum pastores tollunt infantulos, rati dignos alimentis qui seruati diuinitus fuerint. In his erat quidam regis subulcorum magister, vir probus, nomine Faustulus, qui ob quoddam negotium in vrbe fuerat, quo tempore de Iliæ vitio partúque compertum est: & postea dum infantes deportarentur ad fluuium, & deo sic volente idem cum ministris iter fecit in palantium. Hic ceu ignarus omnium impetrauit pueros communi consensu sociorum sibi traditos, eósque domum ad vxorem pertulit, mœstam tum ob infantem quem mortuū ediderat: simúlque solatus mulierem persuasit vt allatos pro suo supponeret, denarratis prius eorum casibus. his crescente ætate imposita sunt nomina, alteri Remus, alteri Romulus. vbi verò ad virile robur peruenerunt, non illi subulcis bubulcísue similes, sed animi ac formæ indole referebant genus regium, vt decebat diis genitos, quemadmodū celebrantur etiam nunc in patriis Romanorum carminibus. vitam tamen degebant pastoriciam, victum sibi parantes manibus, in montibus plerúmque è lignis & arundine compingent

gentes humiles absque vlla contignatione casulas: quarum vna vsq; ad nostram ætatem durauit ad latus viæ ducentis in circum è palatio, cognominata Romuli: quā vt sacram seruant quibus id mandatum est, nihil addentes ornatus gratia. quòd si quid temporum aut tempestatum iniuria deficiat, sarcitur quantum fieri potest ad formā pristinam. Annum porrò ingressi octauum supra decimum contentionem habuerunt de pascuis cum Numitoris pastoribus in Auentino è regione palatini montis stabulantibus, vtrisque mutuum conquerentibus alienam terram depasci, aut communem vsurpari, atq; id genus alia. hinc ad manus & ad arma demum ventū est. Numitoris pars multis affecta vulneribus, desideratis etiam aliquot è suis, pulsaq; vi regiorum iuuenum è controuersis pascuis, ad dolum vertitur. positis enim in angusta quadam & obscura valle insidiis, ad præstitutum tēpus magna manu inuadunt noctu stabula iuuenū. aberat tum Romulus, sacrorum causa cum vicanorum præcipuis Cæninum profectus. Remus vero maturè cum paucis ad opem ferendam accurrit: nec tamen impetum eius tulerunt aduersarij, sed receperunt se ad iam structas insidias. at Remus ignarus doli diu fugientes persecutus impetu vltra insessum locum euectus est. móxque aliis à tergo insurgētibus, aliis eodem tempore à fronte in pugnam reuertentibus, vndique saxis impetitus intercipitur & captiuus abducitur. sic enim mandatum fuerat à dominis, vt iuuenes viuos in potestatem suam redigerent. atq; hoc modo Remus captus est. Aelius Tubero grauis autor & scriptor diligens tradit Numitoris pastores insidiis elegisse tempus, quo iuuenes solenne Arcadicum olim ab Euandro in honorem Lycei Panis institutum erant celebraturi, quando mos

erat incolas Palatini mõtis peracto sacro nudos circum vicũ discurrere, succinctos tantũ pudenda recens mactatarũ pecudum exuuiis. id erat lustrationis genus quoddã, vicanis receptum vsu patrio, quod nunc quoq; solet fieri. Hac occasione collocatis circa angustum quendã callem insidiis ad intercipiendos ludicrũ agentes iuuenes, in primum agmen in quo Remus erat, factus est impetus, lõgè relicto cũ aliis Romulo: nam per interualla agmina tria fuerãt: & priusquam cæteri possent succurrere, insidiatores vniuersi coorti circumuẽtes petebãt saxis, iaculis, aliisq; telis vt quodq; in manus venerat. illi nec opinato casu attoniti, & incerti quid faciẽt inermes armatis expositi, facilè in potestatem redacti sunt. Et Remus quidem siue hoc modo, siue vt Fabius scribit, captus Albam vinctus perductus est. Romulus vero vt fratris cognouit infortunium, cum selecta manu pastorũ abeuntes insequi voluit, ratus Remũ ex itinere se posse retrahere sed ab hoc consilio vt insano Faustuli autoritate cohibitus est. Hactenus enim existimatus pater iuuenibus secretum nunquã prodiderat, ne ante tempus adirẽt periculum, priusquã satis esset virium. tũc verò necessitate cõpulsus semotis arbitris Romulo rem totam aperit. At iuuenẽ edoctũ de omnib. iam inde à principio suis casibus, tum matris miseratio, tum Numitoris cura subiit: & post longam consultationem cum Faustulo habitam à præsenti conatu destitit, malens maiore apparatu paternam domum vindicare ab iniuriis Amulij, & de maximis præmiis aleam iacere, de materni etiam aui cõsilio His ita decretis vicanos omnes conuocat, rogatq; vt Albam properent. non tamen eadem porta neque simul introgrediãtur, ne qua oppidanis oriatur suspicio ibique circa forum ad imperata facienda præsto

sint:

sint: deinde ipse primus in vrbem proficiscitur. Interea qui Remum abduxerant ad tribunal regis eum sistunt, obiicientes iniurias acceptas à iuuenibus, ostentantésque sua vulnera, & ni dedantur sibi ad supplicium, minitantes relicturos se pecuaria. Tum Amulius volens agrestibus catervatim concurrentibus rem gratam facere, & Numitori quoque, qui forte aderat, indignè ferens læsam clientelam, cupiénsque pacem inter rusticos componere, cum etiam suspecta esset iuuenis intrepida oratio, condemnauit hominem, pœnæ modum permittens fratris arbitrio, quòd æquum videretur penes eum esse ius supplicij, ad quem pertineret iniuria. Itaq; reuinctis à tergo manibus Remus ducebatur à Numitoris pastoribus illudentibus obiter & conuicia iactantibus, prosequente interim auo & demirante corporis decus plane regium, simulq; generosum ac constantẽ in rebus duris animum, præter cõmunem damnatorũ morem nullis precibus solicitantis spectatorum misericordiam, sed cum modesto silentio euntis ad supplicium. Vt verò domũ peruentum est, secedere iussis aliis solum relictum interrogat, quisnam & quibus parentibus ortus esset, neq; enim sibi videri natum è vulgarib. ad hac cùm ille hoc se tantũ scire ex fide altoris retulisset, infantẽ se recens natũ cum fratre eodem partu edito in syluã expositũ, collectumq; & educatũ à pastoribus: tacitus aliquantisper Numitor, siue rationẽ verisimilẽ reputãs, siue secretũ prodente aliquo numine, sic iuuenẽ alloquitur. Esse te in mea potestate Remi, meamq; expectare sententiã, & omnibus modis eos qui te ob acceptas iniurias adduxerunt necẽ tuam expetere, cum ipse noris non est quod te doceam. Quòd si te absolutũ immunẽ ab omni pœna pronuntiauero, referésne mihi gratiam, & operam

nauabis

nauabis in re vtrique nostrûm commoda? Hic cum respondisset iuuenis quæ solent responderi salutis arbitris in re deplorata quoties noua spes se obtulit, auus solutis prius vinculis & ablegatis qui aderant, suam fortunam ei denarrat: fraudatum se regno à fratre Aemulio, orbatumq́ liberis, altero in venatu oppresso per insidias, altera conclusa in perpetuum carcerem : cæteris quoque in rebus eum haud aliter se uti quàm mancipio. hæc effatus cum multis lacrymis, orabat vt vellet vlcisci domesticas iniurias. Illo verò facilè annuente, & iamiam gestiente ad exhibendam operam, Numitor collaudata promptitudine, tempus, inquit, rei gerendæ ego dispensaturus sum : interim ad fratrem nuntium occultum mittito, saluum te esse, & iubere vt ille quàm primũ veniat .moxq́ repertus quidã ad hoc ministerium idoneus, aduentanti non procul vrbe occurrens Romulo mandata renuntiat. Is lætus ad Numitorem properat: & primò cùm ipsum tum fratrem cõplexus, narrat deinde quemadmodum expositi & nutriti fuerint, & quicquid altor ipsius ex satellite didicerat. accipiebantur hæc lib̃eter, & vt grata credebantur perfacilè, vel absque aliis probationibus. Vt verò agniti sunt inuicẽ, continuò consultabatur de modo & opportunitate aggrediendi negotij. Interea Faustulus ad Amulium adducitur. Veritus enim ne nõ inueniret fidẽ apud Numitorem absq́ manifestis signis in rei tam magnæ indicio, quo certius agnosceretur, cum alueo in quo infantes expositi fuerant, paulo post Romulum ad vrbem contendit. eũ trepidè portas transeuntem, & quod ferebat diligenter occultantẽ, vnus custodum cum animaduertisset (erat enim belli suspicio, & portæ seruabantur per regi fidissimos) apprehendit, & quidnam celaret cognoscere cupiens, amictũ ei

per vim detraxit: conspectoq; alueo videns hæsitare hominem, percõtabatur quid ita trepidaret, quóue consilio celaret vas quod liceret deferri propalam. interim plures custodes confluebant, quorum vnus agnouit alueum, quippe qui pueros in eo ad flumen deportauerat: & rem indicauit his qui tũ aderant: moxq; comprehensus Faustulus ad regẽ adductus est. Amulius verò intentatis homini tormentis ni vera sponte diceret, primum rogauit num viuerent pueri. quo cõperto amplius sciscitatus est quonam modo incolumes euasissent. Edoctusq; omnia ita vt gesta sunt, Age, inquit, quandoquidẽ hactenus vera fassus es, dic vbinã nunc inueniri possent. nõ enim æquum est eos inter pastores ingloriam vitã degere, cum sint mihi cognati, & insuper seruati deorũ prouidentia. ibi Faustulus suspectã habens nouam regis clementiam, ne fortè verba à mẽte essent dissona, in hunc modũ respondit. Iuuenes sunt in montibus pascentes armenta vt mos illis est: me verò miserunt ad matrẽ, renũtiaturum quo in statu res eorum sint nunc igitur quando visum est tibi eos accersere, gaudeo: proinde mitte mecũ quoscunque vis. equidẽ indicabo illis iuuenes: ipsi mandata tua ad eos perferant Hæc ille volens differre necem iuuenum, simulq; sperans eos qui se ducebant facilè se effugere posse in montibus. Tum Amulius satellitum fidissimos mittit cum mandatis occultis, vt à subulco indicatos quantocyus ad se pertrahant. Quo facto mox decreuit accitum fratrem habere in libera custodia, donec arbitratu suo rem præsentem componeret: confestimq; alio prætextu cũ eo eat, at nuntius, vt qui periclitanti bene vellet ac miseraretur fortunã illius, ad Numitorem mẽtem Amulij detulit. qui indicato iuuenibus præsenti periculo, iussisq; forti esse animo, correptis armis cum

clientum,

clientum, amicorum, famulorumq́; fidiſsimorũ manu valida impetũ facit in regiã: & à foro alia cohors agreſtium non contẽnenda venit auxilio, qui ſub veſte gladios ſecũ attulerant: oppreſsisq́; in aditu paucis cuſtodibus Amulium nullo negotio iugulant, atque ita arcem occupant. Sic narrant qui ſequuntur autoritatẽ Fabij. Alij ſemouentes fabulas vt indignas hiſtoria, negant ſibi veriſimile fieri à miniſtris infantes ſecus quã iuſſum ſit expoſitos: & mitem lupam mammas præbentẽ pueris cauillantur non multũ abeſſe à figmentis poëticis mutatáque in diuerſum narratione, aiunt Numitorẽ poſteaquam deprehendiſſet prægnantẽ Iliam, alios modò natos infantes præparatos habuiſſe, quos ſubiiceret in puerperio. hos per cuſtodes parturientis ablatos, ſiue illi fidem venalem habuerint, ſiue muliebri aſtu circumuenti ſint: ipſosq́; arbitratu Amulij fuiſſe necatos. natos verò ex Ilia ſeruatos cura materni aui commiſſos Fauſtulo. hunc genus duxiſſe ab Arcadibus Euandri comitibus, palatini montis incolam & magiſtrum pecoris regij: gratificatumq́; eſſe Numitori in educandis pueris ſuaſu fratris ſui Fauſtuli, armẽtis ipſius in Auentino præpoſiti. cæterùm nutricem puerorum quæ mammas eis præbuit, non lupam fuiſſe aiunt ſed (vt credere par eſt) mulierem, Fauſtuli coniugem nomine Laurentiam, cui ob proſtratã quondam pudicitiam in colle palatini montis cognomen lupæ indiderant. ea Græcis priſca eſt appellatio venalem voluptatem veneream proſtituentium, quas nunc honeſtiore vocabulo ἑταίρας quaſi amicas vocare ſolent. Hinc factum ignorantibus data eſt occaſio fingendi de lupa fabulam, quoniam hæc fera Latina voce lupa dicitur. Amotos autem à nutricis vberibus voluntate altorum ferunt miſſos in vrbem Gabios, nõ longè

à Palantio dißitã, vt Græcas artes ediſcerent: ibiq; apud Fauſtuli hoſpites educatos, literis, muſica, tra-ctandiſq; more Græco armis inſtitutos, donec pubertatis annos attingerent. Poſt reditum autẽ ad eos qui tum exiſtimabantur parentes incidiſſe litem cum Numitoris paſtoribus, de cõmunibus paſcuis illoſq; vulneribus abactos cum ſuis gregibus. id factum de Numitoris ipſius ſententia, ut eſſet criminandi initiũ, & paſtoribus daretur ad vrbem veniendi occaſio. quo facto Numitorẽ vociferatũ apud Amulium armenta ſua per vim ac nefas diripi ab illius paſtoribus: quod ſi hæc citra ipſius culpã fierent, depopoſciſſe paſtorem vnà cũ filiis ad ſupplicium. Amulium verò vt ſe à culpa alienũ oſtenderet, tum eos qui petebantur, tum alios qui in eodem hærebant crimine, iuſiſſe ad dicendam cauſam venire. Cumq; præter reos multi ad agendam cauſam conueniſſent, auum iuuenum denarratis cũctis eorum caſibus, adhortatũ vt vindictæ occaſionẽ qualis nulla ad eam diem oblata ſit arriperent, moxq; rem aggreſſum paſtorũ multitudinis auxilio. Hæc de ortu atque educatione conditorum vrbis ſunt prodita: ſupereſt vt dicamus quomodo ſit condita. Poſtquam Amulio defuncto principatũ recepit Numitor, quam primum turbatum diutina tyrannide ſtatum Reip. compoſuit, mox cogitauit de paranda propria ditione iuuenibus, nouaq; vrbe in hoc condenda: ſimúlque vrbanã multitudinem vehementer auctam numero minuendã cenſebat, ſemotis potiſſimum aduerſæ factionis hominibus, vt liber à ſuſpicione degeret. itaque cõmunicato cum iuuenibus conſilio, poſtquã id & illis probatum eſt, dat eis agros vbi educati fuerant in pueritia. populi quoque ſuſpectam partẽ nequando rebus nouis ſtuderet, & ſi quibus ſpõte migrare libebat, eis attribuit. in his

erat magna plebis pars, vt fieri solet in migrationi[bus]. non pauci etiam ex optimatibus nobiles. Troiani quoque generis quisque optimus, vnde aliquot gentes ad nostram ætatem supersunt, quinquaginta fermè familiæ. acceperunt autem iuuenes pecuniam, arma, frumentũ, mancipia, iumenta deportãdis sarcinis, & siquid aliud ad apparatũ vrbis erat accommodum. Albanæ deinde multitudini miscuerunt indigenas, quotquot circa Palantium & Saturniam erant reliqui, diuiso in duas partes populo. id visum est ad æmulationẽ conducere, vt operantibus certatim absoluerentur opera citius: sed res in maximũ malum seditionem euasit. nam suũ quæque pars ducẽ colendo, vt idoneum vniuersorũ imperio attollebat: ipsi quoque non iam concordes neq; fraterna mente præditi, sibi quisq; principatũ affectabant, & æqualitate contempta tendebant ad præcellentiam. Ea principatus vsurpatio latens aliquandiu, tandem erupit occasione hac. Locus condendæ vrbis non idem vtrique placebat. Romulo visum est munire Palantium, præter alias causas ob loci fortunam, quæ eis incolumitatem & educationem præbuerat, Remus malebat Remuriam cõdere, quæ nunc queque eius seruat vocabulum. Sita est ad Tiberim, trigesimo fermè ab vrbe stadio. ex ea contentione satis apparebat principatus cupiditas. Vter nis enim tum cessisset, eum semper alteri cedere opus erat in posterum. Elapso deinde aliquanto temporis spatio, manenteq; dißidio, conuenit inter eos vt rem totam auo cõmitterent: ambóque ea de causa Albam profecti sunt. is monuit vt deorum iudicio permitterent, vtrius coloniã dici oporteat. Itaque præstituta die iußit seorsum quẽque vbicunq; libuisset considere, peractisq; legitimis sacris obseruare alites, & vtri felicius contigerit auspi-

à Palantio dißitã, vt Græcas artes ediſcerent: ibiq; apud Fauſtuli hoſpites educatos, literis, muſica, tractandiſq; more Græco armis inſtitutos, donec pubertatis annos attingerent. Poſt reditum autẽ ad eos qui tum exiſtimabantur parentes incidiſſe litem cum Numitoris paſtoribus, de cõmunibus paſcuis illoſq; vulneribus abactos cum ſuis gregibus. id factum de Numitoris ipſius ſententia, vt eſſet criminandi initiũ, & paſtoribus daretur ad vrbem veniendi occaſio. quo facto Numitorẽ vociferatũ apud Amulium armenta ſua per vim ac nefas diripi ab illius paſtoribus: quod ſi hæc citra ipſius culpã fierent, depopoſciſſe paſtorem vnà cũ filiis ad ſupplicium. Amulium verò vt ſe à culpa alienũ oſtenderet, tum eos qui petebantur, tum alios qui in eodem hærebant crimine, iußiſſe ad dicendam cauſam venire. Cumq; præter reos multi ad agendam cauſam conueniſſent, auum iuuenum denarratis cũctis eorum caſibus, adhortatũ vt vindictæ occaſionẽ qualis nulla ad eam diem oblata ſit arriperent, moxq; rem aggreſſum paſtorũ multitudinis auxilio. Hæc de ortu atque educatione conditorum vrbis ſunt prodita: supereſt vt dicamus quomodo ſit condita. Poſtquam Amulio defuncto principatũ recepit Numitor, quam primum turbatum diutina tyrannide ſtatum Reip. compoſuit, mox cogitauit de paranda propria ditione iuuenibus, nouaq; vrbe in hoc condenda: ſimúlque vrbanã multitudinem vehementer auctam numero minuendã cenſebat, ſemotis potiſsimum aduerſæ factionis hominibus, vt liber à ſuſpicione degeret. itaque cõmunicato cum iuuenibus conſilio, poſtquã id & illis probatum eſt, dat eis agros vbi educati fuerant in pueritia. populi quoque ſuſpectam partẽ nequando rebus nouis ſtuderet, & ſi quibus ſpõte migrare libebat, eis attribuit. in his

eras

erat magna plebis pars, ut fieri solet in migrationi[bu]s. non pauci etiam ex optimatibus nobiles. Troiani quoque generis quisque optimus, unde aliquot gentes ad nostram ætatem supersunt, quinquaginta fermè familiæ. acceperunt autem iuuenes pecuniam, arma, frumentũ, mancipia, iumenta deportãdis sarcinis, & siquid aliud ad apparatũ urbis erat accommodum. Albanæ deinde multitudini miscuerunt indigenas, quotquot circa Palantium & Saturniam erant reliqui, diuiso in duas partes populo. id visum est ad æmulationẽ conducere, ut operantibus certatim absoluerentur opera citius: sed res in maximũ malum seditionem euasit. nam suũ quæque pars ducẽ colendo, ut idoneum uniuersorũ imperio attollebat: ipsi quoque non iam concordes neq; fraterna mente præditi, sibi quisq; principatũ affectabant, & æqualitate contempta tendebant ad præcellentiam. Ea principatus usurpatio latens aliquandiu, tandem erupit occasione hac. Locus condendæ urbis non idem utrique placebat. Romulo visum est munire Palantium, præter alias causas ob loci fortunam, quæ eis incolumitatem & educationem præbuerat, Remus malebat Remuriam cõdere, quæ nunc quoque eius seruat vocabulum. Sita est ad Tiberim, trigesimo fermè ab urbe stadio. ex ea contentione satis apparebat principatus cupiditas. Uteruis enim tum cessisset, eum semper alteri cedere opus erat in posterum. Elapso deinde aliquanto temporis spatio, manenteq; dissidio, conuenit inter eos ut rem totam auo cõmitterent: ambóque ea de causa Albam profecti sunt. is monuit ut deorum iudicio permitterent, utrius coloniã dici oporteat. Itaque præstituta die iussit seorsum quẽque ubicunq; libuisset considere, peractisq; legitimis sacris obseruare alites, & utri felicius contigerit auspi-

 cium,

cium, curæ haberi autorẽ coloniæ. comprobato consilio digressi iuuenes, ad statutã diem ex pacto affuerunt. Romulus templum obseruandis alitibus optauit Palantium, vbi animus erat coloniam condere: Remus verò Auentinũ contiguũ, aut vt aliis placet, Remuriam. adhibiti sunt vtrinque custodes, qui non sinerent pronuntiari aliud auspiciũ quàm obseruatum apparuerit. vt verò suã quisque sedem cepit, paulopost Romulus præ nimia festinatione & inuidia (fortasse deus quoque huc illũ impellebat) priusquã vllum vidisset signum, nuntiat fratri vt celeriter veniat, iam se priorẽ vidisse addicentes alites. dũ nuntij quos doli pudebat, non admodũ properant, interim Remo sex vultures à dextris volãtes oblati sunt: quibus conspectis gauisus, breui post à fratris nũtiis abductus est Palantiũ. mox vbi illum cõuenit, rogabat ecquod prior vidisset auspicium. quo hærente nec habente quod respondeat, interim ei duodecim vultures volantes addixerũt. quibus visis cõfirmatus, ostendens Remo: Quid, inquit, quæris præterita? en ipse vides has alites. ille indignabundus negauit se deceptũ cessurum ei colonia. Hinc seditio priore maior exoritur, vtroque potiorẽ se esse clam cupiente, quo verò minus cederet, propalam defendente ius suũ. prædixerat enim auus eius fore coloniam, cui priori meliores oblatæ fuissent alites. Cæterùm cum idem genus ambobus conspectum esset, tempore alter præcepto, alter maiore numero auium, regnũ ad se trahebat. accendit eorum contentionẽ vulgus, exorsum pugnam non expectato ducum imperio. ita certatum est acriter, multisque vtrinque cadentibus. In hoc prælio quidam aiunt Faustulum altorem iuuenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermẽ se coniecisse in medios mortis desiderio, votique sui factum compotem.

nec desunt qui effigiem lapideam leonis, dedicati pro rostris in loco Romani fori præcipuo, dicant impositam corpori eius, inuecto & sepulto vbi occubuerat. Caeso autem in hac pugna Remo, victoriam miserabilē Romulus de fratre ac ciuili cæde referens, defunctum in Remuria sepelit, vbi etiam viuus voluerat vrbem condere: ipse verò præ mœrore ac facti pœnitentia cœpit cogitare de inferendis sibimetipsi manibus. Tum Laurentia quæ recens natos nacta educauerat, & haud secus quàm mater amabat, precibus atque consolando mouit eum ab hoc proposito. collectis deinde Latinis qui pugnæ superfuerunt, ex pristino colonorū numero redactis ad paulo plures tribus militibus, Palātio speciem vrbis addidit. Hæc mihi verisimillima de Remi morte videtur narratio, dicetur tamen etiā siquid diuersum super hac est proditū. Aiunt quidā eum cessisse de principatu Romulo: indignatum deinde quòd dolo circumuentus sit, post mœnia cōdita, illudentē operi dixisse: hæc facilè quiuis hostis superauerit, sicut nunc ego: simulq́; transiliisse è vestigio. Celerem autem quendā fabricæ murorū præpositum subiecisse: sed eum hostē facilè nostrū aliquis arcuerit: moxq́; inflicto in caput rutro exanimasse hominē. Hic fuit exitus fraterni dissidij. Cæterū cum iam nullo impediente fabrica procederet, Romulus indicta die qua placatis diis auspicaretur administrationem Reipu. praeparatisq́; omnibus ad sacrificiū & epulū necessariis, vbi ea dies illuxit, ipse primum sacris operatus, deinde cæteris iussis idē pro virili facere, aquilarum ante omnes vsus est auspicio: mox piaculi causa iussit per flammas salire populum. Satis deinde propitia ratus numina, conuocatis in destinatum locum omnibus, circumscripsit collem figura quadrangula, continentem sulcum aratro du-

 centibus

centibus sub idem iugum iunctis bubus mare atq; fœmina, in quo fundanda erant mœnia: unde Romanis hic mos circumarandi loca durat in condendis vrbibus. Hoc peracto, & bubus mactatis ambobus vnà cum multis aliis victimis, operi populum adhibuit: quem diem, si vllum aliū, Romana ciuitas nostro quoque tempore singulis annis festū celebrat, vocátque Parilia, cum ineunte vere pro partu quadrupedum agricolæ grati pastoresq; sacra faciunt. Vtrum verò hunc diem iam antè festum auspicatum condendæ vrbi duxerint, an propter vrbis initia consecrauerint, deósque pastorales in eo honorandos sanxerint, affirmare certò non possum. Hæc sunt quæ quantum potui de Romanorum genere summa cura peruestigaui: collecta ex Græcorum simul & Romanorū voluminibus. Quapropter valeant qui Romam barbarorum, fugitiuorum, & lare carentiū refugium faciunt, quando satis iam constat Græcā hanc esse vrbē communem omnibus & humanissimā, cogitando quòd Aboriginum natio Oenotrica fuerit, hæc verò Arcadica: præterea Pelasgos habitasse cū eis relicta Thessalia, qui Argis oriundi venerunt in Italiā: Euandrū item cū alia manu Arcadum eò venisse, Palantiúmque condidisse accepto agro ab Aboriginibus: alios rursum è Peloponneso venisse ductu Herculis, & habitasse in Saturnia: postremo Troianos profugos commixtos prioribus eorum locorum incolis: quibus gentibus nulla inueniri potest antiquior aut magis Græcanica. quòd verò barbari admixti sunt, per quos vrbs multa vetera instituta dedidicit, id multo post accidit: in qua reputatione merito mirari possis eā non esse omnino barbaram redditam post receptos Opicos, Marsos, Samnites, Hetruscos, Brutios, Vmbros, Ligures, & Hispanorum Gallorúmque multa milia,

milia, aliásque insuper gentes innumeras, vel ex Italia vel aliis ex locis conuenas, lingua & moribus dissonas: quos in tanta sermonis ac rituum varietate, plerosque vi contractos in vnum, par est multa de prisca illa & decora ciuitatis constitutione innouasse in deterius. siquidem alij non pauci sedibus fixis inter barbaros, breui omnẽ Græcitatem exuerunt, nec vocem nec instituta Græca retinentes, nec deos colentes eosdem, nec ius seruantes patrium, quo maximè Græcorũ natura differt à barbaris, nullum denique originis suæ vestigium. Id verum esse satis declarant Achæi ponti Accolæ à gente cum primis Græca oriundi, nunc verò omnium barbarorum efferatissimi. Romani autem sermone nec prorsus barbaro nec absolutè Græco vtuntur, sed ex vtreque mixto, accedẽte plerunque ad proprietatem linguæ Aetolicæ, ex commercio tot admixtorum non omnia rectè efferentes vocabula. cætero quæcunque sunt Græci generis indicia, magis quàm vlli alij Græcorum coloni retinent, vt qui non nunc primum vitæ rationem ad amicitiam appositam aggressi sunt, ex quo bona fortuna affluens honestos mores eos docuit: neque dũ animum adiecerunt ad transmarinũ imperium deuictis Macedonibus & Carthaginiensibus: sed ex quo primum in vnam ciuitatem contracti sunt, more Græco vixerunt, nihilo studiosiores virtutis nunc quàm priscis temporibus. Id cum innumeris argumentis probare possim virorúmque grauium testimoniis, differre malo in librum quem scripturus sum de eorum republica. nunc ad narrationis seriem reuertor, à summaria libri præsentis repetitione facturus sequentis initium.

DIONYSII

ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatũ siue Originum Romanarum,

LIBER II.

Continet res Romuli & Numæ, tempus autem à septima Olympi. qua vicit Daicles Messenius, principe Athenarum Charopo.



RBS Roma sita est in occidentali tractu Italiæ secundum flumẽ Tiberim, qui circa mediũ fermè littus habet ostiũ: abestq; ab infero mari CXX stadiis. eam tenuerũt primi post hominũ memoriã barbari quidam indigenæ dicti Siculi, multorũ etiam aliorũ Italiæ locorũ incolæ, quorũ non pauca nec obscura monumẽta manẽt usq; ad nostra tẽpora, & in his aliquot locorũ appellatio Siculicũ, priscæ habitationis vestigiũ. His pulsis Aborigines eũ locũ occupauere posteri Oenotrorũ, qui erã Tarentũ inter & Pestum protẽsam habuerũt. hi fuerunt quædam diis sacrata iuuẽtus, patrio more missa à parẽtibus ad quærẽdas sedes quascũq; fortuna ostẽderit. Oenotris porrò fuit genus Arcadicũ, ex ea quæ tũc Lycaonia nũc Arcadia est, spõte ad parãdos meliores agros profectũ, colonia duce filio Licaonis Oenotro, à quo genti nomen inditũ. Post occupata loca hæc

Aber

Aboriginibus primi cum eis cohabitauerunt Pelasgi profugi ex Hæmonia vt tunc vocabatur, nūc est Thessalia, in qua sedem aliquandiu habuerant. post hos verò Arcades, digressum ab oppido Palantio Euandrum Mercurij & Themidis nymphæ filium ducem coloniæ secuti: qui domicilium fixerunt circa vnum è VII collibus vrbis fermè totius mediū, ab Arcadica patria denominatum Palantium. Non multo deinde pòst appulso in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythea domum reducebat, relicta copiarum Græcarum pars quædā prope Palantium substitit, habitatura alterū collem ex his quos nunc vrbs complectitur, qui tunc Saturnius ab indigenis, nunc verò Capitolinus à Romanis dictus est. horum bona pars Epei fuerunt profecti ab Elide post deuastatam Herculis armis patriam. Decimasexta autem ætate post bellū Troianum Albani vtrunque locum mœnibus & fossa cōplexi habitare cœperunt: vbi ad id temporis bubulcorum, opilionum, cæterorúmque pastorum stabula fuerant, solo abundè suppeditante copiam tum hiberni tum æstiui pabuli, propter rigantes & refrigerantes id fluuios. porrò Albanorum genus mixtū erat è Pelasgis & Arcadibus, Epeísque Elidensibus, ac postremo post Iliū captum Troianis Aeneā Veneris & Anchisæ filiū comitatis in Italiā. Horū omnium commune nomen fuit Latini, deductū à Latino eius regionis principe, obliteratis singularum gentium priscis appellationibus. Ab his gentibus vrbs est condita post Ilium captum anno CCCCXXXII, Olympiade septima. deductores coloniæ fuere gemini fratres, regij generis, Remus & Romulus, materno sanguine oriundi ab Aenea Dardanide: paterna propago incerta est, Romanis Marte satos esse persuasum est. non

tamen

tamen ambo permanserunt autores coloniæ, exorta de principatu controuersia: sed extincto in pugna altero superstes Romulus fuit urbis conditor, eique nomen à se imposuit. cæterùm numerus colonorum missorum magnus à principio ad paruũ redactus est, tria milia peditum, CCC. equites. Mœnibus igitur absolutis perfectisque ad præsentem necessitatem ædibus, cùm iam tempus moneret de futura forma reipublicæ dispicere, Romulus de materni aui sententia sic pro concione locutus est. Vrbem à se cùm publicis tum priuatis ædificiis, vt recens conditam, satis ornatam esse, cogitandum tamen non in hoc sitam summam reipublicæ. neque enim amplæ profundæq; fossæ munimentum certam incolumitatis spem polliceri inclusis intus securis ciuibus: sed ad hoc tantum conducere, ne oppreßis repentino incursu hostis cladem aliquam inferat: neque si intestinus tumultus inuadat rempublicam, priuatas ædes præbere tutum cuiquam refugium. hæc enim ad vitam quietè ac tranquillè degendam inuenta esse subsidia, quæ nihil vetent quominus vel vicinis insidiemur per iniuriam, vel ipsi expositi simus aliorum insidiis: nec vllam vrbem huiusmodi ornamẽtis quæsisse sibi diuturnam felicitatem & amplitudinem, aut contrà sine his non potuisse amplam & fortunatam euadere. Aliud esse quod seruet ciuitates, & è paruis magnas faciat: nimirum in externis bellis armorũ potentiam quæ fortitudine paretur & aßiduo studio: in ciuilibus verò pertubationibus cõcordiam ciuium. eam iustitia temperantiáque foueri in republica. cæterùm eos qui in re militari exercitati sint, suisque cupiditatibus temperent, egregiè ornare suas patrias, esseq; ciuitati pro mœnibus inexpugnabilibus, vitæq; suæ tutißima parare domicilia.

lia. bellicosos certè ac iustos viros præbere viuendi formam prudenter eam sequentibus. contrà molles, auaros, & addictos fœdis cupiditatibus, malis quoque occupari studiis. Se quidem à maioribus rerum peritis accepisse, multas magnas colonias & in loca delatas fortunata vel statim seditionibus perditas, vel post non longam moram imperio vicinorum subditas, & pro occcupato meliore agro conditionem deteriorem accepisse, seruas ex liberis redditas. rursum alias non magno numero & in agros non admodum bonos profectas, liberas primū, deinde aliarum etiam dominas permansisse. & neque paucis felicitatis, neque multis infortunij causam aliam fuisse, quàm formam reipublicæ. Quod si vna quapiam esset apud omnes homines vitæ ratio, quæ ciuitates felices faceret, eam facile potuisse eligi, nunc varias reperiri eius species tum apud Græcos tum apud barbaros: sed ab expertis laudari tres potissimum, nullam tamen ab omni parte sinceram, quòd cuiq; fatale quoddam malum agnatum adhæreat, quo difficilior sit electio. Hæc locutus iussit eos re per otium considerata dicere, num vni rectori, an paucis, parere malint. Equidem, inquit, quancúnque reipublicæ formam institueritis, ad eam recipiendam paratus sum, nec principatu dignum me existimans, nec detrectans imperata facere. honorū quibus me dignati estis, primùm declarata me duce coloniæ. deinde vrbi nomine nostro imposito, satis habeo. hos enim neque externum bellum, neque seditio domestica, neque tempus omnia præclara abolens, neque casus vllus auferre mihi poterit, sed tum viuus tū defunctus in perpetuum his perfruar. Hæc tum Romulus à materno auo, vt iam dixi, accepta memorauit apud populum. Illi communicato inter se consilio responderunt in hunc

mod

modum. Nobis noua reipublicæ forma non opus est, nec à maioribus probatam & per manus traditam mutabimus, non discessuri à priscorum sententia, quibus non sine insigni prudentia statuere ita placuisse credimus: nec nos eius formæ hactenus pœnitet. cur enim hanc incusemus, cum sub regibus contigerint nobis bona, quæ apud homines habentur præcipua, libertas & imperium in alios. hæc est nostra de republica sententia. cæterùm honorem eum non alij magis quàm tibi conuenire persuasum nobis est, tum ob genus regium ac virtutem, tum verò præcipuè quòd te autore deducti sumus in hanc coloniam, multámque in te grauitatem atq; sapientiam animaduertimus, non tam verbis quàm operibus. His auditis Romulus delectari se quidẽ ait hominum iudicio, quo dignus regno sit habitus, non tamen assumpturum eum honorẽ ante, quàm deus auspicio certo comprobauerit. Quod quoniam & illis placuit, præstituta die qua de regno alites consuleret, vbi ea illuxit, sub diuum progressus est. ibi stans in loco puro, & ritè mactatis victimis, vota fecit Ioui regi & diis aliis quos coloniæ duces fecerat, vt si ipsorum voluntate rex vrbis futurus sit, signum de cœlo felix ostenderent. Peractis precibus fulgur à sinistris ad dextra emicuit. habent autem Romani talia pro addictoriis, siue ex disciplina Hetrusca, siue ita edocti à maioribus, hac ratione vt equidem arbitror, quòd sedes sit optima captandis auspiciis quæ orientem spectet, vnde sol & luna surgunt, stellæq; tam fixæ quàm erraticæ, & vnde mundi motus sumit exordium, cuius circulari vertigine cuncta quæ in eò sunt modò super terram existunt, modò sub terra latitant. porrò qui orientem spectant, septentriones à sinistris habent, à dextris meridiem. honoratius autem est prius

quam

quàm posterius. sublimis enim ab aquilonari tractu polus attollitur, circa quem mundus voluitur, & è quinque sphæra circulis qui vocatur arcticus, hac parte semper est conspicuus. at ab australi tractu is qui vocatur antarcticus, semper in ea parte delitet. verisimile est autem inter signa quæ de cælo seruantur ea præcellere, quæ fiunt in parte optima. & quoniam ad orientem vergentia potiorem partem obtinent quàm occidentalia, tum in his ipsis celsiora sunt australibus aqulonaria, merito habentur optima. Vt verò quidam tradunt, iam tum priscis temporibus ante receptam Hetruscam disciplinam Romanorum maiores sinistra fulgura iudicabant felicia. Fertur enim Ascanium Aeneæ filiũ, quo tempore obsidione premebatur à Tuscorũ rege Mezentio: iam desperatis rebus erupturum postremo cum lamentis inuocasse Iouem diósque cæteros vt felix erumpendi signum darent cælitus, móxque sereno cælo micuisse à sinistris fulgura. quod prælium quoniã feliciter cessit, posthac id signum felix apud posteros habitum. At Romulus confirmatus in regno diuinitus, aduocata concione & indicatis auspiciis, rex declaratur consensu omnium, & morem instituit in posterum, ne quis nisi auspicato regnum assumeret magistratúmve iniret: obseruatúmq; est id apud Romanos longo tempore, non solum sub regibus, verumetiam sublata monarchia in consulum, prætorum, cæterorúmque magistratuum comitiis. nostra verò tempestate imago tantum quædam huius iuris remanet religionis gratia. Candidati enim prodeuntes diluculo quasdam preces sub diuo peragunt: tum aliquis ex augurum collegio fulguris signum à sinistris pronunciat, etiamsi nullum sit. at illi vocis omine contenti ad sumendũ magistratũ abeunt, quidã hoc ipsum

rati

rati sufficere quòd nullum auspicium intercesserit prohibitorium, quidam etiam aduersis auspiciis interdum non tam assumunt magistratus quàm per vim rapiunt. quamobrem multi terrestres Romanorum exercitus internecione deleti sunt, multæ classes in mari perierunt vnà cum ipsis militibus, aliæq; clades ciuitati acciderunt grauissimæ tũ in externis bellis tum in ciuilibus. sed maximè insignes nostro tempore, quando Licinius Crassus vir ætate sua nemini imperatorum secundus expeditionem fecit contra Parthos aduersis fatis & contemptis quacunque se reuocabant ominibus innumeris. Verùm de religionis neglectu qui nostrum inuasit seculum, longum esset dicere. Cæterùm Romulus diis hominibusque fauentibus rex declaratus, & bello dicitur fuisse magnus, periculorúmque contẽptor, & in administranda republica prudentissimus. eius nunc domi ac militiæ gesta prosequar, quæcunque memoratu digniora sunt. ac primùm de dispositione reipublicæ, quam equidem omnibus reliquis prætulerim, vt paci æquè ac bello idoneam. ea sic se habuit. in tres partes diuisa vniuersa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuit. deinde vnamquamque rursum in decem partitus, totidem fortissimos viros eis præfecit. has curias, illas tribus, vocari voluit. sicut vocantur & hodie. Græci has φράτρας siue λόχους, illas φύλας siue τρίττυς dicerent: sicut præfectos alteros phylarchos & trittyarchos, quos Romani tribunos: alteros curiis præpositos phratriarchos & lochagos, quos illi curiones nominant. curiæ rursum in decurias distributæ sunt, & cuique suus praerat decurio, vt ipsi nominant. Ita digesto per tribus atque curias populo, agro quoque in triginta sortes æquales diuiso, singulas curias

sort

sortiri iussit, exempto prius quantum in ministeriū sacrorum ac templorum sufficeret, & quadam parte quæ esset iuris publici. atque hæc fuit una diuisio tam virorum quàm agrorum, in qua rex summam æqualitatem obseruasse visus est, nunc alteram dicturus sum virorū duntaxat, quæ ad subditorum curam, honores, atque dignitates pertinet. Illustres genere & virtute celebres opibúsque vt tum ferebant tempora abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines plebeios vocauit. hi Græcis sunt δημοτικοί: potiores verò patres, siue quòd ætate anteirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia, exemplo vt videtur ab Atheniensium rep. sumpto, quæ florebat illo tempore. hi enim bifariam distributa multitudine, patricios appellabant ex illustribus familiis & pollentes opibus, penes quos fuit ciuitatis regimen: cæteros ciues rusticos, quibus nullum erat in Repub. suffragium, licet tandem hi quoque ad magistratus gerendos admissi sunt. Sanè qui proximè veritatem de rebus Romanis scribunt, hanc causam afferunt cur illi viri patres nominati sint, & progenies eorum patricij. Qui autem inuidiose loquuntur de hoc negotio, & vrbi generis obscuri calumniam impingunt, non ideo dictos patricios aiunt sed quòd hi soli possent patrem ostendere: quasi cætera turba fugitiuorum fuerit, non valentium proferre patres ingenuos: & argumento vtuntur hoc, quòd quoties patricij conuocarentur à regibus, præco quenque suo ac paterno appellabat nomine: plebeios verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionē contrahebant. sed neque per præconē euocatio nobilitatis patriciorum argumentum est, neque buccinæ sonus obscuritatis

cium, eum haberi autorẽ coloniæ. comprobato consilio digreßi iuuenes, ad statutã diem ex pacto affuerunt. Romulus templum obseruandis alitibus optauit Palantium, ubi animus erat coloniam condere: Remus verò Auentinũ contiguũ, aut vt aliis placet, Remuriam. adhibiti sunt vtrinq; custodes, qui non sinerent pronuntiari aliud auspiciũ quàm obseruatum apparuerit. vt verò suã quisq; sedem cepit, paulopost Romulus præ nimia festinatione & inuidia (fortasse deus quoque huc illũ impellebat) priusquã vllum vidisset signum, nuntiat fratri vt celeriter veniat, iam se priorẽ vidisse addicentes alites. dũ nun: ĩ quos doli pudebat, non admodũ properant, interim Remo sex vultures à dextris volãtes oblati sunt: quibus conspectis gauisus, breui post à fratris nũtiis abductus est Palantiũ. mox vbi illum cõuenit, rogabat ecquod prior vidisset auspicium. quo hærente nec habente quod respondeat, interim ei duodecim vultures volantes addixerũt. quibus visis cõfirmatus, ostendens Remo: Quid, inquit, quæris præterita? en ipse vides has alites. ille indignabundus negauit se deceptũ cessurum ei colonia. Hinc seditio priore maior exoritur, vtroque potiorẽ se esse clam cupiente, quo verò minus cederet, propalam defendente ius suũ. prædixerat enim auus eius fore coloniam, cui priori meliores oblatæ fuissent alites. Cæterùm cum idem genus ambobus conspectum esset, tempore alter præcepto, alter maiore numero auium, regnũ ad se trahebat. accendit eorum contentionẽ vulgus, excursum pugnam non expectato ducum imperio. ita certatum est acriter, multis vtrinque cadentibus. In hoc prælio quidam aiunt Faustulum altorem iuuenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermẽ se coniecisse in medios mortis desiderio, votiq; sui factum compotem.

nec

nec desunt qui effigiem lapideam leonis, dedicati pro rostris in loco Romani fori præcipuo, dicant impositam corpori eius, inuento & sepulto vbi occubuerat. Cæso autem in hac pugna Remo, victoriam miserabilẽ Romulus de fratre ac ciuili cæde referens, defunctum in Remuria sepelit, vbi etiam viuus voluerat vrbem condere: ipse verò præ mœrore ac facti pœnitentia cœpit cogitare de inferendis sibimetipsi manibus. Tum Laurentia quæ recens natos nacta educauerat, & haud secus quàm mater amabat, precibus atque consolando mouit eum ab hoc proposito. collectis deinde Latinis qui pugnæ superfuerunt, ex pristino colonorũ numero redactis ad paulo plures tribus millibus, Palãtio speciem vrbis addidit. Hæc mihi verisimillima de Remi morte videtur narratio, dicetur tamen etiã siquid diuersum super hac est proditũ. Aiunt quidã eum cessisse de principatu Romulo: indignatum deinde quòd dolo circumuentus sit, post mœnia cõdita, illudentẽ operi dixisse: hæc facilè quiuis hostis superauerit, sicut nunc ego: simulq; transilisse è vestigio. Celerem autem quendã fabricæ murorũ præpositum subiecisse: sed eum hostẽ facilè nostrũ aliquis arcuerit: moxq; inflicto in caput rutro exanimasse hominẽ. Hic fuit exitus fraterni dissidij. Cæterũ cum iam nullo impediente fabrica procederet, Romulus indicta die qua placatis diis auspicaretur administrationem Reipu. præparatisq; omnibus ad sacrificiũ & epulũ necessariis, vbi ea dies illuxit, ipse primum sacris operatus, deinde cæteris iussis idẽ pro virili facere, aquilarum ante omnes vsus est auspicio: mox piaculi causa iussit per flammas salire populum. Satis deinde propitia ratus numina, conuocatis in destinatum locum omnibus, circumscripsit collem figura quadrangula, continentem sulcum aratro du-

centibus sub idem iugum iunctis bubus mare atque fœmina, in quo fundanda erant mœnia: unde Romanis hic mos circumarandi loca durat in condendis urbibus. Hoc peracto, & bubus mactatis ambobus unà cum multis aliis victimis, operi populum adhibuit: quem diem, si ullum aliũ, Romana ciuitas nostro quoque tempore singulis annis festũ celebrat, vocátque Parilia, cum ineunte vere pro partu quadrupedum agricolæ grati pastoresq; sacra faciunt. Vtrum verò hunc diem iam antè festum auspicatum condendæ urbi duxerint, an propter urbis initia consecrauerint, deósque pastorales in eo honorandos sanxerint, affirmare certò non possum. Hæc sunt quæ quantum potui de Romanorum genere summa cura peruestigaui: collecta ex Græcorum simul & Romanorũ voluminibus. Quapropter valeant qui Romam barbarorum fugitiuorum, & lare carentiũ refugium faciunt, quando satis iam constat Græcã hanc esse urbẽ communem omnibus & humanissimã, cogitando quòd Aboriginum natio Oenotrica fuerit, hæc verò Arcadica: præterea Pelasgos habitasse cũ eis relicta Thessalia, qui Argis oriundi venerunt in Italiã: Euandrũ item cũ alia manu Arcadum eò venisse, Palantiúmque condidisse accepto agro ab Aboriginibus: alios rursum è Peloponneso venisse ductu Herculis, & habitasse in Saturnia: postremo Troianos profugos commixtos prioribus eorum locorum incolis: quibus gentibus nulla inueniri potest antiquior aut magis Græcanica. quòd verò barbari admixti sunt, per quos urbs multa vetera instituta dedidicit, id multo post accidit: in qua reputatione merito mirari possis eã non esse omninò barbaram redditam post receptos Opicos, Marsos, Samnites, Hetruscos, Brutios, Vmbros, Ligures, & Hispanorum Gallorúmque multa milia,

milia, aliásque insuper gentes innumeras, vel ex Italia vel aliis ex locis conuenas, lingua & moribus dissonas: quos in tanta sermonis ac rituum varietate, plerosque vi contractos in vnum, par est multa de prisca illa & decora ciuitatis constitutione innouasse in deterius. siquidem alij non pauci sedibus fixis inter barbaros, breui omnẽ Græcitatem exuerunt, nec vocem nec instituta Græca retinentes, nec deos colentes eosdem, nec ius seruantes patrium, quo maximè Græcorũ natura differt à barbaris, nullum denique originis suæ vestigium. Id verum esse satis declarant Achæi ponti Accolæ à gente cum primis Græca oriundi, nunc verò omnium barbarorum efferatißimi. Romani autem sermone nec prorsus barbaro nec absolutè Græco vtuntur, sed ex vtroque mixto, accedẽte plerunque ad proprietatem linguæ Aetolicæ, ex commercio tot admixtorum non omnia rectè efferentes vocabula. cætero quæcunque sunt Græci generis indicia, magis quàm vlli alij Græcorum coloni retinent, vt qui non nunc primum vitæ rationem ad amicitiam appositam aggreßi sunt, ex quo bona fortuna affluens honestos mores eos docuit: neque dũ animum adiecerunt ad transmarinũ imperium deuictis Macedonibus & Carthaginiensibus: sed ex quo primum in vnam ciuitatem contracti sunt, more Græco vixerunt, nihilo studiosiores virtutis nunc quàm priscis temporibus. Id cum innumeris argumentis probare poßim virorúmque grauium testimoniis, differre malo in librum quem scripturus sum de eorum republica. nunc ad narrationis seriem reuertor, à summaria libri præsentis repetitione facturus sequentis initium.

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatũ siue Originum Romanarum,

LIBER II.

Continet res Romuli & Numæ, tempus autem à septima Olympi. qua vicit Daicles Messenius, principe Athenarum Charopo.



RBS Roma sita est in occidentali tractu Italiæ secundum flumẽ Tiberim, qui circa mediũ fermè littus habet ostiũ: abestq; ab infero mari C X X stadiis. eam tenuerũt primi post hominũ memoriã barbari quidam indigenæ dicti Siculi, multorũ etiam aliorũ Italiæ locorũ incolæ, quorũ non pauca nec obscura monumẽta manẽt vsq; ad nostra tẽpora, & in his aliquot locorũ appellatio Siculicũ, priscæ habitationis vestigiũ. His pulsis Aborigines eũ locũ occupauere posteri Oenotrorũ, qui erã Tarentũ inter & Pestum protẽsam habuerũt. hi fuerunt quædam diis sacrata iuuẽtus, patrio more missa à parẽtibus ad quærẽdas sedes quascũq; fortuna ostẽderit. Oenotris porrò fuit genus Arcadicũ, ex ea quæ tũc Lycaonia nũc Arcadia est, spõte ad parãdos meliores agros profectũ, coloniæ duce filio Licaonis Oenotro, à quo genti nomen inditũ. Post occupata loca hac

Abor

Aboriginibus primi cum eis cohabitauerunt Pelasgi profugi ex Hæmonia vt tunc vocabatur, nũc est Thessalia, in qua sedem aliquandiu habuerant. post hos verò Arcades, digressum ab oppido Palantio Euandrum Mercurij & Themidis nymphæ filium ducem coloniæ secuti: qui domicilium fixerunt circa vnum è VII collibus vrbis fermè totius mediũ, ab Arcadica patria denominatum Palantium. Non multo deinde pòst appulso in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythea domum reducebat, relicta copiarum Græcarum pars quædã prope Palantium substitit, habitatura alterũ collem ex his quos nunc vrbs complectitur, qui tunc Saturnius ab indigenis, nunc verò Capitolinus à Romanis dictus est. horum bona pars Epei fuerunt profecti ab Elide post deuastatam Herculis armis patriam. Decimasexta autem ætate post bellũ Troianum Albani vtrunque locum mœnibus & fossa cõplexi habitare cœperunt: vbi ad id temporis bubulcorum, opilionum, cæterorúmque pastorum stabula fuerant, solo abundè suppeditante copiam tum hiberni tum æstiui pabuli, propter rigantes & refrigerantes id fluuios. porrò Albanorum genus mixtũ erat è Pelasgis & Arcadibus, Epeísque Elidensibus, ac postremo post Iliũ captum Troianis Aeneã Veneris & Anchisæ filiũ comitatis in Italiã. Horũ omnium commune nomen fuit Latini, deductũ à Latino eius regionis principe, obliteratis singularum gentium priscis appellationibus. Ab his gentibus vrbs est condita post Ilium captum anno CCCCXXXII, Olympiade septima. deductores coloniæ fuere gemini fratres regij generis, Remus & Romulus, materno sanguine oriundi ab Aenea Dardanide: paterna propago incerta est, Romanis Marte satos esse persuasum est. non tamen

tamen ambo permanserunt autores coloniæ, exorta de principatu controuersia: sed extincto in pugna altero superstes Romulus fuit urbis conditor, eique nomen à se imposuit. cæterùm numerus colonorum missorum magnus à principio ad paruũ redactus est, tria milia peditum, CCC. equites. Mœnibus igitur absolutis perfectisque ad præsentem necessitatem ædibus, cum iam tempus moneret de futura forma reipublicæ dispicere, Romulus de materni aui sententia sic pro concione locutus est. Vrbem à se cùm publicis tum priuatis ædificiis, vt recens conditam, satis ornatam esse, cogitandum tamen non in hoc sitam summam reipublicæ. neque enim amplæ profundæq; fossæ munimentum certam incolumitatis spem polliceri inclusis intus securis ciuibus: sed ad hoc tantum conducere, ne oppreßis repentino incursu hostis cladem aliquam inferat: neque si intestinus tumultus inuadat rempublicam, priuatas ædes præbere tutum cuiquam refugium. hæc enim ad vitam quietè ac tranquillè degendam inuenta esse subsidia, quæ nihil vetent quominus vel vicinis insidiemur per iniuriam, vel ipsi expositi simus aliorum insidiis: nec vllam vrbem huiusmodi ornamẽtis quæsisse sibi diuturnam felicitatem & amplitudinem, aut contrà sine his non potuisse amplam & fortunatam euadere. Aliud esse quod seruet ciuitates, & è paruis magnas faciat: nimirum in externis bellis armorũ potentiam quæ fortitudine paretur & aßiduo studio: in ciuilibus verò pertubationibus cõcordiam ciuium. eam iustitia temperantiáque foueri in republica. cæterùm eos qui in re militari exercitati sint, suisque cupiditatibus temperent, egregiè ornare suas patrias, esseq; ciuitati pro mœnibus inexpugnabilibus, vitæq; suæ tutißima parare domicilia.

lia. bellicosos certè ac iustos viros præbere viuendi formam prudenter eam sequentibus. contrà molles, auaros, & addictos fœdis cupiditatibus, malis quoque occupari studiis. Se quidem à maioribus rerum peritis accepisse, multas magnas colonias & in loca delatas fortunata vel statim seditionibus perditas, vel post non longam moram imperio vicinorum subditas, & pro occcupato meliore agro conditionem deteriorem accepisse, seruas ex liberis redditas. rursum alias non magno numero & in agros non admodum bonos profectas, liberas primū, deinde aliarum etiam dominas permansisse. & neque paucis felicitatis, neque multis infortunij causam aliam fuisse, quàm formam reipublicæ. Quod si vna quapiam esset apud omnes homines vitæ ratio, quæ ciuitates felices faceret, eam facile potuisse eligi, nunc varias reperiri eius species tum apud Græcos tum apud barbaros: sed ab expertis laudari tres potissimum, nullam tamen ab omni parte sinceram, quòd cuiq; fatale quoddam malum agnatum adhæreat, quo difficilior sit electio. Hæc locutus iussit eos re per otium considerata dicere, num vni rectori, an paucis, parere malint. Equidem, inquit, quancúnque reipublicæ formam institueritis, ad eam recipiendam paratus sum, nec principatu dignum me existimans, nec detrectans imperata facere. honorū quibus me dignati estis, primùm declarato me duce coloniæ, deinde vrbi nomine nostro imposito, satis habeo. hos enim neque externum bellum, neque seditio domestica, neque tempus omnia præclara abolens, neque casus vllus auferre mihi poterit, sed tum viuus tū defunctus in perpetuum his perfruar. Hæc tum Romulus à materno auo, vt iam dixi, accepta memorauit apud populum. Illi communicato inter se consilio responderunt in hunc

mod

modum. Nobis noua reipublicæ forma non opus est, nec à maioribus probatam & per manus traditā mutabimus, non discessuri à priscorum sententia, quibus non sine insigni prudentia statuere ita placuisse credimus: nec nos eius formæ hactenus pænitet. cur enim hanc incusemus, cum sub regibus contigerint nobis bona, quæ apud homines habentur præcipua, libertas & imperium in alios. hæc est nostra de republica sententia. cæterùm honorem cum non alij magis quàm tibi conuenire persuasum nobis est, tum ob genus regium ac virtutem, tum verò præcipuè quòd te autore deducti sumus in hanc coloniam, multámque in te grauitatem atq; sapientiam animaduertimus, non tam verbis quàm operibus. His auditis Romulus delectari se quidē ait hominum iudicio, quo dignus regno sit habitus, non tamen assumpturum eum honorē ante, quàm deus auspicio certo comprobauerit. Quod quoniam & illis placuit, præstituta die qua de regno alites consuleret, vbi ea illuxit, sub diuum progressus est. ibi stans in loco puro, & ritè mactatis victimis, vota fecit Ioui regi & diis aliis quos coloniæ duces fecerat, vt si ipsorum voluntate rex vrbis futurus sit, signum de cælo felix ostenderent. Peractis precibus fulgur à sinistris ad dextra emicuit. habent autem Romani talia pro addictoriis, siue ex disciplina Hetrusca, siue ita edocti à maioribus, hac ratione vt equidem arbitror, quòd sedes sit optima captandis auspiciis quæ orientem spectet, vnde sol & luna surgunt. stellæq; tam fixæ quàm erraticæ, & vnde mundi motus sumit exordium, cuius circulari vertigine cuncta quæ in eò sunt modò super terram existunt, modò sub terra latitant. porrò qui orientem spectant, septentriones à sinistris habent, à dextris meridiem. honoratius autem est prius

quam

quàm posterius. sublimis enim ab aquilonari tractu polus attollitur, circa quem mundus voluitur, & è quinque sphæræ circulis qui vocatur arcticus, hac parte semper est conspicuus. at ab australi tractu is qui vocatur antarcticus, semper in ea parte delitet. verisimile est autem inter signa quæ de cælo seruantur ea præcellere, quæ fiunt in parte optima. & quoniam ad orientem vergentia potiorem partem obtinent quàm occidentalia, tum in his ipsis celsiora sunt australibus aqulonaria, meritò habentur optima. Vt verò quidam tradunt, iam tum priscis temporibus ante receptam Hetruscam disciplinam Romanorum maiores sinistra fulgura iudicabant felicia. Fertur enim Ascanium Æneæ filiũ, quo tempore obsidione premebatur à Tuscorũ rege Mezentio: iam desperatis rebus crupturum postremo cum lamentis inuocasse Iouem diósque cæteros vt felix erumpendi signum darent cælitus, móxque sereno cælo micuisse à sinistris fulgura. quod prælium quoniã feliciter cessit, posthac id signum felix apud posteros habitum. At Romulus confirmatus in regno diuinitus, aduocata concione & indicatis auspiciis, rex declaratur consensu omnium, & morem instituit in posterum, ne quis nisi auspicato regnum assumeret magistratúmue iniret: obseruatúmque est id apud Romanos longo tempore, non solum sub regibus, verumetiam sublata monarchia in consulum, prætorum, cæterorúmque magistratuum comitiis. nostra verò tempestate imago tantum quædam huius iuris remanet religionis gratia. Candidati enim prodeuntes diluculo quasdam preces sub diuo peragunt: tum aliquis ex augurum collegio fulguris signum à sinistris pronuntiat, etiamsi nullum sit. at illi vocis omine contenti ad sumendũ magistratũ abeunt, quidã hoc ipsum

rati sufficere quòd nullum auspicium intercesserit prohibitorium, quidam etiam aduersis auspiciis interdum non tam assumunt magistratus quàm per vim rapiunt. quamobrem multi terrestres Romanorum exercitus internecione deleti sunt, multæ classes in mari perierunt vnà cum ipsis militibus, aliæq́ clades ciuitati acciderunt grauissimæ tum in externis bellis tum in ciuilibus. sed maximè insignes nostro tempore, quando Licinius Crassus vir ætate sua nemini imperatorum secundus expeditionem fecit contra Parthos aduersis fatis & contemptis quæcunque se reuocabant ominibus innumeris. Verùm de religionis neglectu qui nostrum inuasit seculum, longum esset dicere. Cæterùm Romulus diis hominibúsque fauentibus rex declaratus, & bello dicitur fuisse magnus, periculorúmque contēptor, & in administranda republica prudentissimus. eius nunc domi ac militiæ gesta prosequar, quæcunque memoratu digniora sunt. ac primùm de dispositione reipublicæ, quam equidem omnibus reliquis prætulerim, vt paci æquè ac bello idoneam. ea sic se habuit. in tres partes diuisa vniuersa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuit. deinde vnamquanque rursum in decem partitus, totidem fortissimos viros eis præfecit. has curias, illas tribus, vocari voluit, sicut vocantur & hodie. Græci has φράτρας siue λόχους, illas φύλας siue τρίττυς dicerent: sicut præfectos alteros phylarchos & trittyarchos, quos Romani tribunos: alteros curiis præpositos phratriarchos & lochagos, quos illi curiones nominant. curiæ rursum in decurias distributæ sunt, & cuique suus præerat decurio, vt ipsi nominant. Ita digesto per tribus atque curias populo, agro quoque in triginta sortes æquales diuiso, singulas curias

sort

sortiri iussit, exempto prius quantum in ministeriũ sacrorum ac templorum sufficeret, & quadam parte, quæ esset iuris publici. atque hæc fuit una diuisio tam virorum quàm agrorum, in qua rex summam æqualitatem obseruasse visus est, nunc alteram dicturus sum virorũ duntaxat, quæ ad subditorum curam, honores, atque dignitates pertinet. Illustres genere & virtute celebres opibúsque vt tum ferebant tempora abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines plebeios vocauit. hi Græcis sunt δημόλικοὶ: potiores verò patres, siue quòd ætate anteirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia, exemplo vt videtur ab Atheniensium rep. sumpto, quæ florebat illo tempore. hi enim bifariam distributa multitudine, patricios appellabant ex illustribus familiis & pollentes opibus, penes quos fuit ciuitatis regimen: cæteros ciues rusticos, quibus nullum erat in Repub. suffragium, licet tandem hi quoque ad magistratus gerendos admissi sunt. Sanè qui proximè veritatem de rebus Romanis scribunt, hanc causam afferunt cur illi viri patres nominati sint, & progenies eorum patricij. Qui autem inuidiose loquuntur de hoc negotio, & vrbi generis obscuri calumniam impingunt, non ideo dictos patricios aiunt sed quòd hi soli possent patrem ostendere: quasi cætera turba fugitiuorum fuerit, non valentium proferre patres ingenuos: & argumento vtuntur hoc, quòd quoties patricij conuocarentur à regibus, præco quenque suo ac paterno appellabat nomine: plebeios verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionẽ contrahebant. sed neque per præconẽ euocatio nobilitatis patriciorum argumentum est, neque buccinæ sonus obscuritatis

plebeiorum iudicium. nam illud honoris, hoc celeritatis est. neque enim possibile erat nominatim plebem excire breui tempore. Romulus porrò postquam discreuit potiores ab inferioribus mox legibus latis præscripsit quid vtrisque faciendũ. vt patricij sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secũ remp. administrarent, res urbanas obirent: plebeij verò ab his negotiis immunes, quippe qui taliũ imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirẽtur sicut in aliis ciuitatibus, dum humiliores protruduntur cubito à potentioribus, aut egeni ac viles excellentioribus inuident. Cõmendauit autem patriciis plebeios, optione cuiq; è vulgo data vt quem vellet patronum sibi legeret: mos sanè Græcus & antiquus, quo diu Thessali vsi sunt, & Athenienses prisci, sed tũ receptus in melius. illi enim superbè vtebantur clientibus, opera eis iniungentes parum decora liberis, & siquando iussa non fecissent intentantes verbera, & abutentes tanquam emptitiis. hos Athenienses Thetas vocabant ob ministeria, Thessali verò Penestas, exprobrantes eis fortunam ipso vocabulo. Romulus contrà & appellatione decora cohonestauit hoc negotium, patronatum nominãs tutelam pauperum & humilium, & cõmoda vtrisque addidit officia, excogitata ciuili & perhumana copula. constabat autẽ ius patronatus officiis huiusmodi, iam inde apud Romanos durantibus. Patronos oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent, & absentium æquè ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solent facere, quod ad pecunias & cõtractus attinet, & lites pro affectis iniuria clientibus suscipere, siquis præter pacta detrimentum acciperet, & sustinere accusa-

toris

toris impetum: & vt compendio dicam, quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à priuatis publicísue negotiis. viciβim clientum erat patronos iuuare elocantes filias si his parum esset pecuniæ, & ab hoste captiuos redimere vel ipsos vel eorũ filios: priuatarum quoq; litium perditarũ æstimationes & mulctas publicas pecuniarias pro eis soluere idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ob referendam gratiam: publicorum quoque impendiorum quæ magistratuum honorúmve causa fiunt esse participes non secus quàm coniunctos genere. Commune autem vtrisque erat, ne fas esset alteris accusare alteros, aut aduersum dicere testimonium ferréue suffragium, aut censeri inter inimicos. quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de proditoribus quã sanxit Romulus: conuictúmque eius criminis cuiuis licebat, vt Diti sacrum interficere. mos enim erat Romanis, quos vellent impunè occidi, eorum corpora deuouere deo cuipiam, præcipuè diis inferis: quod fecit Romulus. quapropter per multas ætates permanserunt mutua patronorum ac clientum officia, haud secus quam cognatæ neceβitudines posteris per manus traditæ: & maxima laus erat nobilium habere clientes quàm plurimos, tam hæreditariarum clientelarum quã partarum virtute propria: ingénsque certamen erat vtrisque ne vincerentur mutua gratia & beneuolentia, dum clientes nullum patronis negant ministerium, viciβim patroni nullo corrumpi poßunt pretio vt clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute non fortuna metiebantur. Nec tantum in ipsa vrbe plebs tuta erat patriciorum patrocinio, sed & coloniarum, & sociarum ac amicarum ciuitatum, & bello subactarum

quæque suos habebat patronos quoscunque vellet è Romanis ciuibus: & sæpenumero senatus controuersias ciuitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorúmque iudicia rata habuit. adeóque ab his initiis ex autoritate Romuli firma Romanis coaluit concordia, ut per D C X X X. *annos nunquã uentum sit ad cædem & sanguinem, multis licet ac magnis inter plebem & honoratos exortis controuersiis de republica, ut solet fieri in omnibus tã paruis quã magnis ciuitatibus: sed parentes & mo nentes mutuum, & partim concedentes, partim im petrantes à uolentibus, per expostulationes ciuiles componebant negotia. ex quo autem C. Graccus tribunatum plebis adeptus perturbauit ciuitatis concordiã, sine fine occidunt se mutuũ & ex urbe eiiciunt, nullum nefas nõ patrantes propter victoriã. Verùm de his aliàs fiet magis opportuna mentio. Cæterùm Romulus postquã hæc disposuit, confestim decreuit senatũ legere, ut essent quibuscũ administraret rempublicã, centumq; uiros secreuit ex ordine patricio, ratione hac. Ex omnibus unũ præcipuũ ipse declarauit, cui rerum urbanarum regimẽ committeret, quoties ipse foras duceret exercitum. præterea tribũ unamquanque iussit tres uiros seligere, qui per ætatẽ maximè saperent, & genere præcellerent. post hos nouem, mandauit singulis curiis ut è patriciis ternos eligerent maximè idoneos: adiectísque ad illos nouẽ quos tribus legerant, his* X C. *promotis curiarum suffragiis, & omnibus præfecto duce quem ipse secreuerat, centenarium expleuit senatorum numerum. hoc consistorium Græco more senatũ appellare licet, sicq; usque in præsens tẽpus Romani uocitant: utrum autem propter ætatem in id allectorum, an propter uirtutem, non possum certò dicere. prisci enim uiros ætate ac uirtute præstantes*

tres senum appellatione honorabant. qui verò censentur in hoc concilio, Patres conscripti nominati sunt, & sic vocantur nunc quoque: quod & ipsum moris est Græcanici. certè reges qui hæreditarium principatum sumerent, quósve populus sibiipse præficeret, consilium habebant ex optimatibus, vt Homerus & antiquissimi quique poëtarum testantur: neque vt fit nostro seculo, veteres illi reges ex animi sui tantum sententia potestatem exercebant. Senatu deinde ex centum senioribus constituto, videns quòd iuuenum quoque sibi opus esset aliqua manu ad tutelam corporis, & quorum in rebus vrgentibus vteretur ministeriis, CCC. robustissimos ex nobilissimis familiis delectos circa se habuit, cōmendatos curiarum suffragiis quemadmodum senatores anteà, denos per singulas curias. His in vniuersum fuit nomen, sic vt & nunc celeres: vt plerique traduxit à celeritate ministerij iuxta rationē Romani vocabuli. vt verò Valerius Antias autor est à duce suo, cui nomen id fuerit. insignem enim habebat præfectum, cui tres centuriones suberant, & illis rursum alij minores præfecturas obtinentes: qui per vrbem hastati ipsum assectabantur, & iussi exequebantur ministeria. in militia verò antesignani erant & protectores, egregiáque horum opera existebat in præliis, quòd primi inirent pugnam, & postremi se reciperēt: equites quidem vbi campus esset ad equestre certamen accommodus, pedites verò in aspero solo & equis inuio. hunc morē mihi videtur accepisse à Lacedæmoniis, comperto quòd & apud illos generosissimi quique iuuenum erant in regia custodia, quibus in prælio reges vtebantur protectoribus, equestri atq; pedestri pugnæ idoneis. His constitutis honores & potestates in singulos distribuit. Regi quidem eximia munia

fuerunt hæc. primùm vt sacra curaret atque sacrificia, per eumq; gereretur quicquid ad placandos deos attinet. deinde vt legum ac morũ patriorum haberet custodiam, & iuris siue naturalis, siue quod scripta & pacta continet. vtque de iniuriis grauissimas causas ipse decerneret, leuiores permitteret senatoribus prouidendo interim nequid peccetur in iudiciis. vtq; senatum cogeret, populũ in concionem conuocaret, primus sententiã diceret, quod pluribus placuisset ratũ haberet. Hæc regi attribuit munia, & præterea summum in bello imperium. Senatui verò dignitatem ac potestatem eam addidit, vt is de quibus à rege ad ipsum referatur, de his decernat & ferat calculum, ita vt semper obtineat plurium sententia: & id quoque à Laconica repub. desumptum est. Lacedæmoniorum enim reges non erant sui arbitrij vt quicquid vellent facerent, sed senatus erat potestas in negotiis ad remp. pertinentibus. Plebi autem tria hæc commisit, magistratus creare, leges sancire, de bello referente rege decernere, ita tamen vt senatus quoq; in his accedat autoritas. Ferebat autem suffragia non vniuersus populus sed per curias, & quicquid visum fuisset pluribus curiis, id ad senatum referebatur: qui mos nostra ætate mutatus est non enim senatus plebis scita, sed plebs senatus consulta suo assensu comprobat. vtra verò consuetudo sit potior, aliis considerandum relinquimus. Distributis in hunc modum muniis non solum ciuiles res moderatè ac prudenter administrabantur, verum etiam bellicæ obsequenter ac celeriter. Quoties enim ei visum fuisset expeditionem facere, neque tribunos opus erat eligere per tribus, neq; centuriones per curias, neque magistros equitum, neque censum & delectum haberi, & in suum quenque ordinem redi-

gi: sed rex tribunis mandata dabat, illi centurionibus, hi porrò decurionibus, at hi singulis sibi subditis. ita ad vnum edictũ vel vniuersus exercitus, vel pars eius aliqua, cum armis instructa in præfinito loco aderat: His institutis Romulus ciuitatem bello æquè ac paci habilem reddidit: magnitudini verò eius ac frequentiæ hoc modo consuluit. Primũ necessitatem colonis imposuit educandi quicquid esset masculum, & è filiabus primogenitas: nullam autem prolem necari permisit minorem triennio, nisi quid mutilum aut alioqui prodigiosum in ipso partu esset editũ. tales enim fœtus exponi à parentibus non vetuit, sed indicatos prius quinq; viris vicinis proximis, si illis quoq; exponendos esse visum fuerit. cõtra hanc legem cõmittentium, præter alias mulctas, etiam dimidium bonorum addixit ærario. deinde cognito quòd multæ per Italiam vrbes vel tyrannide premerentur vel paucorũ potentia, multosq; ea de causa solum vertere, hos modo essent ingenui, nihil amplius in fortunas eorum inquirens, aut quo casu excidissent patria, decreuit excipere & ad se traducere, aucturus simul Romanorum vires, & detrimento affecturus finitima oppida. id quo decentius fieret religionem negotio prætexuit. Locum enim Capitolium inter & arcẽ situm, qui nunc Romana lingua inter duos lucos dicitur, tũc verò ex re hebebat vocabulum, ab vtroq; cliuo condensis septus arboribus, fano in hoc incertum cui deo sacrato Asylũ aperuit supplicibus, pollicitus eò confugientibus impunitatem in honorem numinis. & ad manendum apud se inuitans oblato iure ciuitatis, partéque agri adempti hostibus. Tum verò vndique confluebatur eò domesticorum malorum tædio: nec libebat demigrare aliò, retinente quotidiana principis comitate ac gratia. His ac-

cessit tertium institutum Romuli, quod maximè Graci generis hominibus exerceri decuit, vt omniũ longè præstantissimum, & (vt mea fert opinio) libertatis Romanæ fundamentum firmissimum, atq; ad futurum imperium momentum non minimum, quo videlicet puberes omnes in bello captis vrbibus necari vetuit, aut sub hasta venundari, sicut nec agros earũ relinqui voluit compascuos: sed in partem agri sorte diuidendi colonos Romanos mitti, nonnullas verò admitti in ius ciuitatis etiam. His ille atque huiusmodi aliis institutis vrbem ex parua magnam reddidit. id quod res ipsa indicat. Qui enim vnà cum illo vrbem habitare cœperunt, non multo plures erant bis mille peditibus, & pauciores trecentis equites: quando autem ex mortalium numero sublatus est, peditum reliquit X L V I. *millia, & mille fermè equites. Atque hæc ipsius instituta cum regni successores seruauerunt, tum post illos magistratus annui addentes & alia quædam, ita vt Romanorum ciuitas nulli genti vel populosissimæ numero hominum cederet. Quibus si Græcorum mores conferam, non possum laudare Thebanos & Lacedemonios, Athenienséſve opinione sapientiæ celebres: qui ob retinendam nobilitatem generis vel nullos vel raros in ius ciuitatis admittebant: vt interim taceam morem pellendi hospites, nec ipsorum iactantiæ conueniẽtem, & damnosum etiam in rebus pleriſque. Spartani certè post acceptam ad Leuctra cladem, amissósque* M D C C. *viros, nunquam postea potuerunt ciuitatem suam in integrum restituere, sed turpiter amiserunt imperium. itidem Thebani atque Athenienses vnico prælio victi ad Charoneam á Macedonibus, mulctati sunt libertate simul & principatu Græciæ. At Romani Hispanicis atque Italicis bellis*

lis

lis impliciti, & Siciliam cum Sardinia ſub ſuam ditionem retrahentes, nec immunes interim à bel- [illegible] Græcorum ac Macedonum, Carthagine rurſum affectante imperium. Italia non ſolum deficiente ad hoſtem, ſed accerſente bellum quod Annibalis ductu geſtum eſt, vno eodémque tempore tot periculis expoſiti adeo non ſuccubuerunt, aduerſis in eo bello caſibus, vt vires illorum auctæ ſint etiam, militum numero ſufficiente ad excipiendos impetus omnium, non vt quidam opinantur fortunæ indulgentia. nam quod ad hanc quidem attinet, vel vna Cannenſis clades ciuitatem eorum opprimere poterat, quando è ſex milibus equitum CCCLXX. *tantùm ſuperſuerunt reliqui. & ex* LXXX. *milium copiis paulo plures quàm ter mille manſerunt incolumes. Hæc ſunt quæ in hoc viro ſuſpicio, atque inſuper quæ mox dicturus ſum: quòd cum animaduertiſſet felicitatis rerumpublicarum eſſe cauſas de quibus vulgo conuenit, ſed eaſdem aſſequi paucis datum eſt: primum fauorem numinum quo præſente mortalibus omnia cedunt proſperè: deinde temperantiam vnà cum iuſtitia, per quas fit vt minus ſe lædant mutuum, magis conſentiant. fœlicitatémque non turpi voluptate ſed honeſtate metiantur: poſtremo fortitudinem militarẽ cuius ope cæteræ quoq; virtutes ſubſiſtunt: non ſponte obuenire horum bonorũ quodque ratus eſt: ſed intellexit rectis legibus honeſtorumq; ſtudiorum æmulatione, piam, temperantem, iuſtam, bellóque fortem ciuitatem fieri. his itaque rebus plurimum curæ impendit, à deorum cultu auſpicatus ante omnia. proinde templa & fana aráſque ac delubra, tum ſtatuas effigiéſque eorum & inſignia, præterea vires & dona quibus de noſtro genere bene ſunt meriti, feſta item quæ cuique deorum dæmonúmve celebrari*

conuenit, & sacrificia quibus apud homines cœli expetunt, ad hæc rationes induciarum, celebritatum, intermittendorum laborum, cæteráque huiusmodi omnia, iuxta optimos quosque Græcorum ritus disposuit. cæterùm fabulas à maioribus de ipsis traditas, probra eorum continentes ac crimina, turpes censuit & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas nedum diis superis: repudiatísque his omnibus, ad bene ac præclarè de immortalibus sentiendum loquendúmque ciues suos induxit, nihil his affingi passus beatæ illi naturæ parum consentaneum. Neque enim Cælius exsectus à suis liberis apud Romanos traditur, neque Saturnus proprios natos deuorans, metuénsve ne appetatur ipsorum insidiis: non Iupiter Saturnum patrem regno deiectum includens carcere Tartari: ac ne bella quidē & vulnera aut vincula deorum seruitutésve apud heros homines. Nullum eorum festum atratum aut lugubre agitur, non planctus habet ob raptos deos, ac lamenta mulierum: qualia sacra Græci faciunt raptam Proserpinam casusq́; Bacchi referentia, & id genus alia. ac ne corruptis quidem his temporibus videas apud eos arreptos numine aut furorem corybanticum, non bacchanalia cætusve clancularios aut occulta mysteria non virorum promiscuè cum fœminis peruigilia, non his similia prodigia: sed omnia religiosè fiunt ac dicuntur quæ ad deos attinent, præter morem Græcarum atque barbararum gentium. Et quod maximè miratus sum, quãuis innumeræ nationes in eam vrbem cõuenerint, quibus necessitas incumbat patrios deos domestico ritu colere, nulla tamen peregrina sacra sunt recepta publicè, vt fit in multis vrbibus: sed etiam siqua oraculorum iussu aliunde introducta sunt, suo more coluntur à ciuibus, abdicatis fabularũ mira-

culis, sicut in matris Idææ sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt & ludos faciunt: sacerdotio verò eius funguntur Phryges vir & mulier, eámque vicatim circumferunt more suo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorumque sonitum: ingenuus autem Romanus nemo est Mitriacus, nec oberrat ad Phrygios modulos indutus synthesim, neque ex decreto senatus initiatur magnæ matris orgiis. Tanta religio est erga ritus exteros, & omnis fastus carens decreto suspectus est. Nemo tamen credat me ignorare, fabulas quasdam Græcas esse perutiles hominibus, quæ vel opera naturæ per allegoriam indicant, vel ad consolationem humanorum casuum excogitatæ sunt, vel perturbationes ac terrores insanásque opiniones ex animis eximunt, vel ad aliam quempiam utilitatem sunt confictæ. equidem noui ista æquè ac quiuis alius, teneor tamen quadam religione, & Romanam magis probo theologiam, reputans quod in Græcorum fabulis pauca bona insunt, nec multis prosunt nisi qui scopum earum intelligunt, quæ quidem sapientia paucis contigit. Cæterum vulgaris turba & rudis philosophiæ tales sermones in deteriorem partem accipit, & duplex hinc capit incommodum, aut deos contemnens tanquam multis inuolutos infortuniis, aut à nulla iniquitate turpitudinéve abstinens, cùm videat deos quoque his obnoxios. verùm hæc speculatiuam philosophiam ex professo tractantibus consideranda relinquimus: de constituta verò per Romulum Republi. etiam illa memoratu digna sunt: primum quòd multos addixit diuino cultui. in nulla certè alia vrbe recens condita ostendere posses tot sacerdotes ac sacrificos. nam præter gentilia sacerdotia, qui publicè pro ciuitate

sacra tributim & curiatim facerent, LX. illo regnante designati sunt, ut Terentius Varro in Antiquitatibus autor est, vir ætate sua doctissimus. deinde quòd cum alij temere plerunque ac inconsideratè sacerdotes eligant, quidã licitatoribus proponentes hunc honorem, quidam committentes sortibus, ipse neque venalia voluit esse sacerdotia, neque sorti subdita: sed lege sanxit ut è singulis curiis legerentur bini annum egressi quinquagesimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, censumq́ sufficientem haberent, & integro essent corpore. his non ad certum tempus, sed in omnem vitam eum honorẽ concessit, immunibus propter ætatem à militia, & propter priuilegium exemptis ab urbanis negotiis. Quoniam autem quædam sacra per mulieres fieri oportebat, quædam per pueros patrimos matrimósque, ut his quoq; quantũ posset consuleret, voluit uxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & siqua sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in eiúsq; ministerij partem debitam venire illorum etiã liberos. quod siqui prole carerent, eis licere optare ex quaq; tribu puerum puellámq; elegantissimos, alterũ ministraturum sacris donec pubesceret, alterã tantisper dum pura esset à nuptiis, hoc quoque, credo, mutuatus à Græcorũ legibus. nam hæ sacris iisdem operantur, quibus apud Græcos quas illi vocant Canephoros: idq́ faciunt ornatæ capita corollis, qualibus Ephesiæ Dianæ delubra in Græcia. Quæ autem apud Hetruscos, & superiore etiam tẽpore apud Pelasgos in mysteriis Curetum & magnorum deorũ ministeria fuerant penes Cadolos quos vocant, eadem apud Romanos sacerdotes penes Camillos fuerunt. Præterea vatem unũ ex quaq; tribu sacris interesse statuit, quem nos ἱεροσκόπον, ipsi minimũ quid-

dam

dam ex appellatione prisca seruantes nominant aruspicem. De sacerdotibus autem eorúmque ministris legem tulit, eligi eos à suis curiis, quam electionem ita demum ratam haberi, si cõprobata fuisset ab auguribus. Deorum cultu sic constituto, rursum sacra, vt iam dixi, sua cuique curiæ partitus est, aßignatis in singulas diis & dæmonibus quos perpetuo colerent: sumptúsque in hæc attribuit ex ærario publico. quæ quoties celebrarentur aderant curiæ suis vicibus: epulúmque diebus festis præbebatur curialibus in aula cuiusq; curiæ propria: & præter has sacratum est commune quoddam omnibus curiis cœnaculum, qualia Græcis prytanea sunt. aulæ quoque ipsæ nominabantur curiæ, quod nomẽ etiam hodie retinent. Hoc institutum mihi videtur desumpsisse à Lacedæmoniis phiditia sua tum ex more frequentãtibus, quem Lycurgus à Cretensibus mutuatus videtur magno suæ ciuitatis commodo. nam hoc pacto ciues pacis tempore ad frugalem vitam & moderatum victũ instituit: in militia verò pudorem eis ingeßit, ne quis manipularem suum desereret, eorundem sacrorum ac libaminum participem. Nec in his solum rebus laudanda est Romuli sapientia, verumetiam quòd lege sanxit sacrificia deorum debere esse frugalia, quorum pleráque ad nostram ætatem permanent, tametsi non omnia priscum ritum obtinẽt. ipse certè spectaui in sacris ædibus cœnas diis appositas in mensis ligneis antiqui operis, pultémque in canistris & quadrulis fictilibus, far itẽ & liba fructuúmq; quorundam primitias, & huiusmodi cætera exilia paratúque facilia, omni morosa curiositate carentia: itidem libari vidi non argenteis aureísve poculis, sed culignis & ampullis testaceis, multũ delectatus hominũ in ritu patrio cõstantia. nihil ex antiquis sacris

in

in hunc nostrum luxum demutantium. Sunt præterea quæ Numa Pompilius Romuli successor memoratu digna instituit, interpres rerũ diuinarum excellentissimus, de quibus dicetur postea, sicut & Tullus Hostilius rex tertius, ac deinceps alij: sed seminaria & initia religionum probatissima debentur Romulo. Quin & alia præclara instituta, per quæ Romani felicitatem suam retinuerunt tot seculis, ad illum referenda videntur. vt autorem legum honestarũ & vtiliũ, sine scripto plerarúmque, quarundam etiam scriptarũ, quas omnes percensere non opus est: præcipuas tantum & admiratione dignissimas, ex quibus apertè coniicere licet de eius viri in ferendis legibus prudentia, quàm seuerus fuerit, & infensus vitiis, heroicarúmq; virtutum æmulus, paucis indicabimus, illud præfati: omnes eos qui Reipublicæ formas constituerũt vel Græcis vel barbaris, videri animaduertisse rectè in genere: quamlibet ciuitatẽ quæ constet ex multis domibus, tantisper frui tranquillitate, dum priuati homines viuendi rationẽ exactam teneant: ediuerso conflictari cum variis tempestatibus, si ciues singuli non bene se habeant. proinde oportere eum qui mente sit præditus ad res administrandas idonea, siue is legislator sit siue rex, leges ferre quæ iustas ac temperatas reddant vitas ciuium. quibus autẽ studiis legibus tales euadere possint, non æquè omnes intellexisse videri: sed nonnullos multum, immo in totum vt ita dicam aberrasse in his quæ in primis ad legislatoris curam pertinent. mox enim de nuptiis agentes & conuictu cum fœminis, vnde incipiendum est, quemadmodum & natura vitas nostras auspicatur à coniunctione sexuum: alij sumpto exemplo à bestiis, vagos & promiscuos permiserunt concubitus; quasi hoc pacto vitam liberaturi

raturi à furoribus amatoriis, cædibusque mutuis è zelotypia prouenientibus, aliisque malis plurimis, quæ vel priuatas familias vel ciuitates totas propter mulieres solent inuadere: alij beluinam hanc & agrestem venerem profligantes è ciuitate, virũ copulauerunt mulieri unicæ: de conseruando verò coniugio, & de vxorum pudicitia neque magnum quid neque paruum præscripserunt legibus, libenter abstinentes à negotio difficillimo. alij neque licentiam indulserunt rebus venereis, vt quidam barbari, neque vxores incustoditas reliquerunt, vt Lacedæmonij: sed multas leges imposuerunt conseruatrices earum modestiæ: nec defuerunt qui magistratus constituerent, penes quos esset cura honestatis mulierum: non tamen per eos satis prospectum est huic negotio, sed leuius quàm vt cohiberi posit natura pronior ad nequitiam. At Romulus neque marito contra vxorem actione concessa stupratam aut domo profugam, neque nuptæ contra virum malæ tractationis aut destitutionis iniustæ, neque de dote reddenda recipiendáue vllis latis legibus, aut aliis id genus negotiis vnica tantum efficaci ad hæc omnia, vt res ipsa ostendit, constitutione redegit vxores ad decentẽ modestiã. ea fuit talis. mulierem nuptam, quæ iuxta sacratas leges conuenisset cum viro, ei participẽ esse possessionum & sacrorum omniũ. nominabant autem prisci Romani sacras nuptias vocabulo suo farracia: quia coniuges vescerentur eodem farre, quod nos Græci zeam dicimus. & quemadmodum nostri homines antiquissimam hordeaceam frugem rati, hordeo quod molam salsam vocant, hostias initiant: ita Romani quoduis sacrificium igne adolendum respergũt farre, quippe qui hoc genus antiquissimum existimant & honoratissimum. manet enim is mos

hodi

hodiéque, nec quicquam est additum ad frugalitatem pristinam. Hæc sanè inter virum & uxorem communio primi & sacri quondam habiti cibi, ... queque fortunæ quamuis optimæ, à communi farre nomen inuenit, vinculum efficiens insolubile: nec vlla res tale coniugium dirimere poterat. Ita lex hæc mulieres nuptas, non habentes quò se vertant aliò, cogebat vnius mariti se attemperare moribus: viros item sic habere mulieres, vt rem necessariam, nulloque diuellendam tempore. Vxor enim pudica & marito semper obsequens æquè ac ille domus erat domina, & in eius defuncti bona succedebat hæres sicut parentis filia: ex asse quidem si is liberis carens ac intestatus decederet: quòd si prolē haberet, ex æquo cum liberis. Si autem aliquid peccasset pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio. de huiusmodi criminibus cognati cū ipso cognoscebant, in quibus erat violata pudicitia, & quod apud Græcos videretur leuissimum, si deprehensa esset vinum bibisse mulier. nam vtrunque damnauit Romulus, vt erratorum muliebrium maximū, ratus è stupro nasci insolentiam, stuprū è vinolentia: longóque tempore crimen vtrunque apud Romanos iram merebatur implacabilem, comprobantibus legis æquitatem tot seculis. Constat enim per D. X X. annos Romæ nullum accidisse diuortium. Septima demum supra centesimam & trigesimam Olympiade, M. Pomponio, C. Papyrio COSS. primus dicitur uxorem repudiasse Sp. Caruilius, vir non obscurus, coactus à censoribus iurare, liberorum causa se coniugem dimittere: erat enim sterilis: qui tamen ob hoc factum, quamuis necessarium, in perpetuum exosus fuit populo. Atque hæ sunt leges in quibus ferendis Romulus honestatis mulierū rationem habuit. quæ autem ad reuerentiā & æqui-

statem liberorum attinent, vt colant parentes perficiendo iussa illorũ omnia, plus habent grauitatis, & nostrorum hominum leges longe superant. Nã qui formas viuendi Græcis condiderunt ciuitatibus, certum quoddam tempus admodum breue præscripserunt quo liberi patribus essent subditi, quidam ad annum pubertatis tertiũ, quidã tantisper dum illi cælibes manserint, nõnulli donec publicè inter viros ascripti fuerint, quemadmodũ è Solonis, Pittaci, Charondæq; legibus acceperant, quorum magna celebratur sapientia: pœnas etiam in contumaces filios statuerunt non graues, permittentes patribus eos exhæredare domóve pellere, præterea nihil: quæ non sufficiunt ad compescendam iuuentutis vesaniam moréſque præfractos, neque contemptores honestatis leui brachio possunt ad modestiam redigi. quapropter apud Græcos sæpe indecora multa in parentes committunt liberi. Romanorum autem legislator omnem vt ita dicam potestatem patri dedit in filium, idq; toto vitæ tempore, siue in carcerem eum mittere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat, etiamsi filius tractet Rempub. etiamsi magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem plublicè sit promeritus. certè iuxta hanc legem viri illustres pro rostris fauente plebe concionantes in senatus inuidiam, fruentéſque auris popularibus, detracti è suggesto per parentes abducti sunt, pœnas daturi ex ipsorum sententia: quos dum per forum ducerentur, nemo adstantium eripere poterat, non consul, non tribunus, non ipsa turba cui tum adulabantur, licet omnem potestatem sua minorem existimans. taceo nunc quot viri fortes necati sint à patribus, nimio virtutis ardore prouecti ad patrandum aliquid præter

ipsorum mandatum: sicut de Manlio Torquato aliisque multis traditur, de quibus suo dicemus tempore. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse legislator Romanus, permisit etiam vendere filium, nil deterritus crudelitatis specie, quòd res grauior videri posset quàm pro affectu domestico, quódque maximè quis miretur in hac dissoluta disciplina Græcorum educatus, quasi durum & tyrannicum, hoc quoque patri concessit, licere illi terna filij venditione pecuniam quærere, maiorem largitus potestatem patri in filium, quàm hero in mancipium. seruus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui iuris est. filius verò à patre venditus si liber fieret, rursum sub patris potestatem redigebatur. iterum quoque venum datus & liberatus, seruus vt antè patris reddebatur. post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. hanc legẽ primi illi reges obseruabant, incertũ scriptámne an sine scripto proditã, habentes pro omniũ firmissima. post sublatã verò monarchiam. cũ primum visum est Romanis patrios mores legésque omnes vnà cũ asciticiis in foro proponere vniuersis ciuibus, ne ius publicũ mutaretur cum potestate magistratuum, decemuiri qui à populo acceperant potestatẽ colligendarum legum & conscribendarũ, hanc quoque retulerunt inter ceteras: exstátque in quarta ex his quas vocant duodecim tabulas, in foro publicatas illo tempore. quòd autem nõ decemuiri, trecentesimo post anno scribendis legibus creati, primi Romanis hanc legem introduxerint, sed iamdudum receptam non ausi sint tollere, præter alias multas coniecturas maxima est è legibus Numæ Pompilij successoris Romuli, vbi scriptum habetur sic: Si pater filio concesserit vxorem ducere, futurã sacrorum ac bonorum iux-

ta

*ta leges participem, patri posthac nullum ius esto
vendendi filium, quod ille non scripsisset, nisi antè
ius fuisset patri vendendi filios. Sed de his hacte-
nus. nunc libet aliam eius ordinationem summa-
tim percurrere, qua plebeiorum honestati consuluit.
Considerans enim ciuiles cœtus ad vitæ sobrietatē,
& maiorem æquitatis quàm lucri habendam ratio
nem, perdurandúmque in laboribus, & virtutem
rebus omnibus præferendam, non tam facilè verbo-
rum doctrina duci, quòd plerique sint intractabiles,
quàm operum consuetudine ad virtutē conferen-
tium, cogíque hos quàm persuaderi citius, ni cohi-
beantur facilè relapsuros ad ingenium, sellularias
quidem ac sordidas & turpibus cupiditatibus sub-
seruiētes artes, vt corporibus atque animis tractantiū
noxias, seruis & exteris exercendas tradidit: lon-
góque tempore pudori fuerunt Romanis opera ta-
lia, omnibus ingenuis pertinaciter abstinentibus.
duo verò tantum illis reliquit studia, rei militaris
ac rusticæ: quippe qui videret hæc vitæ genera ven-
tri & illicitæ veneri minus obnoxia, lucráque se-
ctari non ex iniuriis mutuis, sed ex hostium manu-
biis. ratus autem vtrunque absque altero imperfe-
ctum esse ac querulū, non aliis colendas terras at-
tribuit, aliis diripiendas abigendásque res hostium,
vt mos fuit apud Lacedæmonios: sed iisdem tam
bellica quàm rustica iniunxit munia: in pace om-
nes assuefaciens ruri degentes incumbere operi, ni-
si siquando mercatu opus haberent: tum verò in vr-
bem conuenientes versari in foro, nona quaque die
assignata nundinis: tēpore autem belli militare do-
cens, & certatim lucris simul insistere ac laboribus.
victoribus enim æqualiter diuidebat agrum adem-
ptum hostibus, pariterque mancipia & pecunias,
quo libētius expeditiones susciperēt. De iniuriis au-*

tem quibus inter se alij alios afficerent, sine dilatione decernebat, partim per se ipse, partim per alios: pœnásque infligebat pro modo criminum. cúmque cerneret homines timore maximè cohiberi à maleficiis, multa in eum vsum parauit, tribunal in loco fori conspicuo, satellitij CCC. *militum terribilem faciem, virgas ac secures prælatas à duodecim lictoribus, qui flagra meritos verberabant in foro, grauium verò criminum damnatos capite plectebant in conspectu omnium. Hæc fuit ratio instituta Romulo reipublicæ: ex his enim de reliquis coniecturam licet sumere. Res porrò viri bello contra diuersos populos gesta, hæ fermè traduntur à scriptoribus. cum multæ ac validæ gentes Romanis essent finitimæ, amica nulla, volens eas conciliare sibi per connubia, qui mos contrahendæ societatis antiquis habebatur firmißimus: cogitánsque alias ciuitates aspernaturas nouos conuenas, nec opibus potentes, nec rebus gestis nobiles, nullam tamen ex aduerso contentionem fore, si vim excusaret neceßitas: ex consensu Numitoris aui sui cepit consiliũ, raptis non paucis simul virginibus connubium quærere. quæ sententia postquam placuit, primùm Conso deo consiliorum occultorum præsidi vouit, si conatus succederet, solenne festum ac sacrificium: deinde re cum senatu communicata, illis quoque comprobantibus, indixit celebritatem festúmque Neptuno diem, dimißis circũ finitimas vrbes qui inuitarent ad conuentum & certamina, quæ tunc instarent cum virorum tum equorum varia. Facto deinde ad eam celebritatem confluxu plurimorum hospitum cum vxoribus simul & liberis, peractísque sacris Neptuni & certaminibus, extrema ludorum die cum iam soluenda esset celebritas mandat iuuenibus, dato signo rapiant virgines quæ*

spect

spectatum venerant, quam cuique fors obtulerit. seruéntque castas illam noctem, postridie verò ad se adducant. tum iuuenes cateruatim diuisi, vbi quod conuenerat signum elatum viderunt, discurrunt ad rapiendas virgines, magno tumultu ac vociferatione hospitum, maius aliquod malum suspicantium. Sequenti verò luce adductarũ virginum mæstitia deiectos animos Romulus consolatus est, rapinam eam non ad iniuriam spectare, sed ad coniugium dictitans, docénsque morẽ hunc Græcorum esse antiquissimum, & qui maximũ decus afferat expetitis ad nuptias mulieribus, proinde darent animos maritis, quibus fors dedisset corpora. Post hæc comperto puellarum sexcentarum octuagintatrium numero delegit totidem viros cœlibes, quibus eas in matrimonium dedit ritu cuiusq; patrio, ignis & aquæ societatem inter coniuges pactus, qui mos durat vsque nostra tempora. Hæc facta quidam scribunt anno primo regni Romuli, Cn. Gellius quartum fuisse tum autor est, quod est verisimilius. Nouæ enim coloniæ deductorem nondum constituta republica tantum facinus esse aggressum, non videtur rationi consentaneum. rapinæ quoque causam alij mulierum inopiam fuisse tradunt: sunt qui belli occasionem sic quæsitã existiment, qui autem maximè probabilia scribunt, ad quorum ipse accedo sententiã, aiunt hac necessitudine quæsitam societatem finitimarum vrbium. Cæterùm festum quod tum consecrauit Romulus, etiam nostra ætate Romani agitant nomine Consualium, in quo ara subterranea. sita prope circum maximum, refossa terra sacrificiis honoratur & libaminibus, & equorum ac quadrigarum committuntur certamina. Deus autem in cuius honorem ista fiunt, Consus à Romanis vocatur, quem

quidam nostra lingua interpretantur Neptunum σεισίχθονα, ideóque aram ei sacratam subterraneã, quod hic deus terram habeat. Ego verò & aliã rationem festi Neptuno dicati audire memini, sicut & cursus equorum: aram verò subterraneam postea positam genio cuidam cuius nomen proferri nefas sit; occultorum consiliorum seruatori ac præsidi. Neptuno enim occultam aram nusquam terrarum sacratam esse, nec apud Græcos nec apud barbaros. quid autem sit verius, pronuntiare non est facile. Ut verò de raptu ac nuptiis virginum fama per finitimas vrbes diuulgata est, alias indignatio, alias non malo animo id esse factũ reputatio subiit. res tandem erupit in bellum multiplex, prægrauante Sabino inter alia: quorum omnium felix fuit finis, sicut iam antè vates prædixerant, laboris quidem ac periculorum fore plurimum, sed læto exitu. Primæ autem ei bellum intulerunt Canina, Antemna, & Crustumium, prætexentes vltionem raptarum virginum, sed re vera molestè ferentes crescentem paulatim rem Romanam in immensum, nec conniuendum rata dum accolarum omnium malo vires colligeret. itáque conuenerunt harum legationes ad Sabinos, postulantes geri bellum ductu illorum & auspiciis, eo quòd gens esset opulenta & prævalida, principatúmque inter vicinos obtinens, nec minus aliis affecta iniuria. nam illorum plurimæ virgines raptæ fuerant. Sed cùm nihil proficerent, resistentibus legatis Romuli, & gentis fauorem verbis factísque ambientibus, Sabinísque consilia belli procrastinantibus cõtinuè, pertesæ morarum decreuerunt suis opibus bellum cum Romanis gerere, satis virium sibi ratæ in vnum collatis trium ciuitatũ copiis ad vnã non magnam vrbem expugnãdã. Sed quominus in vnis castris visæ

sint

sint vt decreuerant, Cæninensium fecit festinatio, qui autores inferendi belli fuere præcipui. his irruptione facta Romanum agrum populantibus occurrens cum exercitu Romulus, ex improuiso hostem aggreditur imparatum, castris vix dum permunitis vi potitur: refugientiumq; tergo hærens, priusquam oppidani cladem suorum cognoscerent nactus incustodita mœnia portásque patentes, vrbem primo capit impetu: regem ipsum cum valido globo iuuenum obuium manu sua conficit ac spoliat. Cænina hoc modo capta armis ademptis, imperatísque obsidibus, in Antemnates mouit: & horum quoque copias palantes ac prædis etiam tum intentas, nec opinantes adortus, sicut priores fudit fugauitque, & eodem modo vsus victoria domum reduxit exercitum, spolia hostibus in prælio detracta præferens, votiuásque manubiarum primitias, & diis destinatas victimas. ipse pompam extremus claudebat indutus purpuram, & coronatus laurea quadrigísque inuectus quo augustiorem se faceret, reliqua peditum equitúmque copia ornata ac instructa incedebant canentes deos patrios, & ducem venerantes incondito carmine, effusa obuiam ciuitate gratulabunda cum vxoribus & liberis vtroque viæ latere, summáque comitate excipiente victorem exercitum. vt verò in vrbem ventum est, præsto erant cratera vino plena, & mensæ instructæ cibis variis ante illustrium virorum ædes propositæ ad fruendum quibuslibet. atque hæc fuit victorialis ac sacra pompa quam Romani triumphum nominãt, tunc primũ instituta Romulo: nostra verò hac tempestate magno luxu agitur & fastu quodam tragico, non tam ad virtutis opinionem quàm ad ostentationem diuitiarum, repudiata omni frugalitate pristina. Traducta pompa & re diuina perfecta,

Romulus in Capitolino vertice Ioui Feretrio templi spatium designauit non magnum: adhuc enim seruatur vetus eius vestigium vix quindecim pedum longitudine, quò inferret opima de Caninensium rege spolia. Feretrium autem Iouem siue quis nostrum τροπαιοῦχον aut σκυλοφόρον vt quibusdam placet vocauerit, siue quòd complexus vniuersam naturam ac motum superior feratur ὑπερφερέτην, nequaquam à vero aberrauerit. Post redditas diis votiuas victimas spoliorúmque ac prædæ primitias, rex ante omnia retulit ad senatum de captis vrbibus quid statuendum censeant, ipséque primus quæ tum optima videbatur sententiam protulit: cúmque qui aderant, probarent principis consilium, vt tutum simul & magnificum, nec in præsens modo, sed in posterum quoque vtile, perpetuam inde sibi parauit opinionem prudentiæ. Nam contractis in vnum quotquot raptæ fuerant Antemnatū & Caninensium generis, vt vidit prouolutas sibi ad genua, lamentantes deflentésque fortunam patriæ, desinere ac silere iussas sic affatus est. Quãuis patres vestri & fratres totæq; ciuitates extrema mereantur omnia, vt qui amicitiam nostram aspernati bellum maluerunt nec honestum nec necessarium, nos tamen multa mouent ad consulendum de illis moderatius, respectus indignationis deorum quibus inuisa est omnis superbia, & metus hominum inuidiæ, & quòd misericordiam credamus non parum conferre miseriis mortalium, quam & ipsi vellemus in nostra necessitate impetratam ab aliis: vobis quoque de quibus hactenus nulla maritorum querela exstitit, hunc honorem habendum censemus & gratiam. Itaq; hoc erratum eos impune ferre sinimus, non libertate, nõ agris aliisve bonis vestros ciues mulctamus. qui volent, his manere

illic

illic permittimus: qui malent huc transferre penates, tutò id poterunt, pollicemúrque fore vt nunquam eos pœniteat mutati domicilij. Ne autem posthac in idem relabantur peccatum, amicitiámque nostram vlla de causa deserant, remedium erit opinor efficacissimum, si fecerimus eas Romanas colonias, & eò colonos hinc miserimus quantum sat erit. Ite igitur bono animo, & maritos iam duplici honore ac caritate complectimini, per quos tam parentibus vestris quàm fratribus & patriis libertas manet ac incolumitas. His auditis latæ mulieres manantibus præ gaudio lacrymis è foro abeunt. Romulus vtróque trecenos misit colonos, quibus agrorum tertia pars sorte obtigit: ipsos Caninenses atq; Antemnates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam vnà cum familiis transtulit, nec agris mulctatos nec pecuniis: eosq; mox in tribus & curias adscripsit, non pauciores tribus millibus, ita vt tum primum peditum Romanorum censerētur in vniuersum sex millia. Erant Canina & Antemna vrbes à Græcis oriundæ non ignobiles. eas enim Siculis ademptas tenebant Aborigines, Oenotrorum pars profectorum ex Arcadia, vt antè dictum est. p o. & hoc autem bellum coloniæ Romanæ factæ sunt. His confectis rex contra Crustuminos paratiores hostes educit exercitum. eos acie victos, expugnatísque mœnibus, quamuis repugnassent fortiter, nihilo tractauit duriùs: sed hanc quoque vrbem, sicut priores, Romanorum fecit coloniam. erat Crustumium ab Albanis multis seculis antè quàm Roma conditum. Volitante per vrbes fama bellicæ Romuli fortitudinis, ac erga victos clementiæ, & multi viri fortes cum valida manu domesticorum commigrarunt ad regem, à quorum vno Cælio nomine mons quidam intra vrbem

Cælius hodiéque dicitur: & populi integri committebant se eius fidei, exemplo à Medullinis orto, Romáque colonias assumpserunt. hos successus ægrè ferebant Sabini, reiicientes culpam alius in alium, quòd imperij Romani non obstitissent principiis, iámque cum egregiis viribus aucto habituri essent negotium. quapropter visum est priorem negligentiam valido exercitu immisso corrigere: móxque indicto Cures, id gentis caput erat, concilio, communi suffragio bellum decernunt, ductu & auspiciis regis T. Tatij: atque ita soluto conuentu suam quisque domum reuersi, oppidatim bellum parabant, vere ineunte magnis copiis Romam petituri. Interea Romulus contra hostem bellicosum quàm diligentissimè se præmuniēs, palatinos muros altiores faciens prouidebat tutelæ ciuium, Capitolinum quoque ac Auentinum (vt nunc vocant) colles fossa & vallo firmo complexus, nocturnum pastoribus & agricolis receptaculum, vtrique imposito idoneo præsidio, quod tum aliis quoque locis opportunis factum est, auxilium etiam validum adduxit è Solonio Hetruscæ vrbe Lucumo vir strenuus & bello clarus, nuper receptus in amicitiam: & ab Albani aui iussu venerunt multi tam milites quàm operarij machinarúmque opifices. nec deerat frumenti armorum, & huiusmodi rerum copia. Ita paratis ad certamen vtrisque, primo vere Sabinis priusquam exercitum educerent, placuit legatos ad hostem ante omnia mittere qui raptas fœminas repetant, raptoréſque deposcant ad supplicium, vt æquum postulantes & repulsam passi viderentur necessarium bellum suscipere: caduceatoréſque in hoc missi sunt. Romulus contrà censebat sinendas mulieres, quandoquidem id non inuitæ facerent, cum maritis degere. quòd si qua

aliæ

alia re opus habeant, acciperent tanquam ab amicis, nec bello se lacesserent. hostes verò his conditionibus contemptis eduxerunt copias, vigintiquinque millia peditum, equites penè mille. Romanis non multo minor fuit exercitus, viginti millia peditum octingenti equites: castráque duobus locis ante urbem munierant, altera in Esquilino colle, ubi erat ipse Romulus, altera in Quirinali nondum id nomen sortito, quibus praerat Hetruscus Lucumo. At Sabinorum rex Tatius postquam cognouit apparatus hostium, noctu excitas copias ducebat sine damno agrestium, & ante solis ortum medio Quirinalem inter & Capitolium campo castra posuit: cùmque videret omnia teneri firmis hostium præsidiis, sibi verò nullum tutum locum reliquum, hærebat inops consilij, ratus fore ut frustra tempus ibi tereret. sed animi perplexo fortuna inopinata viam expediit, munitione optima in eius potestatem redacta in hunc modum. Oberrantes pedem Capitolij Sabinos speculabundos si qua is collis vi furtóve occupari posset, è sublimi contemplabatur virgo quædam, viri nobilis præsidio præfecti filia, Tarpeia nomine. hanc, ut Fabius & Cincius produnt, cupido cepit anulorum & armillarum quas illi gestabant in sinistris brachiis: gaudebant enim tunc Sabini, non minus quã Hetrusci, molli victu ac cultu, & ornamentis aureis: vel, ut L. Piso vir censorius scribit, volebat præclaro facinore nudatos scutis hostes ciuibus suis obiicere. Vtrius autem verior sit opinio, ex procedente narratione licebit coniecturam sumere. Ergo ancilla per occultum posticulum emissa, petit à rege Sabinorum ut sine arbitris in colloquium suũ veniat auditurus de seriis negotiis & necessariis, cúmque Tatius spe proditionis arripuisset oblatam occasionem, virgo quàm potuit latenter

tenter occurrens in condictum locum progresso, ait patrem suum noctu ex arce propter necessitatem quandam profectum penes se claues portarum asseruandas reliquisse: paratámque se munimentum noctu venientibus tradere, mercede proditionis accepta quicquid Sabini gestarent sinistris brachiis. quod vbi probatum est Tatio, pactorum fide cum sacramento data vicissim & accepta, locóque Sabinis præfinito munitissimo, & nocturna veniendi hora, qua putabat remissiores excubias, clam in arcem reuertitur. Hactenus inter scriptores Romanos conuenit, in sequentibus discrepant. Piso censorius cuius suprà memini, nuntium narrat à Tarpeia noctu ex arce missum, Romulo indicaturum quid puella cum Sabinis pacta sit, & quòd à deceptis conditionum ambiguo petitura sit arma quibus se protegerent. proinde mitteret noctu in arcem manum aliam, hostes exarmatos cum suo duce oppressuram facile. eum nuntium transfugisse ad regem Sabinorum, & detulisse Tarpeiæ consilia. Fabius autem & Cincius nihil tale, sed aiunt seruasse puellam quod de proditione pacta est: ac rursum quæ sequuntur vno consensu traduntur ab autoribus. aiunt enim aduenients rege Sabinorum cum exercitus robore iuxta promissa Tarpeiæ apertam hosti præfinitam portulam, simulq; ab ea loci custodes excitos, vt quantocyus se per auersam portam proriperent ignotam hostibus, qui iam arcem occupatam teneant. quibus elapsis Sabinos per apertam portam ingressos arcem desertam occupasse: ac mox Tarpeiæ, vt quæ fidem pacti pro parte sua soluisset, mercedem obtulisse sacramento debitam. Hic rursum Piso quidem ait, Sabinis paratis aureas armillas puellæ tradere, Tarpeiam non ornamenta, sed scuta postulasse ab eis. Tatio verò simul doli causa indignat

dignat

dignationem, simul non violandæ religionis cogitationem obortam. tandem ei visum, tradēda quidem arma puellæ vt postulauerat, sed ita ne acceptis vti posset. ac mox totis viribus iecisse scutum in virginem, caterósque iussos idem facere. ita petitam vndique Tarpeiam vi & multitudine inflictorum sibi scutorum confectam esse ac obrutam. Fabius autem dolum violati pacti ad Sabinos retulit. pro auro enim quod Tarpeiæ debebant ex pacto, indignatos mercedis magnitudinem scuta in eam coniecisse, quasi hæc se daturos iurauerint, sed quod necem eius secutum est, Pisonis sententiæ veritatem astruit. nam & sepulchri honore dignata est vbi cecidit in colle vrbis sacratißimo, & solennes ei Romani reddūt inferias, vt Piso in literas retulit: quorum neutrum consecuturam fuisse credimus vel à proditis, vel ab interfectoribus, si occubuisset patriæ proditrix: immo si quæ superfuissent ossium eius reliquiæ, refossæ tandem ac disiectæ fuissent, vt hoc exemplum alios à tali facinore deterreret in posterum. Sed de his quisque vt volet iudicet. Cæterùm Tatius & Sabini arce munitißima & Romanorum apparatus bona parte sine labore potiti iam in tuto bellum trahebant. itaque collatis castris multæ per occasionem alterutrius partis velitationes fiebant, magis virtutis experimento quàm quod in totius belli euentum afferrent momenti aliquid. bis deinde in acie cruento sed æquo marte certatum est, quando pertesis morarum vtrisque placuit totis viribus decernere: productique à peritißimis ducibus in mediam castrorum planitiem exercitatißimi milites mira edebant facinora, alternis facientes & excipientes impetum. interim stantes in munitionibus sublimes spectatores ancipitis certaminis & nunc huc nunc illuc inclinan-

tis vi-

tis victoriæ, rem fortiter gerentibus suis militari acclamatione accendebant animos: fessos verò & cedentes gemitu ac precibus reuocantes in prælium, non sinebant virtutem prorsus abijcere: atq; ita vtrique supra viros durabant in periculis. tandem exacto die per pugnam dubiam, superuenientibusque tenebris, vtrique in sua castra non inuiti se receperunt. Postero die sepultis cadaueribus, curatis sauciis, integrorum copiis suppletis, quoniam libuit instaurare prælium, eodem quo pridie loco congressi vsque ad noctem pugnauerunt, Romanis in vtroque cornu egregiè vincentibus. præerat autem in dextro ipse Romulus, in sinistro Hetruscus Lucumo. mediam Sabinorum aciem vnus sustentabat Metius Curtius, qui solus in causa fuit ne vincentibus cederent. robustus vir manúque promptus, & ob periculorum contemptum laudatissimus. hic mediam aciem curare iussus reiecit sibi oppositos. cúmque vellet etiam cornua Sabinorum laborantia iam pedémque referentia restituere in integrum, cohortatus suos instabat hosti fugienti & petenti portas turbatis ordinibus, ita vt Romulum coactum se miperfectam victoriam relinquere, contra victricem hostium partem auerteret. Sic Sabinis hac parte leuati tanto aduersario rursum pugna æquata est, & in Curtianos auersus totus impetus. quem Sabini excipientes acriter restiterunt aliquandiu, dein ex aduerso confluentibus impares, sensim pedem referebant in castra, extremum agmen tutante Metio, ne fuga ordines confunderet. is enim resistebat inuehenti se Romulo. vnde inter ipsos duces egregium certamē commissum est. sed cum iam exanguis telisq; confixus Curtius paulatim retrocederet, in paludem cœnosam delatus est: quam cū nec deuitare cinctus hostibus posset, nec traiicere

præ aqua in limo stagnante, armatus in eam sese coniecit. Romulus supernacuum ratus per paludem persequi perituram in voragine, in alios Sabinos vertit impetum, ille verò ægre tandem è palude cum armis eluctatus est & intra vallum reductus. Locus is iam terra congesta repletus est, adhuc tamen ex illo casu vocatur Lacus Curtius, Romani fori meditullium ferè occupans, Romulus verò cæteros persequens usque Capitolium, & sperans se iam posse arcem capere, præter alia vulnera saxo è superiore loco in caput grauiter ictus semimortuus à proximis relatus est intra mœnia. ibi Romani non comparente duce territi in dextro cornu terga vertunt. sinistrum aliquandiu restitit, Lucumone clarissimo duce pugnam ciente tam voce quàm manu, donec & inuectus in medios Sabinos per latus traiectus cecidit. tum verò uniuersis fugientibus, Sabinos audacius persequentes usque mœnia, iámque portis proximos, repressit erumpens cum Romulo globus iuuenum, quos rex ad custodiam Vrbis reliquerat. iam enim se recollegerat ex vulnere. quo succurrente quantum poterat, confestim mutata est fortuna partium. qui enim modò fugiebant, vt ducem suum ex insperato viderunt, receptis è recenti metu animis, ordinibúsque instauratis, sine mora manus conseruerunt cum instantibus: & qui inclusi mœnibus nullum remedium putabant quin vi capta vrbe uenirent in potestatem hostium, ad tam repentinam & inopinatam mutationem de salute sua cogitare cœperunt. erat autem hosti procliuis receptus in castra, è superiore loco per viam cauam refugienti multiq; in ea fuga desiderati sunt. Hunc habuit ille dies euentum dubij certaminis, quod post inopinatos ; artium casus uergente demum sole diremptum est.

Seq

est. Sequentibus verò diebus Sabini consultabant, vtrum vastato quantum possent hostili agro reducendæ essent domum copiæ: an perseuerandum in bello accitis recentibus, donec præclarum ei finem imponerent. Durum enim erat vel abire infecto negotio, vel manere non succedente vt sperauerant. Quod si descenderetur in colloquium, qui solus restare videbatur honestus belli exitus, id verò sibi æquè ac Romanis existimabant conducibile. Romani quoque non minus, immo magis etiam quàm Sabini, consiliorum erant inopes, incerti quid facerent. nam neque retinere mulieres placebat, neque reddere: quòd alterum videretur nihil aliud quàm confessio victos se esse & ad quaslibet conditiones accipiendas obnoxios: alterum multas miserias eos inspectare cogeret, agrorum vastationem & iuuentutis fortissimæ quotidianos interitus. quòd si priores mentionem fecissent amicitiæ, nihil æquum à Sabinis sperabant, ea maxime de causa, quòd qui se potiores existimant, non tam moderatis conditionibus aduersarios demereri studeant, quàm iniquis premere. Inter has cogitationes partium, dum neutris vel pugnæ initium vel pacis mentionem facere audentibus tempus teritur, Romanorum vxores Sabini generis propter quas bellum exortum fuerat, cœtu facto absque viris arbitris inter se collocutæ, decreuerunt vtrosque inuitare ad fœdera, suasu Hersiliæ non obscuro inter Sabinos loco natæ fœminæ. hanc quidam aiunt iam nuptam inter cæteras puellas raptam pro virgine: grauiores autores tradunt eam sua sponte mansisse in vrbe cum filia rapta, vt quæ vnica illi fuerit. quod consilium postquam vniuersarum communi sententia comprobatum est, regium senatum adeunt: & post acceptam dicendi copiam oratione prolixa cum patribus conscriptis agunt,

agunt, vt sibi bona ipsorum venia cognatos suos adire liceat, affirmantes se certam spem concepisse conciliandæ inter duas gentes amicitiæ. His auditis in concilio rex & cæteri vehementer gauisi sunt, censentes solum hunc superesse perplexis rebus exitum: factúmque est senatusconsultum, vt quotquot Sabinæ haberent prolem, his domi penes maritos relictis pueris liceat legationem ad suos populares suscipere. quòd si quæ matres sint pluriũ, hæ partem eorum aliquam secum ducant, & dent operam vt duo populi coëant in amicitiam. post hæc exeunt lugubri habitu quædam etiam ducentes secum infantulos. vt verò in castra Sabinorum ventum est, cum lamentis accidentes omnibus ad genua, magnam miserationem mouerunt inspectantibus, nemine sibi temperante à lachrymis. móxque admissas in concilium iubente rege causam aduentus dicere, autor huius consilij legationísque princeps Hersilia longa & ad mouendos affectus composita deprecatione ad pacem viris sui respectu impetrandam vsa est, quandoquidem ipsæ belli suscipiendi causa fuissent: cuius conditiones, quod vtrisque bonum sit & commodum, ex communi ducum statuerentur arbitrio. oratione finita prociderunt vniuersæ cum pueris ad regis genua, nec surrexerunt nisi subleuatæ à suis, æqua omnia quantum in se esset pollicentibus. ac mox cum iussissent eas excedere, consultatione inter se habita, decreuerunt de reconciliatione agere: interpositisq́ primùm induciis, paulò pòst fœdus inter reges ictum est, & iureiurando firmatum, his pacis legibus: vt in vrbe regnarent pari potestate honoréque Romulus ac Tatius, & vt ea deductum à conditore seruaret vocabulum, ciues verò in vniuersum à Tatij patria Quirites denominarentur. Sabinis ius ciuitatis Ro-

manæ vt daretur quicunque id cuperent, vtque hi communicatis vtrinque sacris reciperentur in tribus & curias. Sic ante aras icto fœdere circa mediam sacram viam permixti se inuicem consalutauerunt. Dimißis deinde cum suis copiis ducibus cæteris, Tatius rex cum tribus illustrißimis viris Romæ habitaturus substitit. hi posteritatem honoratam post se reliquerunt, Volesus Valerius, Tallus cognomine Tyrannus, & Metius Curtius qui paludem armatus euaserat, cũ quibus cognati & clientes manserunt non pauciores indigenis. iámque ordinatis rebus visum est regibus, quãdo plebeia multitudo non parum creuisset, duplicare patritiorum numerum, allectis in eum ordinem è nouorum incolarũ numero illustrißimis familiis, & ex his quoque patritiis centum selecti suffragio curiarũ ascripti sunt ad veterem senatorum numerum. id quod vno consensu omnes Romanæ historiæ conditores produnt, pauci tantum de numero ascriptorum variant, non C. sed L. in senatum fuisse allectos. De honoribus item, quos mulieribus reges concesserunt ob nauatam in eis reconciliandis operam, non inter omnes Romanos scriptores conuenit. Sunt enim qui scribant eas & donis multis magnísque remuneratas à regibus, & triginta quas diximus curias accepisse illarum nomina, quòd totidem in legatione fuerint. Sed Terentius Varro hac parte dissentit à reliquis, asserens, iampridem curiis nomina imposuisse Romulum, cùm primùm distribueret multitudinẽ, partim à ducibus, partim à veteribus patriis: nec in legationem profectas triginta, sed demptis tribus XXX. supra quingentas: nec putat verisimile, reges nulla ratione tot mulierum habita, paucis earum voluisse hunc honorem concedere. verùm hæc nec silentio præterire, nec prolixius

memo

memorare, libuit. De Curibus autem, ex qua vrbe Tatius cum suis venerat, quando huc nos deduxit narrationis series, sic accepimus. In reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena claro genere prognata choros ducebat in templo Enyalij. hunc Sabini sicut eos secuti Romani, Quirinum nominant, nondum satis certi Mársne is sit an quis alius honore Marti similis. nam quidam vni deo bellorum præsidi nomen vtrunque tribuunt, alij duorum hæc putant esse numinum. In huius dei templo saltans puella repente diuino furore correpta choream deseruit, & in sacrarium se cursu proripuit. deinde à loci genio compressa, vt vulgo visum est, filium edidit nomine Medium, Fidium cognomine. is virilem ætatem ingressus & forma supra hominem fuit, & in re militari longè præcellentissimus est habitus. cúmque captus esset condendæ vrbis cupidine, collecta magna manu ex agris finitimis, breui Cures repleuit habitatoribus. vocatas vt quidam putant à genio cuius diceba tur filius: aut à hasta sicut malunt alij. cures enim Sabini hastas nominant. Ita Terentius Varro scriptũ reliquit. Zenodotus Trœzenius historiarum scriptor narrat indigenas Vmbros primùm in Reatino habitasse, & inde Pelasgorum armis exactos venisse in terram quam nunc habitant: mutatóque cum sedibus gentis nomine Sabinos pro Vmbris appellatos. at Porcius Cato nomen Sabinis impositum ait à Sabino filio Sabi eius quem colunt illius regionis homines, & eum Sabum à quibusdam vocari dium Fidium. primam autem eorum sedem fuisse vicum quendam Testrinam nomine, vnde expeditione facta Sabinos Reatinum agrum adortos tunc habitatum Aboriginibus, vrbem nobilissimam ex eis cepisse Cutilias: ac



[illegible] sed
[illegible]
[illegible]
[illegible] verè
[illegible] pau-
[illegible]
[illegible] comperimus,
[illegible] tempore
[illegible] le-
[illegible] quos-
[illegible] isse in
[illegible] tractu,
[illegible] quecun
[illegible] hac fore
[illegible] ad Pometi-
[illegible] venerũt ap
[illegible] illac per
[illegible] construxis
[illegible] nunc una
[illegible] ex his quosdam
[illegible] eorum acce-
[illegible] precipuè quantũ
[illegible] duritiem at
[illegible] Cæterum Romu
[illegible] confestim au-
[illegible] Quirinali Ca-
[illegible] degebant
[illegible] tenente
[illegible], Tatio
[illegible] & Qui-
[illegible] subie-
[illegible] loci ca-
[illegible] manan-
[illegible] in huius
[illegible] magna ho-
minum

minum frequẽtia negotiabatur circa Vulcani templum paulum supra forum eminẽs. exstructis quoque templis aras consecrauerunt diis quibus in pugna vouerant, Romulus Ioui Statori, apud portam Mugoniam ducentem è via sacra in palatiũ. quòd exercitum ipsius fugientem deus post preces stare fecisset & vti viribus. Tatius verò Soli & Lunæ, Saturno & Rheæ, præterea Vestæ & Vulcano, Dianæ & Quirino, aliisq́; diis quos nominare Græcis non est facile. in omnibus etiam curiis mensas Iunoni Curitidi posuit, quæ ibi sitæ sunt nostro quoque tempore. Ita per quinquennium concordes regnauerunt, in quod spatium incidit contra Camerinos expeditio gesta communibus auspiciis. nam cum agrum eorum infestarent, & sæpius res repetentibus contumaciter pernegarent ius suum, ausos congredi fusosq́; ac fugatos, oppido etiam vi capto armis ademptis mulctauerũt & agri parte tertia.
quem [illegible] cum iterum incursarent egressi obuiam
d[illegible]ictorum acie bona omnia concesserũt
[illegible]ersis quotquot vellẽt Romæ habitare
[illegible]nt autẽ fermè quatuor millia quos
[illegible]erũt, & vrbẽ eorum fecerunt Ro-
[illegible] hanc olim Albani multo antè
[illegible]diderant: temporibus autem pri
[illegible] domicilium cum primis nobi-
[illegible]nno ad solum Romulum vrbis
[illegible]atio per insidias extincto quæ
[illegible]auiniensiũ tali de causa stru-
[illegible]rum quidam cum manu latro
[illegible]grum Lauiniensem facta, res
[illegible]ecorum quoq; greges abegerant
[illegible]gnare conatos partim occiderãt,
[illegible]nt. cúmque ad quos hæc iniuria
[illegible] hoc legatis iure agerent, Romu

mox sparsis latius coloniis, inter alias multas, sed immunitas, etiam vrbem Cures ab eis conditam. regionem autem illos occupasse à supero mari distantem circiter CCLXXX. *stadiis, ab infero verò* CC. *&* XL. *insuper: in longitudinem patere paulo minus mille stadiis. Quin & aliam opinionem in Sabinorum historiis domesticis comperimus, Lacedæmonios eò deduxisse coloniam, quo tempore Lycurgus tutor sui nepotis Eunomi Spartanis leges condidit: quarum seueritatem pertesos quosdam, secessione à cæteris facta, vrbem deseruisse in perpetuum. deinde enauigato longo maris tractu, qualiscunque terræ desiderio fecisse votum, quocunque terrarum primùm appellerent, id posthac fore sibi domicilium. cùmque delati essent ad Pometinos campos Italiæ, agrum quò primùm venerũt appellasse Feroniam, memores quòd eos huc illuc per mare ferri contigerat: templum quoque construxisse diuæ Feroniæ cui vota fecerunt, quam nunc vna litera mutata vocant Faroniam. ex his quosdam habitasse inter Sabinos, & ideo mores eorum accedere ad disciplinam Laconicam, præcipuè quantũ ad belli studia, frugalitatem, & victus duritiem attinet. Hæc de Sabinorum origine. Cæterùm Romulus atque Tatius cum suis & vrbem confestim auxerunt additis aliis duobus collibus, Quirinali Cælióque. & diuisis habitationibus seorsum degebant propriis & separatis in regionibus, Romulo tenente Palatium eiq; contiguum montem Cælium, Tatio verò Capitolium quod primũ occupauerat, & Quirinalem collem. iidem planitiem Capitolio subiectam, excisa sylua, & stagno quod propter loci cauitatem erat aquarum è vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in huius quod nunc est fori vsum verterunt: vbi magna hominum*

minum frequētia negotiabātur circa Vulcani templum paulum supra forum eminēs. exstructis quoque templis aras consecrauerunt diis quibus in pugna vouerant, Romulus Ioui Statori, apud portam Mugoniam ducentem è via sacra in palatiū. quòd exercitum ipsius fugientem deus post preces stare fecisset & vti viribus. Tatius verò Soli & Lunæ, Saturno & Rheæ, præterea Vestæ & Vulcano, Dianæ & Quirino, aliisq; diis quos nominare Græcis non est facile. in omnibus etiam curiis mensas Iunoni Curitidi posuit, quæ ibi sitæ sunt nostro quoque tempore. Ita per quinquennium concordes regnauerunt, in quod spatium incidit contra Camerinos expeditio gesta communibus auspiciis. nam cum agrum eorum infestarent, & sæpius res repetentibus contumaciter pernegarent ius suum, ausos congredi fusosq; ac fugatos, oppido etiam vi capto armis ademptis mulctauerūt & agri parte tertia. quem illi cum iterum incursarent egressi obuiam die tertia deuictorum acie bona omnia concesserūt suis militibus. ipsis quotquot vellēt Romæ habitare permiserunt, erant autē ferme quatuor millia quos in curias distribuerūt, & vrbē eorum fecerunt Romanam coloniam. hanc olim Albani multo antè quàm Romam condiderant: temporibus autem priscis Aboriginū fuit domicilium cum primis nobile. Sexto demum anno ad solum Romulum vrbis principatus rediit, Tatio per insidias extincto quæ illi ab optimatibus Lauiniensiū tali de causa structæ sunt. Tatij amicorum quidam cum manu latronum excursione in agrum Lauiniensem facta, res eorum depopulati, pecorum quoq; greges abegerant ipsos dominos propugnare conatos partim occiderāt, partim sauciauerant. cúmque ad quos hæc iniuria pertinebat missis in hoc legatis iure agerent, Romu

lus censuit eius autores dedendos his ad suppliciũ. Tatius verò pro amicis contendens, indignũ aiebat ab inimicis ad pœnam duci aliquos, idq; ciues ab exteris. postulās vt ipsi querelas suas Romæ apud iudices deponerēt. sic legati indignabundi re infecta dimissi sunt. eos Sabinorum quidam subsecuti, repertos in via vbi nox & sopor oppresserat, stratos in ipsis cubilibus aliquot sæuum in modũ confodiunt, direptis etiam sarcinis, reliqui maturius excitiʃuā in vrbem refugiunt. Post hæc frequentes legationes iam è Lauinio quàm ex aliis vrbibus accusabant violatores iuris gentium, bellum denuntiantes si abiret impunè tantum facinus. Tum Romulus eā legatorum iniuriam grauem, vt erat, & expiatione celeri habere opus existimans, vt proculcata lege sanctissima, vidénsque rem non esse curæ Tatio, nihil cunctatus comprehensos noxios & vinctos legatis abducendos tradidit. Tatium verò simul ira, quasi hac deditione læsum à regni socio, simul abducendorum miseratio subiit, quòd etiam cognatorum eius vnus obnoxius esset ei piaculo: móxque milite stipatus accurrēs sontes eripuit. nec ita multo post, vel sicut quidam produnt, cum Romulo profectus Lauinium sacrorum causa, quæ reges oportebat diis patriis pro salute vrbis facere, coortis in eum cæsorum legatorum amicis ac cognatis, ante aram secespitarum & veruum ictibus confectus est: vel si Licinio credimus, neque cum Romulo neque sacrorum causa cum venisset, sed solus suasurus læsis vt iras remitterent, indignatione plebis ob non deditos ex sententia Romuli ac senatus noxios, & necatos cognatorum impetu, nō amplius valens instantem vindictā effugere, lapidibus est obrutus. Hic finis Tatij fuit post triennē bellum exacto quinto anno communis cum Romulo imperij.

Sepult

Sepultus est Romæ honorato funere, quotánisq; manibus eius publicè instaurantur inferiæ. Romulus autem denuò solus principatum adeptus, primò ut se purum sceleris in legatos commissi ostenderet, igni & aqua interdixit omnibus noxiis, qui post Tatij cædem Roma profugerant: deinde coniuratos Lauiniensibus ad suum tribunal sistentibus absoluit, quòd viderentur factum id iure tueri, vim esse pro vi redditam. His peractis exercitum contra Fidenas duxit, vrbem XL. stadiis à Roma distitam, magnam tunc & populosam. Cùm enim à Crustuminis Romam fame laborantem commeatus deueheretur nauigiis fluuialibus, ea Fidenates aggressi diripuerunt, cæsis etiam vectoribus qui repugnare ausi fuerant, résque repetentibus iure contempto negauerant. quibus iniuriis commotus Romulus in agrum eorum cum ualido irrupit exercitu, ingentiq; præda potitus parabat suos domum reducere: sed Fidenatibus obuiam progressis manus cum eis conseruit: commissóq; acri prælio, multis vtrinq; desideratis victoria penes Romanos fuit. rex tergo hærens fugientium, velut agmine vno penetrauit intra mœnia. Captam primo impetu vrbem, supplicio de paucis sumpto, impositóq; CCC. virorum præsidio, parte agri mulctauit: quo suis militibus diuiso, hanc quoque Romanorum fecit coloniam. eam Albani olim condiderant quo Nomentum simul & Crustumium tempore, tribus fratribus colonias deducentibus, quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor. Post hæc Camerinos bello repetiit, qui colones Romanos secum habitantes per insidias oppresserant, grauante vrbem pestilentia. freti enim difficili Romanorum tempore, & putantes ea lue funditus eorum genus interiturū, alios occiderunt, alios eiecerunt ex oppido. Id scelus vlturus Romu-

lus mœnibus eorum iterum expugnatis autores defectionis affecit supplicio: prædáque concessa militi, agri dimidio præter iam antè distributam partem mulctatis præsidium sat validum imposuit ad tollendum rerum nouarum studium, atque ita reduxit copias. De hoc hoste secũdum triumphum egit, & ex manubiis Vulcano dedicauit quadrigas æreas, simulque suam effigiem cum Græco rerum à se gestarum elogio: Tertiũ bellum gessit cũ Veiis Hetruscorum tunc vrbe potentissima, distante centesimo stadio. est autem Athenis non minor fundata in vndique prærupto scopulo. Belli prætextus Veiẽtibus fuit clades Fidenatium: missisq; legatis postulabant vt Romani præsidium inde abducerent, & agrum ademptum restituerent veteribus dominis. quo non impetrato validum educunt exercitũ, & castra prope Fidenas occulto locũ muniunt. non latuit tamen eorũ aduentus Romulum, sed assumpta copiarum parte fortissima Fidenis hostem expectabat: expeditoq; vtrinque ad certamen milite in æquum locum signa contulerunt: & commisso acri prælio nox diremit incertos victoria. Ac tunc quidem sic pugnatũ est. non multo pòst Romani aciem instaurant, in qua consilio ducis adiuti superiores facti sunt. qui equites & pedites recẽs ab vrbe submissos in propinquo hostium castris monte noctu in insidiis collocauerat. nam hi cum aliquandiu spectassent æquatam in plano pugnam, mox vt signũ quod conuenerat acceperunt à Romulo, cum magno clamore procurrentes inuaserunt terga Veientium, & integri iam fessos in fugam verterunt facilè. pauci tamen eorum cèciderunt in prælio: maior pars in fluuium Tiberim Fidenas prælabentem præcipitati frustrata spe natatus necati sunt: quippe qui labore pugnæ delassati armis insuper impedirentur

direntur

direntur & vulneribus. quidã etiam imperiti nandi, nec præ metu considerantes periculum, gurgitibus absorpti sunt. quod si maturè post tentatam belli fortunam resipuissent Veientes, nequaquam sibi maiorem cladem accersiuissent. nunc sperantes renouato certamine abolituros se acceptam ignominiam si maiore paratu hostem inuaderẽt, imparem futurum simul domesticis copiis, simul auxiliis ex Hetruria sociarum vrbium, iterum bellum Romanis intulerunt: rursumq́ apud Fidenas magno prælio victi multos amiserunt in acie, plures viui deuenerunt in potestatẽ hostium. castra etiam expugnata sunt plena pecuniis armisq́ & mancipiis: naues quoque fluuiales cũ commeatu interceptæ, quibus captiuorum turba secundo flumine Romam deuecta est. Hic tertius triumphus actus est à Romulo, longè quàm priores magnificentior. Non multo pòst legatis Veientium veniam petentibus has pacis leges Romulus præscripsit mulctæ nomine. vt agrum Tiberi contiguum, qui vocantur septem pagi, Romanis traderent, vtq́ salinis abstinerent quæ sunt circa fluminis hostia: & ad tollendam renouandi belli suspicionem quinquaginta obsides adducerẽt. quas cum illi æquo animo accepissent, in columnam inscripsit conditiones icti cum eis fœderis. captiuos qui reuerti ad suos voluerunt, dimisit absque pretio: malentes in vrbe manere, quæ maior pars fuit, iure ciuitatis donatos distribuit per curias, assignato eis agro sorte diuidendo cis Tiberim. Hæc Romulo regnante bella gesta sunt memorabilia. quod autem nullam propinquarum gentium subegerit, in causa fuisse videtur immaturus ipsius ducis obitus, de quo multa & varia prodita sunt scriptoribus. Qui fabulosius res eius narrant, aiũt apud milites concionantẽ, repente serenitate in atram tem-

tis victoriæ, rem fortiter gerentibus suis militari acclamatione accendebant animos: fessos verò & cedentes gemitu ac precibus reuocantes in prælium, non sinebant virtutem prorsus abijcere: atq; ita vtri que supra viros durabant in periculis. tandem exacto die per pugnam dubiam, superuenientibusque tenebris, vtrique in sua castra non inuiti se receperunt. Postero die sepultis cadaueribus, curatis sauciis integrorum copiis suppletis, quoniam libuit instaurare prælium, eodem quo pridie loco congressi vsque ad noctem pugnauerunt. Romanis in vtroque cornu egregiè vincentibus. præerat autem in dextro ipse Romulus, in sinistro Hetruscus Lucumo. mediam Sabinorum aciem vnus sustentabat Metius Curtius, qui solus in causa fuit ne vincentibus cederent. robustus vir manuque promptus, & ob periculorum contemptum laudatissimus. hic mediam aciem curare iussus reiecit sibi oppositos. cúmque vellet etiam cornua Sabinorum laborantia iam pedémque referentia restituere in integrum, cohortatus suos instabat hosti fugienti & petenti portas turbatis ordinibus, ita vt Romulum coactum se imperfectam victoriam relinquere, contra victricem hostium partem auerteret. Sic Sabinis hac parte leuati tanto aduersario rursum pugna æquata est, & in Curtianos auersus totus impetus. quem Sabini excipientes acriter restiterunt aliquandiu, dein ex aduerso confluentibus imperiis, sensim pedem referebant in castra, extremum agmen tutante Metio, ne fuga ordines confunderet. is enim resistebat inuehenti se Romulo. vnde inter ipsos duces egregium certamē commissum est. sed cum iam exanguis telisq; confixus Curtius paulatim retrocederet, in paludem cœnosam delatus est: quam cū nec deuitare cinctus hostibus posset, nec traiicere

præ-

pre aqua in limo stagnante, armatus in eam sese coniecit. Romulus superuacuum ratus per paludem persequi periturum in voragine, in alios Sabinos vertit impetum, ille verò ægre tandem è palude cum armis eluctatus est & intra vallum reductus. Locus is iam terra congesta repletus est, adhuc tamen ex illo casu vocatur Lacus Curtius, Romani fori meditullium ferè occupans. Romulus verò cæteros persequens vsque Capitolium, & sperans se iam posse arcem capere, præter alia vulnera saxo è superiore loco in caput grauiter ictus, semimortuus à proximis relatus est intra mœnia. ibi Romani non comparente duce territi in dextro cornu terga vertunt. sinistrum aliquandiu restitit, Lucumone clarißimo duce pugnam ciente tam voce quàm manu, donec & inuectus in medios Sabinos per latus traiectus cecidit. tum verò vniuersis fugientibus, Sabinos audacius persequentes vsque mœnia, iámque portis proximos, repressit erumpens cum Romulo globus iuuenum, quos rex ad custodiam Vrbis reliquerat. iam enim se recollegerat ex vulnere. quo succurrente quantum poterat, confestim mutata est fortuna partium. qui enim modò fugiebant, vt ducem suum ex insperato viderunt, receptis è recenti metu animis, ordinibúsque instauratis, sine mora manus conseruerunt cum instantibus: & qui inclusi mœnibus nullum remedium putabant quin vi capta vrbe venirent in potestatem hostium, ad tam repentinam & inopinatam mutationem de salute sua cogitare cœperunt. erat autem hosti præcliuis receptus in castra, è superiore loco per viam cauam refugienti multiq; in ea fuga desiderati sunt. Hunc habuit ille dies euentum dubij certaminis, quod post inopinatos, artium casus vergente demum sole diremptum est. Seq.

est. Sequentibus verò diebus Sabini consultabant, vtrum vastato quantum possent hostili agro reducendæ essent domum copiæ: an perseuerandum in bello accitis recentibus, donec præclarum ei finem imponerent. Durum enim erat vel abire infecto negotio, vel manere non succedente vt sperauerant. Quod si descenderetur in colloquium, qui solus restare videbatur honestus belli exitus, id verò sibi æquè ac Romanis existimabant conducibile. Romani quoque non minus, immo magis etiam quàm Sabini, consiliorum erant inopes, incerti quid facerent. nam neque retinere mulieres placebat, neque reddere: quòd alterum videretur nihil aliud quàm confessio victos se esse & ad quaslibet conditiones accipiendas obnoxios: alterum multas miserias eos inspectare cogeret, agrorum vastationem & iuuentutis fortissimæ quotidianos interitus: quòd si priores mentionem fecissent amicitiæ, nihil æquum à à Sabinis sperabant, ea maxime de causa, quòd qui se potiores existimant, non tam moderatis conditionibus aduersarios demereri studeant, quàm iniquis premere. Inter has cogitationes partium, dum neutris vel pugnæ initium vel pacis mentionem facere audentibus tempus teritur, Romanorum vxores Sabini generis propter quos bellum exortum fuerat, cœtu facto absque viris arbitris inter se collocutæ, decreuerunt vtrosque inuitare ad fœdera, suasu Hersiliæ non obscuro inter Sabinos loco natæ fœminæ. hanc quidam aiunt iam nuptam inter cæteras puellas raptam pro virgine: grauiores autores tradunt eam sua sponte mansisse in vrbe cum filia rapta, vt quæ vnica illi fuerit. quod consilium postquam vniuersarum communi sententia comprobatum est, regium senatum adeunt: & post acceptam dicendi copiam oratione prolixa cum patribus conscriptis agunt,

agunt, vt sibi bona ipsorum venia cognatos suos adire liceat, affirmantes se certam spem concepisse concilianda inter duas gentes amicitiæ. His auditis in concilio rex & cæteri vehementer gauisi sunt, censentes solum hunc superesse perplexis rebus exitum: factúmque est senatusconsultum, vt quotquot Sabinæ haberent prolem, his domi penes maritos relictis pueris liceat legationem ad suos populares suscipere. quòd si quæ matres sint pluriū, hæ partem eorum aliquam secum ducant, & dent operam vt duo populi coëant in amicitiam. post hæc exeunt lugubri habitu quædam etiam ducentes secum infantulos. vt verò in castra Sabinorum ventum est, cum lamentis accidentes omnibus ad genua, magnam miserationem mouerunt inspectantibus, nemine sibi temperante à lachrymis. móxque admissas in concilium iubente rege causam aduentus dicere, autor huius consilij legationísque princeps Hersilia longa & ad mouendos affectus composita deprecatione ad pacem viris sui respectu impetrandam vsa est, quandoquidem ipsæ belli suscipiendi causa fuissent: cuius conditiones, quod vtrisque bonum sit & commodum, ex communi ducum statuerentur arbitrio. oratione finita prociderunt vniuersæ cum pueris ad regis genua, nec surrexerunt nisi subleuatæ à suis, æqua omnia quantum in se esset pollicentibus. ac mox cum iußissent eas excedere, consultatione inter se habita, decreuerunt de reconciliatione agere: interpositisq́ primùm induciis, paulò pòst fœdus inter reges ictum est, & iureiurando firmatum, his pacis legibus: vt in vrbe regnarent pari potestate honoréque Romulus ac Tatius, & vt ea deductum à conditore seruaret vocabulum, ciues verò in vniuersum à Tatij patria Quirites denominarentur. Sabinis ius ciuitatis Ro

manæ vt daretur quicunque id cuperent, vtq; hi communicatis vtrinque sacris reciperentur in tribus & curias. Sic ante aras icto fœdere circa mediam sacram viam permixti se inuicem consaluta uerunt. Dimissis deinde cum suis copiis ducibus cæteris, Tatius rex cum tribus illustrissimis viris Romæ habitaturus substetit. hi posteritatem honoratam post se reliquerunt, Volesus Valerius, Tallus cognomine Tyrannus, & Metius Curtius qui palu dem armatus euaserat, cũ quibus cognati & clientes manserunt non pauciores indigenis. iámque ordinatis rebus visum est regibus, quãdo plebeia mul titudo non parum creuisset, duplicare patritiorum numerum, allectis in eum ordinem è nostrum incolarũ numero illustrissimis familiis, & ex his quoque patritiis centum selecti suffragio curiarũ ascri pti sunt ad veterem senatorum numerum. id quod vno consensu omnes Romanæ historiæ conditores produnt, pauci tantum de numero ascriptorum variant, non C. sed L. in senatum fuisse allectos. De ho noribus item, quos mulieribus reges concesserunt ob nauatam in eis reconciliandis operam, non inter omnes Romanos scriptores conuenit. Sunt enim qui scribant eas & donis multis magnísque remuneratas à regibus, & triginta quas diximus curias accepisse illarum nomina, quòd totidem in legatione fuerint. Sed Terentius Varro hac parte dissentit à reliquis, asserens, iampridem curiis nomina imposuisse Romulum, cùm primùm distribueret mul titudinẽ, partim à ducibus, partim à veteribus patriis: nec in legationem profectas triginta, sed dem ptis tribus X X X. supra quingentas: nec putat verisimile, reges nulla ratione tot mulierum habita, paucis earum voluisse hunc honorem concedere. verùm hæc nec silentio præterire, nec prolixius

memorare, libuit. De Curibus autem, ex qua vrbe Tatius cum suis venerat, quando huc nos deduxit narrationis series, sic accepimus. In reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena claro genere prognata choros ducebat in templo Enyalij. hunc Sabini sicut eos secuti Romani, Quirinum nominant, nondum satis certi Marsne is sit an quis alius honore Marti similis. nam quidam vni deo bellorum præsidi nomen vtrunque tribuunt, alij duorum hæc putant esse numinum. In huius dei templo saltans puella repente diuino furore correpta choream deseruit, & in sacrarium se cursu proripuit. deinde à loci genio compressa, vt vulgo visum est, filium edidit nomine Medium, Fidium cognomine. is virilem ætatem ingressus & forma supra hominem fuit, & in re militari longè præcellentissimus est habitus. cúmque captus esset condendæ vrbis cupidine, collecta magna manu ex agris finitimis. breui Cures repleuit habitatoribus. vocatas vt quidam putant à genio cuius dicebatur filius: aut à hasta sicut malunt alij. cures enim Sabini hastas nominant. Ita Terentius Varro scriptũ reliquit. Zenodotus Trœzenius historiarum scriptor narrat indigenas Vmbros primùm in Reatino habitasse, & inde Pelasgorum armis exactos venisse in terram quam nunc habitant: mutatóque cum sedibus gentis nomine Sabinos pro Vmbris appellatos. at Porcius Cato nomen Sabinis impositum ait à Sabino filio Sabi eius quem colunt illius regionis homines, & eum Sabum à quibusdam vocari dium Fidium. primam autem eorum sedem fuisse vicum quendam Testrinam nomine. vnde expeditione facta Salines Reatinum agrum adortos tunc habitatum Aboriginibus, vrbem nobilissimam ex eis cepisse Cutilias: ac

mox sparsis latius colonijs, inter alias multas, sed immunitas, etiam vrbem Cures ab eis conditam. regionem autem illos occupasse à supero mari distantem circiter CCLXXX. stadiis, ab infero verò CC. & XL. insuper: in longitudinem patere paulo minus mille stadiis. Quin & aliam opinionem in Sabinorum historiis domesticis comperimus, Lacedæmonios eò deduxisse coloniam, quo tempore Lycurgus tutor sui nepotis Eunomi Spartanis leges condidit: quarum seueritatem pertæsos quosdam, secessione à cæteris facta, vrbem deseruisse in perpetuum. deinde enauigato longo maris tractu, qualiscunque terræ desiderio fecisse votum, quocunque terrarum primùm appellerent, id posthac fore sibi domicilium. cúmque delati essent ad Pometinos campos Italiæ, agrum quò primùm venerũt appellasse Feroniam, memores quòd eos huc illuc per mare ferri contigerat: templum quoque construxisse diuæ Feroniæ cui vota fecerunt, quam nunc vna litera mutata vocant Faroniam. ex his quosdam habitasse inter Sabinos, & ideo mores eorum accedere ad disciplinam Laconicam, præcipuè quantũ ad belli studia, frugalitatem, & victus duritiem attinet. Hæc de Sabinorum origine. Cæterùm Romulus atque Tatius cum suis & vrbem confestim auxerunt additis aliis duobus collibus, Quirinali Cælióque. & diuisis habitationibus seorsum degebant propriis & separatis in regionibus, Romulo tenente Palatium eiq; contiguum montem Cælium, Tatio verò Capitolium quod primũ occupauerat, & Quirinalem collem. iidem planitiem Capitolio subiectam, excisa sylua, & stagno quod propter loci cauitatem erat aquarum è vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in huius quod nunc est fori vsum verterunt: vbi magna hominum

minum frequētia negotiabatur circa Vulcani templum paulum supra forum eminēs. exstructis quoque templis aras consecrauerunt diis quibus in pugna vouerant, Romulus Ioui Statori, apud portam Mugoniam ducentem è via sacra in palatiū. quòd exercitum ipsius fugientem deus post preces stare fecisset & vti viribus. Tatius verò Soli & Lunæ, Saturno & Rheæ, præterea Vestæ & Vulcano, Dianæ & Quirino, aliisq; diis quos nominare Græcis non est facile. in omnibus etiam curiis mensas Iunoni Curitidi posuit, quæ ibi sitæ sunt nostro quoque tempore. Ita per quinquennium concordes regnauerunt, in quod spatium incidit contra Camerinos expeditio gesta communibus auspiciis. nam cum agrum eorum infestarent, & sæpius res repetentibus contumaciter pernegarent ius suum, ausos congredi fusosq; ac fugatos, oppido etiam vi capto armis ademptis mulctauerūt & agri parte tertia. quem illi cum iterum incursarent egressi obuiam die tertia deuictorum acie bona omnia concesserūt suis militibus. ipsis quotquot vellēt Romæ habitare permiserunt, erant autē ferme quatuor millia quos in curias distribuerūt, & vrbē eorum fecerunt Romanam coloniam. hanc olim Albani multo antè quàm Romam condiderant: temporibus autem priscis Aboriginū fuit domicilium cum primis nobile. Sexto demum anno ad solum Romulum vrbis principatus rediit, Tatio per insidias extincto quæ illi ab optimatibus Lauinensiū tali de causa structæ sunt. Tatij amicorum quidam cum manu latronum excursione in agrum Lauinensem facta, res eorum depopulati, pecorum quoq; greges abegerant ipsos dominos propugnare conatos partim occiderāt, partim sauciauerant. cùmque ad quos hæc iniuria pertinebat missis in hoc legatis iure agerent, Romu

lus censuit eius autores dedendos his ad suppliciū. Tatius verò pro amicis contendens, indignū aiebat ab inimicis ad pœnam duci aliquos, idq; ciues ab exteris, postulās vt ipsi querelas suas Romæ apud iudices deponerēt. sic legati indignabundi re infecta dimissi sunt. eos Sabinorum quidam subsecuti, repertos in via vbi nox & sopor oppresserat, stratos in ipsis cubilibus aliquot sæuum in modū confodiunt; direptis etiam sarcinis, reliqui maturius exciti suā in vrbem refugiunt. Post hæc frequentes legationes iam è Lauinio quàm ex aliis vrbibus accusabant violatores iuris gentium, bellum denuntiantes si abiret impunè tantum facinus. Tum Romulus eā legatorum iniuriam grauem, vt erat, & expiatione celeri habere opus existimans, vt proculcata lege sanctissima, vidénsque rem non esse curæ Tatio, nihil cunctatus comprehensos noxios & vinctos legatis abducendos tradidit. Tatium verò simul ira, quasi hac deditione læsum à regni socio, simul abducendorum miseratio subiit, quòd etiam cognatorum eius vnus obnoxius esset ei piaculo: móxque milite stipatus accurrēs sontes eripuit. nec ita multo post, vel sicut quidam produnt, cum Romulo profectus Lauinium sacrorum causa, quæ reges oportebat diis patriis pro salute vrbis facere, coortis in eum cæsorum legatorum amicis ac cognatis, ante aram secispitarum & verunm ictibus confectus est: vel si Licinio credimus, neque cum Romulo neque sacrorum causa cum venisset, sed solus suasurus læsis vt iras remitterent, indignatione plebis ob non deditos ex sententia Romuli ac senatus noxios, & necatos cognatorum impetu, nō amplius valens instantem vindictā effugere, lapidibus est obrutus. Hic finis Tatij fuit post triennе bellum exacto quinto anno communis cum Romulo imperij.

Sepult

Sepultus est Romæ honorato funere, quotãnisq; manibus eius publicè instaurantur inferiæ. Romulus autem denuò solus principatum adeptus, primò vt se purum sceleris in legatos commissi ostenderet, igni & aqua interdixit omnibus noxiis, qui post Tatij cædem Roma profugerant: deinde coniuratos Lauiniensibus ad suum tribunal sistentibus absoluit, quòd viderentur factum id iure tueri, vim esse pro vi redditam. His peractis exercitum contra Fidenas duxit, vrbem XL. stadiis à Roma disitam, magnam tunc & populosam. Cùm enim à Crustuminis Romam fame laborantem commeatus deueheretur nauigiis fluuialibus, ea Fidenates aggressi diripuerant, cæsis etiam vectoribus qui repugnare ausi fuerant, résque repetentibus iure contempto negauerant. quibus iniuriis commotus Romulus in agrum eorum cum ualido irrupit exercitu, ingentiq; præda potitus parabat suos domum reducere: sed Fidenatibus obuiam progressis manus cum eis conseruit: commissoq; acri prælio, multis vtrinq; desideratis victoria penes Romanos fuit. rex tergo hærens fugientium, velut agmine vno penetrauit intra mœnia. Captam primo impetu vrbem, supplicio de paucis sumpto, impositoq; CCC. virorum præsidio, parte agri mulctauit: quo suis militibus diuiso, hanc quoque Romanorum fecit coloniam. eam Albani olim condiderant quo Nomentum simul & Crustumium tempore, tribus fratribus colonias deducentibus, quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor. Post hæc Camerinos bello repetiit, qui colonos Romanos secum habitantes per insidias oppresserant, grauante vrbem pestilentia. freti enim difficili Romanorum tempore, & putantes ea lue funditus eorum genus interiturũ, alios occiderunt, alios eiecerunt ex oppido. Id scelus vlturus Romulus

lus mœnibus eorum iterum expugnatis autores defectionis affecit supplicio: prædáque concessa militi, agri dimidio præter iam antè distributam partem mulctatis præsidium sat validum imposuit ad tollendum rerum nouarum studium, atque ita reduxit copias. De hoc hoste secúdum triumphum egit, & ex manubiis Vulcano dedicauit quadrigas æreas, simulque suam effigiem cum Græco rerum à se gestarum elogio: Tertiũ bellum gessit cũ Veiis Hetruscorum tunc vrbe potentissima, distante centesimo stadio. est autem Athenis non minor fundata in vndique prærupto scopulo. Belli prætextus Veientibus fuit clades Fidenatium: missisq́ legatis postulabant vt Romani præsidium inde abducerent, & agrum ademptum restituerent veteribus dominis. quo non impetrato validum educunt exercitũ, & castra prope Fidenas occulto locũ muniunt. non latuit tamen eorũ aduentus Romulum, sed assumpta copiarum parte fortissima Fidenis hostem expectabat: expeditoq́ vtrinque ad certamen milite in æquum locum signa contulerunt: & commisso acri prælio nox diremit incertos victoriæ. Ac tunc quidem sic pugnatũ est. non multo pòst Romani aciem instaurant, in qua consilio ducis adiuti superiores facti sunt. qui equites & pedites recẽs ab vrbe submissos in propinquo hostium castris monte noctu in insidiis collocauerat. nam hi cum aliquandiu spectassent æquatam in plano pugnam, mox vt signũ quod conuenerat acceperunt à Romulo, cum magno clamore procurrentes inuaserunt terga Veientium, & integri iam fessos in fugam verterunt facilè. pauci tamen eorum cèciderunt in prælio: maior pars in fluuium Tiberim Fidenas prælabentem præcipitati frustrata spe natatus necati sunt: quippe qui labore pugnæ delassati armis insuper impedirentur

direntur

direntur & vulneribus. quidã etiam imperiti nandi, nec præ metu considerantes periculum, gurgitibus absorpti sunt, quod si maturè post tentatam belli fortunam resipuissent Veientes, nequaquam sibi maiorem cladem accersiuissent. nunc sperantes renouato certamine abolituros se acceptam ignominiam si maiore paratu hostem inuaderẽt, imparem futurum simul domesticis copiis, simul auxiliis ex Hetruria sociarum vrbium, iterum bellum Romanis intulerunt: rursumq́ apud Fidenas magno prælio victi multos amiserunt in acie, plures viui deuenerunt in potestatẽ hostium. castra etiam expugnata sunt plena pecuniis armisq́ & mancipiis: naues quoque fluuiales cũ commeatu interceptæ, quibus captiuorum turba secundo flumine Romam deuecta est. Hic tertius triumphus actus est à Romulo, longè quàm priores magnificentior. Non multo pòst legatis Veientium veniam petentibus has pacis leges Romulus præscripsit mulctæ nomine. vt agrum Tiberi contiguum, qui vocantur septem pagi, Romanis traderent, vtq́ salinis abstinerent quæ sunt circa fluminis hostia: & ad tollendam renouandi belli suspicionem quinquaginta obsides adducerẽt. quas cum illi æquo animo accepissent, in columnam inscripsit conditiones icti cum eis fœderis. captiuos qui reuerti ad suos voluerunt, dimisit absque pretio: malentes in vrbe manere, quæ maior pars fuit, iure ciuitatis donatos distribuit per curias, assignato eis agro sorte diuidendo cis Tiberim. Hæc Romulo regnante bella gesta sunt memorabilia. quod autem nullam propinquarum gentium subegerit, in causa fuisse videtur immaturus ipsius ducis obitus, de quo multa & varia prodita sunt scriptoribus. Qui fabulosius res eius narrant, aiũt apud milites concionantẽ, repente serenitate in atram tem-

pestatem mutata, euanuisse ex illorum oculis: creduntq́; à patre suo Marte raptum esse hominē. alij, quibus libentius crediderim, dicunt interfectum à suis ciuibus. cuius facinoris caussam afferunt, quòd præter consuctum inconsulto populo dimisisset obsides acceptos à Veientibus, quodq́; non amplius pari comitate dignaretur veteres ciues atque adscriptitios, sed illos maiore haberet in pretio, posteriores verò despiceret. inuisa erat & crudelitas eius in delinquentiū suppliciis. Romanorum enim quosdā latrocinij cōuictos à finitimis, nec obscuros viros nec paucos sua vnius sententia damnatos iussit de rupe dari præcipites. sed maximè offendebat arrogātia, quòd legitimum regnum in tyrannidis speciem verteret. his de caussis aiunt patritios conspirasse in eius perniciem. necatum autem in curia: & ne cadauer compareret, frustatim corpus discerptum à senatoribus, elatúmque sub togis, & clam terra obrutum. Alij cum concionem haberet, extinctum dicunt à nouis ciuibus: ausos autem eam cædem oborto subitaneo nimbo & caligine, quando turba diffugiente à satellitio quoque destitutus sit: & diem huius casus propter fugam illam populi, hodieq́; fugam turbæ vocari. certè qui animas illustrium hominum opinantur cælum conscendere, de hoc viro vt id credant faciunt prodigia cælestia quæ circa ortum eius pariter visa sunt atque obitum. nam & cum matri eius inferretur vis incertum ab homine an deo, deliquium solis factum, terrisq́; interdiu tenebras nocturnis similes incubuisse aiūt: quod etiā necis ipsius tempore accidit. Hic finis Romuli, qui primus in vrbe à se condita regnum tenuit, decessitq́; sine liberis post exactum annum regni trigesimumseptimum, ætatis verò quintum suprà quinquagesimum. iuuenis enim admodum rex factus est.

est, natus annos octodecim, vt consentiunt qui res eius prodiderunt memoriæ. Sequenti anno nemo Romæ regnauit, ad nouum interregum magistratum delata administratione reipublicæ, in modum hunc. Ducenti patres conscripti ex quibus senatum rege Romulo constitutum diximus, distributi in decurias, decem viris sorte committebant vrbis imperium. hi non simul sed vnus post alium quinis diebus lictores habebant cæteráque insignia regia, quæ ceu per manus tradebantur à primo deinceps vsque ad vltimum. tum quinquaedecennis ille magistratus migrabat ad sequentem decuriam, & inde rursum ad aliã. Visum est deinde populo abrogare decemuirale imperium, offenso crebris mutationibus potestatum, quod & dispar ingenium, nec voluntas esset eadem in omnibus. Tum patres aduocata concione iusserunt tribus & curias de ordinanda republica dispicere, siue regibus siue magistratibus annuis mallent eius curam credere. Non tamen plebs optionem sibi vindicauit. sed reiecit eam in senatum, libenter admissura vtracunque probaretur illius præiudicio. patres vno omnes consensu regem petebant, sed de regnaturo conuenire inter eos haud poterat. aliis vnum aliquem è veteri patrum numero regnare debere censentibus, aliis regnum deferendum potius ad quempiam ex adscriptis postea, quos nouos appellabant. Tandem post longam contentionem partium conuentum est vtrinque in has conditiones, vt vel veteres senatores regem designarent, modo non è suo corpore, sed alium quem putarent maximè idoneum, vel noui idem facerẽt. acceperunt electionem veteres, & habita inter se longa deliberatione decreuerunt in hanc sententiã: quandoquidẽ ipsi iuxta conditiones excluderentur regno, non esse id committendum vlli ex insidiatoribus

ribus: sed quærendum externum aliquem neutri factioni obnoxium, quo maximè modo tolleretur omnis materia seditionis è comitiis regiis. Id consilium vbi placuit, elegerunt Numam Pompilium Pomponis viri apud Sabinos illustris filiũ, fermè quadragenarium, quæ ætas est prudentissima, & dignitate formæ planè regia præditum: cuius tum sapientiæ fama erat inclyta non solùm apud Quirites, verum etiam apud gentes finitimas. In hunc vbi consenserunt, concione aduocata interrex ait decreuisse patres regi vt antè committendam rempublicam: seq; de communi sententia regem eligere Numam Pompilium: móxque legatos è patriciorum ordine misit, qui hominẽ ad regnum ineundum adducerent, anno tertio sextadecimæ Olympiadis, qua stadium vicit Pythagoras Lacedæmonius. Hactenus nihil possum cõtradicere his quæ de hoc viro produnt historici: sed in his quæ subiungũt ambiguus hæreo. nã multi scribunt eum fuisse Pythagoræ discipulũ, & quo tempore ad regnum Romanum vocatus est, apud Crotonem egisse philosophiæ dantem operam, id quod ratio temporum non patitur: quando non paucis annis, sed totis quatuor ætatibus Pythagoras fuit Numa posterior, sicut constat ex monumentis veterum. nam hic circa medium sextadecimæ Olympiadis Romæ regno potitus est: Pythagoras verò post quinquagesimam demum Olympiadẽ docuit in Italia. Quin & validius argumentum habeo, non conuenire cũ supputatione temporum quæ de huius disciplina tradunt scriptores: quia nondum erat Crotoniensium vrbs quando Numa Romã ad regnum accitus est. integro enim quadriennio post assumptum à Numa principatũ Myscelus eam condidit, XVII. Olympiadis anno tertio. vnde satis apparet eum

nec

nec potuisse affectari Pythagoram qui quatuor post ætatibus exactis floruit: neque Crotone degere cum ad regnum vocaretur, quæ nondum condita fuerat. Sed si licet meam opinionem proferre, videntur mihi qui hoc scripserunt occasionem sumpsisse duabus ex rebus confessis, Pythagoræ habitatione in terra Italia, & sapientia Numæ celebrata uno ore omnium: atque ita contexuisse hæc, & eum fecisse Pythagoræ discipulum, non considerantes ut ego nunc, an eodem illi vixerint tempore: nisi forte quis antiquiorem hoc Samio proferat alium Pythagoram doctorem sapientiæ, à quo suam Numa mutuatus sit: quod nescio quomodo demonstrari possit, cum in nulla quod equidem sciam vel Romana vel Græca reperiatur historia. Sed de his hactenus. Cæterùm Numa legatis ad regnum se vocantibus non statim assensus recusauit aliquandiu: tandem fratribus unà cum patre deprecantibus ne tantum honorem ultro oblatum reiiceret, suscepit potestatem regiam. quo Romam renuntiato mirum in ciuitate excitum est hominis nondum visi desiderium, omnibus certo argumento sapientiam eius colligentibus, quando regnum in quo cæteri summam felicitatis ponerent, ut rem vilem & aspernandam contempserit. quapropter populariter itum est venienti obuiam, deductúsque est in urbem cum honorificentißimis acclamationibus gratulantium. comitiis deinde curiatis declaratus rex, accedente quoque patrum suffragio, denique auspiciis diuinitus mißis inauguratus regnum adeptus est. Hunc virum negant Romani ullam expeditionem fecisse, sed pietati ac iustitiæ vacantem pacato uniuerso regni tempore ciuitatem ornasse institutis optimis; & mira quædam de illo prædicant, ad deûm monita referentes

eius

eius sapientiam. fabulantur enim congressum sæpius cum Egeria nympha, cuius è præceptis hauserit regiam prudentiam. alij non nymphã, sed vnam Musarum palàm ad eum ventitasse perhibent. cũ enim prisci illi Quirites parũ creduli pro figmentis haberent quæ audirent de dijs, voluisse eis manifesto signo facere fidem suæ cum numinibus consuetudinis, ipsaq; iubente vocasse domum præcipuos ciuium: ostensaq; vili supellectile atque apparatu qui non caperet frequens conuiuium, tunc dimissos inuitasse ad cœnam sub vesperam, quibus ad condictam horam reuersis ostendisse lectisternia splendida, mensasq; refertas multis egregiis poculis: ac mox discumbere iussis epulum præbuisse instructum omnigenis ferculis, qualia nemo facilè pararet quantumuis longo tempore. Romanos verò attonitos tam vario spectaculo, constanter posthac opinatos deam quampiam cum illo familiariter degere. At qui fabulis locum non relinquunt in historia, Numam hæc de Egeria dicunt finxisse, ut hac religione deuincti, leges ab ipso velut ex auctoritate deorum latas libentius admitterent: idq; exemplo Græcorum factum, Minois Cretensis & Lycurgi Lacedæmonij: quorum alter Iouis colloquia simulauit in Dicta monte, vbi eum à Curetibus educatum insulani prædicant, ex cuius antro leges ille retulit quasi à Ioue acceptas: alter, videlicet Licurgus, profectus Delphos, ex Appollinis præscripto se leges tulisse videri voluit. verùm ista fabulosa, maximè quæ ad deos pertinent, quoniam longo sermone habent opus, nunc missa faciã, dicturus potius quanta bona Romanos ex huius regis principatu percepisse in ipsorum monumentis reperio. si prius præmonuero quàm perturbatam rempublicam administrandam susceperit. Post Romuli

muli obitum cum per integrum annum penes senatum esset potestas publica ipsi inter se patres dißidere cœperunt & contendere: dum veteres coloni Alba profecti deducente ipso Romulo, tam in sententiis autoritatem, quàm in gerendis honoribus prærogatiuam sibi vsurpant, & obsequium à nouellis postulant: nihil concedentibus qui posterius in patrum ordinem adscripti sunt, & par honorum ius vindicantibus, præcipuè verò Sabinis, qui ex fœdere icto cum Tatio communicatam ex æquo ciuitatem cum antiquis vrbis habitatoribus iactabant. Senatu dißidente clientelas quoque mali huius cõtagium corripuit: ad hæc non parua plebis pars nuper in ciuitatem recepta, quia nullum etiam tum bellum Romuli ductu gesserat, ideo neglecta neque agros habebat neque vlla commoda. hæc egena & sinè lare iniquo animo ditiores ferebat, ad res nouandas procliuior. His procellis iactatã rempublicam Numa excipiens, primùm egenam illam turbam refouit diuisis agris quos Romulus ex hostico quæsiuerat, atque etiam bona parte agri publici. deinde patritium ordinem pacauit relictis penes vrbis conditores suis honoribus, nouellis colonis alios pro his attribuens. Instaurata ordinum concordia, vt de communi consilio prouideretur reipublicæ, & Quirinalem collem complexus ampliatis mœnibus, tum demum aliis institutis animum adiecit, duarum rerum in primis ratione habita, quas existimaret magnopere pertinere ad felicitatem ciuium. Pietatẽ ante omnia docuit homines, quòd omnia bona dij darent, dátaque conseruarent mortalibus: deinde iustitiã, per quam concessis diuinitus commodis frui liceat. quorũ vtrunque quibus legibus ac institutis fundauerit & auxerit prolixum opinor esset scribere, & parũ necessarium, præsertim

in

in Græca historia: attingam tamen quædam capita, vnde satis apparebit illius viri propositum, & à diuini cultus forma faciam initiũ. Ergo quicquid legum atque rituum a Romulo traditum accepit in honorem autoris immotũ reliquit vt optimum: quòd si quid animaduertit ab illo prætermissum, id de suo addidit, conditis multis sacellis nequem deum inhonoratum sineret, multis etiam templis & aris, attributóque suo cuique numini festo, & assignatis qui sacra curarent sacerdotibus, latísque legibus de deorũ cultu, purificationibus, expiationibus, cæterísque sacris ac cerimoniis, adeò vt hac parte longe à tergo relinqueret quamuis ciuitatem siue Græcam siue barbaram quantumuis pietatis nomine celebrem. Ipsum quoque Romulum vt augustiorẽ homine, templo honorauit & sacrificio, quod alternis annis in Quirinali colle instauratur. nam cũ adhuc non satis constaret, à diisne raptus esset, an interceptus insidiis hominum, prodiit in forum Iulius oriundus ab Ascanio, bonus colonus & inculpatæ vitæ vir, & in quem nulla corruptelæ suspicio caderet: dixítque sibi rure domũ redeunti venientem ab vrbe obuium factũ Romulũ, séq; his verbis affatũ: nuntia meo nomine Romanis Iuli, in deorum cœtũ me duci à meo genio qui nascenti contigit: iam enim mortale æuum expleuimus. Quirinus sum qui te alloquor. Porrò Numa omnia quæ ad religiones ac cerimonias pertinent, octo libris iuxta totidem sacerdotum genera complexus est. primus sacra triginta curionum continebat, quorum erat publicè pro suis curialibus rem diuinam facere. secundus spectabat ad stephanophoros vt nos Græci vocamus, vt ipsi Romani Flamines, dictos à capitis gestamine. quo hodiéque vtuntur: id enim coronæ speciem referens flama nominant.

Tertia

Tertia sacra peragebant tribuni celerum, quos equites ac pedites regũ stipatores fuisse diximus. nam & hi solennia quædam habebant sacrificia. Quartus ordo erat de cœlo signa obseruantium, eáque publica à priuatis discernentium. hi ab vna suæ artis specie Romanis dicuntur augures, nostris hominibus οἰωνοπόλοι, totius diuinatoriæ peritissimi, siue quid è cælestibus signis, siue terrestribus coniiciendum sit. Quinto loco erant virgines ignis sacri custodes, quas illi à sua dea Vestales nominant, cui rex hic primus templum sacrauit & cultrices virgines. de his vt aliquid dicamus præsens argumentum postulat. multis enim Romanæ historiæ scriptoribus visa est hic disquirenda rei veritas. quidam enim Romulũ huius templi conditorem existimant, absurdũ rati si vir rerũ diuinarum peritus non ante omnia publicũ vrbis larem sacraret, præsertim educatus Albæ, vbi vetus eius deæ sacrarium fuerat, & penes ipsius matrem sacerdotium. cúmque duo sint sacrorũ genera, publica & gentilitia, necesse aiunt vtroque nomine illa non neglecta esse Romulo. Nihil enim publico lare magis necessarium, & ipse nulla sacra habuit magis familiaria, quippe oriundus à maioribus per quos illa transportata fuerant ab Ilio, atque etiã natus ex huius diuæ sacrifica. Sed isti qui hoc templum malunt Romuli esse quã Numæ ædificiũ, quod ad rempublicã attinet recte existimant oportuisse primum aliquẽ focũ esse communem omnium ciuium, nec hoc ignorasse conditorẽ vrbis pro sua sapientia: cæterùm quod priuatim ad huius templi apparatum spectat & ad sacratas deæ virgines, videntur mihi parum intelligere. Neque enim locum in quo sacer ignis asseruatur, huic deæ dicauit Romulus argumento certissimo, quando quidem situs est ex-

tra quadratam Romam quam ille muniit: publicè autem laris focum omnes solent in præcipua parte urbis locare, nemo extra mœnia. neque virgines deæ sacerdotes instituit, memor fortasse materni dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatē amiserat: haudquaquam idoneus futurus ultor iuxta leges patrias si quam violasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum: quapropter nullum fecit publicum Vestæ tēplum: nec virgines sacerdotes optauit vt illam colerent: sed per singulas curias focum dicauit vbi curiales rem diuinam facerent: eisque sacris curiones ipsos præposuit, iuxta morem qui adhuc seruatur in antiquissimis Græcorum vrbibus. in his enim prytanea quæ vocantur sacrata sunt. & ad summum magistratum cura corū pertinet. at Numa regno potitus relictis suo loco focis curiatim positis, vnum insuper omnibus communem esse voluit medio Capitolium inter & Palatium spatio, cum iam hos colles idem murorum ambitus cingeret, quà inter vtrunque situm erat forum templi sedes, cuius custodiam Latino more assignauit virginibus. nec satis constat quid sit quod intra sacram ædem seruatur, cur vè commissum sit curæ virginum. quidam enim negant quicquam inesse nisi ignem illum omnibus conspicuum: virginibus autem merito potius quā viris creditum, quòd quemadmodum virgo incorrupta, ita ignis incontaminatus sit: atque ita castissimo numini gratum esse rem apud mortales itidem purissimam. cæterùm ignem dicatum Vestæ, quòd ea sit terra sita in mundi meditullio, vnde sublimes illi ignes desumant fomitem. alij tradunt præter ignem occulta quædam sacra in deæ fano esse deposita, solis æditius cognita & virginibus: adduntque argumentū nō leue ex eius incendio quod

accidit

accidit quando primum Romani cum Pœnis bello conflictabantur propter Siciliam. tunc enim virginibus metu diffugientibus, æditeorum vnus L. Cæcilius Metellus vir consularis, is qui deuictis in Sicilia Chartaginiensibus in celebri illo triumpho C X X X. *elephantos traduxerat, posthabito publicæ vtilitati priuato periculo irrupit in ardẽs penetrale, sacráque à virginibus deserta è flammis eripuit: quamobrem honores maximos à ciuitate grata est promeritus sicut ex elogio patet, quod ascriptum est eius statuæ in Capitolio. ex hac confessare nectunt coniecturas proprias. quidam dicunt hic seruari partem sacrorum Samothraciæ, quæ quondam ex hac insula Dardanus in vrbem à se conditam deportauerat: eáque capta Aeneas Troia profugus secum attulit in Italiam. alij Mineruæ Iliensis effigiem esse veram & notam Aeneæ perito rerum talium, cum alteram ad huius similitudinem formatam Achiui furto sustulerint: cuius facti crebra mentio reperitur apud poëtas æquè ac historicos. ego sanè a multis accepi custodiri à virginibus non solum ignem sed & sacra quædam vulgo incognita: ea tamen nec ipse scrutari ausim curiosius, nec aliis fas puto. Virgines autem quæ deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio, & ius optandis eas penes reges esse Numa voluit: postea tamen propter sacrificiorum multitudinem ad senerium numerum aucta in eo hodiéque permanent degentes in deæ fano, à cuius aditu nemo arcetur interdiu. sed pernoctare intus fas est viro nemini. has necesse est per* X X X. *annos manere puras à nuptiis sacrario seruientes & legitimis cerimoniis. ac primo decennio rationem sacrorum eas oportebat discere, sequenti exercere, postremo docere alias. post exactum verò annum trigesimũ nihil*

vetabat eas positis coronis reliquísque insigniis sacerdotij cui vellent nubere: fecerúntque id paucæ aliquot, sed parum læto vitæ exitu & ominoso apud cæteras, ita vt libenter posthac virgines æuum exigerent in deæ contubernio. ac tum demum in defunctæ locum alia sublegebatur à pontificibus. honores autem eis exhibentur à ciuitate multi & eximij, propter quos nec liberorum nec nuptiarum tanguntur desiderio: pœnæ quoque si qua delinquat graues sunt propositæ, quas pontifices ab illis exigunt, flagris cædẽtes deprehensas in leuiore crimine, stupratas verò miserabili longéque fœdissimo tradentes supplicio. viuæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam prosequentibus: delátæque ad Collinã portam extra muros in subterranea cella sepeliuntur, nec monumento dignatæ nec parẽtatione aliisve solennibus defunctorũ honoribus. admissum autem circa sacra piaculum tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maximè si ignis extinguatur, quod formidolosissimum Romanis habetur, vt perniciem ciuitati minitans, quacunque tandem causa acciderit: & post multam procurationem alium ignẽ in tẽplum inferùnt, sicut suo loco dicetur aptius. illud cũ primis est memorabile, quemadmodum dea periclitantibus falso crimine virginibus opem attulerit. proditum enim est & creditum à Romanis, tametsi videatur incredibile. certè qui se dediderunt tollenti diuinam prouidentiã philosophiæ, si tamen ea philosophia dicenda est, irridentes quicquid de præsentia deorum vel Græci narrant vel barbari, has quoque historias naso suspendent vt commenta arrogantium hominũ, non putantes deorũ vlli curæ esse res mortaliũ, at qui deos non liberant respectu hominũ, sed existimant tam malis infensos quã bonis

propit

propitios. propter magnam rerum cognitionem non grauabuntur credere visa sæpe negotiis hominum adesse numina. Ergo cùm olim defecisset ignis negligẽtius asseruãte Aemilia, quæ alteri è virginibus nouiciis & adhuc rudimẽta cultus discentibus eam curam commiserat, ferunt admodum ciuitatẽ turbatam, inquisitionémq; habitã à pontificibus ne forte parum castè sacrum focum sacerdos tractauerit. Tum verò Aemiliam insontem quidem sed inopem in tali casu consilij sacerdotibus cæterisque virginibus inspectantibus ad aram manus tendentem dixisse: Vesta Romana vrbis custos, si tua sacra sanctè ac purè per XXX. *fermè annos obij, casto animo & illibato corpore, ades mihi nunc & fer opem, néve dispicias tuam sacerdotẽ miserrimo perituram exitio. quòd si quid incestum admisimus, meo supplicio tollatur ciuitatis piaculum. his dictis abscissam carbasinæ stolæ quam erat induta laciniam iniecisse foculo: ad eas preces è frigido cinere ac ne scintillam quidem retinente flammam emicantem corripuisse carbasum, ita vt nec procuratione vlla nec instaurato aliàs igne ciuitati opus fuerit. sed mirabilius etiam est quod dicam & similius fabulæ. Aiunt vnam sacrarum virginum nomine Tuciam accusatam à quodam, non quòd ignem extingui passa sit, sed quòd probabilibus argumentis suspecta esset violata pudicitiæ, testimoniis etiam licet falsis eodem accedentibus. itaq; iussam pro se dicere, promisisse re non verbis euersuram se eam calumniam: simúlque inuocata dea vt sibi dignaretur esse dux viæ, petiisse Tiberim. sacerdotum permissu & prosequente vniuerso populo. cúmq; accessisset flumen, contra vulgatũ illud adagiũ ausam haurire aquã cribro vacuo, eámque vsque in forum perlatã effudisse ad pedes pontificum.*

addunt accusatorem eius posthac multum diúque perquisitum nec viuum vsquam comparuisse nec mortuum. Hæc de auxilio deæ pauca è multis dixisse sufficiet. Cæterũ sexta pars legum ad religiones pertinentium tractabat iura eorũ quos Romani vocant Salios ab ipso Numa institutos & selectos XII. præcipuos ordinis patritij, qui sacra in palatio celebrant, palatinorũ cognomine: nam agonales siue vt quidã appellare malunt collini Salij habent in collino tumulo sacrarium, post Numam instituti à rege Hostilio, sicut bello Sabino vouerat. votum id saliorum genus saltatores quidã sunt & laudatores deorum belli præsidum Festum autem eorũ incidit in Panathenæa nostra mensemq; Martiũ, agiturq; publicè ad dies aliquot: per quos tota vrbe choreas ducunt vsq; in forũ & Capitolium. aliaq; loca tam priuata quàm publica, æreis balteis cincti super pictas tunicas, & induti astrictas fibulis prætextas quas vocant trabeas: quæ Romanorum vestis est propria & honorata cum primis. gestant etiã capitibus quos vocant apices. fastigiatos in altum pileos: Græci appellant cyrbasias accinguntur autẽ singuli gladio, dextra tenentes lanceam aut virgam, aut tale quid aliud: sinistra verò ancile Thraciæ cetræ simile. id scutum est oblongum & angustius: qualia dicũtur esse apud Græcos gestamina eorum qui sacris Curetum initiati sunt. Et quãtum ego intelligo salios in Grecum sermonem curetes licet vertere, quasi κούρης ab ætate appellantes nostris hominibus, Romanis verò à cõtinuato tripudio: vnde etiam saltatores in vniuersum nominant eos qui delectantur chorearum generibus. quam meam coniecturam tanti apud se quisq; valere sinat quanti vult. gesticulantur enim militariter ad tibiæ modulos nunc simul, nunc per vices, interim canentes pæana

quendam patrium. saltationē autem armatamque collisis ad scuta gladijs crebros ciet strepitus, siquid credendum est antiquis scriptoribus, primi Curetes inuentam tradiderunt posteris: de quibus vulgatior est fabula quàm vt hic repetenda sit. Inter hæc scuta quæ vel Salij gestant, vel ministri ipsorum contis suspensa circumferunt, cùm sint valde multa, vnum dicunt delapsum cælitus. hoc repertum esse in Numæ regia illatum eò à nemine: ac ne visam quidem ad id temporis talem formam in Italia: quibus coniecturis à dijs demissum Romanis persuasum fuisse. quod cū Numa vellet per vrbem festis diebus transferri à præstantissimis iuuenum, & annuis honorari sacrificijs veritum insidias inimicorum & furta, ferunt fabricasse multa illi similia, vsum opera & consilio Mamurij, vt ignotum esset insidiatoribus propter indiscretam cælestis similitudinem. Est autem vernacula & solennis Romanis saltatio curetica, vt licet intelligere cùm ex alijs rebus multis, tum maximè è circensibus atq; theatralibus pompis ac spectaculis. in his enim omnibus pubescentes pueri prætextati galeatiq; & accincti gladijs parmasq; tenentes incedunt ordine: præceduntq; pompam dicti ludiones à Lydis vt creditur inuentoribus huius ludicri, referentes mea sententia quandam saliorum imaginem. nam curetas non æquè imitantur vt salij, nec cantu nec tripudijs. solebant autem ingenui ciues esse patrimi matrimiq;, nunc verò admittuntur nullo conditionis discrimine. de quibus quid opus est plura scribere? Septima legum sacrarum pars dicata erat collegio fecialiū, quos Græci εἰρηνοδίκας dicerent. hi sunt selecti è præstantissimis familiis, funguntúrq; per omnem vitam eo sacerdotio, primo Numa huius sacri magistratus autore. Vtrum autem ab Equiculis exem-

plum mutuatus sit, vt quidam existimant, an ab Ardeatibus, nihil compertum habeo, hoc tantum possum affirmare, quòd ante Numam regem collegium fecialium Romæ non fuit. Id ille instituit cum imminere videretur bellum cum Fidenatibus, nisi res ex agris Romanorum raptas sine bello mallent reddere, quod tandem eis facere necesse fuit. Sed quoniam Græci carent magistratu fecialium, de potestate illius dicendum est, vt quibus hactenus ignota fuit Romanorum pietas, mirari desinant semper eis felices contigisse bellorum exitus: quippe qui nunquam arma nisi iustis de causis sumpserunt, quod illis præcipuè deorum fauorem conciliauit in rebus dubiis. longum autem esset recensere omnia fecialium officia, sed in summa sunt hæc: dare operam ne Romani vlli fœderatæ ciuitati iniustum bellum inferant. quòd si quæ prior contra fœderis conditiones aliquid commiserit, legatos agere & verbis primò suum ius repetere. quòd si dedignetur facere postulata, tum verò bellum indicere. Itidem si qui illatam sibi contra fœdus querantur iniuriam, causam eorum cognoscere, & comperto crimine sontes comprehensos læsis dedere. iudicare item de legatorum iniuriis, & dare operam vt seruentur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut si parum legitimè facta videatur irritam reddere. præterea si quid imperatores contra iusiurandum peccauerint cognoscere atque expiare, sicut dicemus quoties incidet occasio. cæterùm quando apud aliquam ciuitatem caduceatorum funguntur munere, hos ritus eorum à maioribus accepimus. vnus quispiam illorum electus à collegio, veste augustiore suisq́ insigniis verendus ad infestorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attigit, Iouem cæterósque

deos in

deos inuocans testatur à Romanis se venire, iúsque suum petere. deinde iuratus ire se ad iniustam ciuitatem, & si quid mentiretur séque suósque ciues execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obuium nactus est eum testatur, siue is vrbanus sit siue rusticus, & repetitis eisdem precibus atque execrationibus, ad vrbem pergit quam prius quàm ingrediatur, vel portæ custodem, vel primum quenque in porta obuium similiter testatus ad forum procedit: ibíque stans magistratibus aduentus sui causam indicat, semper iurisiurandum & imprecationes adijciens. tum si damnatos autores iniuriæ deditósque acceperit, abducens eos amicus ipse ab amicis discedit. quòd si tempus ad deliberandum peterent, post decem dies reuertebatur, idq́ aliquando tertio. elapsis autem triginta diebus si non impetraret ius suum, obtestatus superos atque inferos discedebat, hoc tantum profatus, super ea re per otium deliberaturum Romanum populum. deinde assumptis cæteris fecialibus senatui renuntiabat omnia se ritè exsecutum, & si velint bellum decernere, licere id illis per deos, alioqui si quid horum omissum esset, neque senatui fas erat decernere bellum neque populo. Hæc sunt quæ produntur de fecialibus. Vltima Numæ institutorum pars continebat sacra maximi apud Romanos sacerdotij, & cuius potestas est amplißima. hi ab vno suorum operũ, videlicet sarciendo ponte sublicio vocantur pontifices, summa autoritate præditi. nam de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicant, tam inter magistratus sacrificos, quàm inter priuatos homines: nouásque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus, penes quos cerimoniæ sunt ac sacrificia, sacerdotésque omnes examinant: mini-

ſtros quoque ſacrorum in officio continent, nequid præter ſolennes ritus faciant. à profano etiam & imperito vulgo conſuluntur de cultu deorum ac geniorum, aliiſque religionibus. quòd ſi quem animaduertant præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxij, nec tenentur ad reddendam rationem vel ſenatui vel populo. id genus ſacerdotes ſiue ſacri doctores ſiue ſacrarum legum conſulti, ſiue ſacrorum cuſtodes rectè dicendi ſunt: ego hierophantas noſtris appellari dixerim. in defuncti locum alius ſolet ſubrogari, non populi ſuffragiis, ſed qui collegio maximè videatur idoneus ex omni ciuium numero: nec niſi inauguratus ad ſacerdotium admittitur. Atque ita Numa de rebus diuinis leges inſtituit diſtinctas iuxta ſacrorum genera, ne alia minutiora commemorem, quibus omnibus ciues ad pietatem longe quàm antea proniores ſunt redditi. Quæ verò ad frugalitatem ac ſobrietatem vitæ faciunt, iuſtitiæ've ſtudium ſine qua non eſt ſtabilis concordia ciuium, multa ſanè & egregia, partim comprehendit ſcriptis legibus, partim in mores vertit longo vſu & aſſuetudine. de quibus omnibus quia prolixum eſſet dicere, duo tantum præcipua commemoraſſe ſat erit, ex quibus facilis coniectura ſit de cæteris. vt enim contenti propriis aliena non concupiſcerent cauit lege de terminandis prædiis. cum enim vnumquenque iuſſiſſet agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides. hos ſacros eſſe Ioui Terminali voluit, iuſſitq; vt quotannis ſtato die res diuina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem deorũ qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocant Terminalia, ſicut lapides ipſos termines, quos noſtri variante vna litera termonas, quos ſi quis

transfer

transferre ausus fuisset aut tollere, lege terminali caput eius his diis deuouit, interfectori ipsius tanquam sacrilegi impunitate promissa & puritate à scelere. nec de priuatorum tantum agris hoc ius sanxit, verum etiam de publicis, hos quoque certis complexus finibus, vt Romanum agrum à vicinarum vrbium agris terminales dij discernerent, & priuatum à publico: qui mos ex illo seculo reliquus Romanis religiose seruatur etiam nostro tempore. nam deos putant terminos, eisque sacra faciunt, non hostias cædentes, quòd nefas sit cruentari hos lapides, sed liba cerealia frugúmque offerentes primitias. Debuerant autem etiam rem ipsam seruare ob quam consecrati sunt termini, & contenti propriis possessionibus alienas nec vi nec dolo appetere. nunc non rectè neque more maiorum à suis aliena disterminant, non lege sed cupiditate possessiones finiente, quod iniquum & indecorum est. Verùm hæc aliis consideranda relinquimus. certè Numa his legibus ad frugalitatem ac temperantiam ciuitatem instituit. Cæterùm quod ad ius pactorum attinet, excogitauit quiddam non animaduersum ante à quoquam eorum qui præfuerunt ordinandis potioribus Rebuspublicis. videns enim contractus coram testibus factos manere inuiolatos conscientiorum verecundia, raróque in his admitti iniuriam: qui verò sine testibus fiant, quorum maior est numerus, eos constare sola fide contrahentium, quo magis eam commendaret omnium affectibus, diuinos illi honores detulit. Iustitiam enim & Themin & Nemesim atq; Erinnyes satis cultus consecutas putauit à maioribus, fidem autem qua nulla res apud mortales maior aut sanctior, nondum dignam venerationem consecutã vel apud ciuitates vel apud priuatos homines

mines. hæc cogitans primus publicè templum sacrauit Fidei, aßignatis ex ærario victimis quemadmodum diis cæteris. recepta enim semel in ciuitatem firmitudo fidei apud singulos etiam ciues erat valitura plurimum. adeò veneranda ea res habetur & inuiolabilis, vt sua cuique fides pro testimonio debeat esse próque iureiurando sanctißimo. & quoties alter cum altero contractum fecisset sine testibus, si qua exorta esset controuersia, eam dirimebat fides alterius litigantium. quin & magistratus & iudices in dubiis causis plerunque ex alterutrius partis fide ac sacramento suam interponebant sententiam. huiusmodi necessariis ad temperantiam & iustitiam præceptis Numa pulchriorem in Republica induxit ordinem, quàm in priuata domo posset aliquis optimus paterfamiliás. quod autem nūc dicturus sum, curam ciuitatis in rebus commodis & necessariis acuit. cum enim cōsideraret multum ad conseruandam frugalitatem & æquitatem facere necessariam rerum copiam, vniuersum agrum in pagos diuisit, & suum cuique magistrum, qui eum obiret atque curaret præposuit. hi crebro perlustrantes omnia, tam bonorum quàm ignauorum colonorum adnotata ad regem deferebant nomina. ille industrios agricolas colaudatos summa comitate prosequebatur: contrà segnes obiurgatione atque etiam mulcta castigatos accendebat ad colendos agros strenuè. quo factum est vt vacantes à forensibus simul & militaribus negotiis, & ignauiæ otiíve mulctam timentes, suis manibus operarentur, opes quas tellus præberet, vt iustißimas præferentes incertis ac periculosis militiæ commodis. atque hoc pacto nec subditi grauabantur iniquo imperio, & exemplum præbebatur tam finitimis quàm posteris: & propter optimè constitutam Rempub. nec foris

foris bello nec domi seditione laboratum est. tantum enim aberat vt vllum bellum immineret à finitimis, vt etiam si aliqua inter ipsos existeret contentio, non alium sibi quàm Numam & Romanos arbitrum quærerent: quem equidem inter celeberrimos felicitatis opinione viros annumerare non dubitauerim. aderat enim ei & genus regium & rege digna species, & non inutilium disciplinarum studium, sed ad pietatem caterásque virtutes conferentium. ad hæc regnum Romanorum iuuenis adeptus est, accitus ab ipsis ob celebre nomen in omni virtutum genere, habuitque subditos toto vitæ suæ tempore obsequentissimos: integris sensibus extremam ætatem attigit, facillima morte absumptus, nimirum confectus senio, & eodem propitiæ fortunæ tenore vsus donec rebus humanis exemptus est. Excessit annum vitæ octogesimum, regnauit quadraginta & tres insuper. liberos superstites reliquit mares quatuor, vt pleriq; sunt autores, vnam fœminam: vel vt Cn. Gellius narrat, solam filiam: ex qua natus est Ancus Marcius, qui tertio post illum loco Romæ regnũ tenuit. defunctũ luctu publico & insigni monumento honorauit populus, quod situm est trans Tiberim in Ianiculo. Hæc sunt quæ de hoc rege accepimus à maioribus.

DIONY

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatũ siue Originum Romanarum,

*

LIBER III.

Continet res Tulli Hostilii, Anci Marcii, L. Tarquinii Prisci, tempus autem annorum XCIIII.

DEFVNCTO Numa Pompilio, reuersáque ad patres administratione reipublica, post aliquot inter reges suffragio populi creatos, regnum uniuersæ ciuitatis consensu delatum suscepit Tullus Hostilius, ortus ut fertur oppido Medullia: quod ab Albanis olim conditum, Romulus deditione captum fecerat Romanorum coloniam. nam inde auus eius Hostilius in urbem migrauerat, vbi vxorem Sabinam duxit Hersiliæ filiam, quæ autor fuit popularibus suis fœminis, ut bello Sabino ad patres pro maritis legatione fungerētur: quo facto præcipuam laudem tulit conciliatæ inter partes amicitiæ. Is vir multis Romuli ductu editis egregiis facinoribus, à Sabinis in prælio cæsus est relicto unico filiolo superstite: sepultúsque est non longe à regia in maximè conspicua fori parte, cum inscriptione elogij testatu

testaturi ipsius virtutem apust posteros. ex hoc vnico filio iam adulto, & nobili matrona, prognatus est Tullus Hostilius, vir industrius, qui tum rex legitimo populi suffragio declaratus est, diis etiam approbantibus per secunda auspicia. Annus quo regnum iniit fuit alter septimæ supra vigesimã Olympiadis, qua stadium vicit Eurybates Atheniensis, principe Leostrato. hic rex à facto longe magnificentissimo principatum auspicatus, deuinxit sibi vniuersam operariam & egenam plebeculam. Superiores reges agrum habuerũt magnum & vberem, ex cuius reditibus sacra diis faciebant, & domi victitabant splendidè, primùm Romulus qui eum iure belli parauerat, deinde Numa Pompilius qui per successionem fruendum acceperat: habebaturq́ non publicus, sed propria regum sors & possessio. Eam Tullus permisit diuidi viritim inter Romanos inopes, professus patrimonium sibi sufficere in sacrificia sumptusq́ domesticos. Hac liberalitate refoti egeni ciues imposterum non opus habuerunt aliis locare operam. necui autem deesset domicilium, promotis mœnibus Cælium collem vrbi adiunxit: vbi quotquot Romanorum lare caruerant adepti iam agros ædificabant, rege quoque eodem in loco habitante. hæc sunt illius viri memorabilia ad pacatum Reipub. statum pertinentia. In militia verò plurima gessisse proditur, quæ nunc percensebo à bello Albano exorsus. eius autem inter cognatas ciuitates dissidij causa fuit Cluilius Albanorum dictator: qui ægrè ferens Romanorum successus & impotens inuidiæ, malignóque & arroganti præditus ingenio, decreuit bellum excitare inter duos populos. cumq́ nullam rationem videret qua suis persuadere posset vt copias contra Romanos duci sinerent, quippe qui nullam causam haberet vel iustam vel necessariam,

riam, tale quiddam comminiscitur. Albanos quosdam inopes & feroces permisit è Romano agro prædas agere impunitatem pollicitus: ostentatóque certo lucro sine restitutionis periculo, repleuit finitimam regionem latrociniis. nec fefellit eum opinio, vt res ipsa docuit. Sciebat enim Romanos impatientes armis repulsuros raptorum iniuriam: sibiq; occasionem fore criminādi eos apud populum quasi bellum priores inferrent: & cum pleriq; inuiderent felicitati suorum colonorum, libenter admissuros calumniam, bellúmque decreturos: id quod contigit. Nam cum alteri alterorum bona diriperent prædásque abigerent, & tandem Romanus exercitus Albanum agrum ingressus multos latronum partim occidisset partim captiuos abduxisset, aduocata in concionem plebe Cluilius acriter verbis in Romanos inuectus, & ostentatis sauciis, productísque captiuorum atq; cæsorum necessariis, multa etiam re atrociora de suo admentitus, effecit vt legatio decerneretur, quæ autores iniuriæ deposceret ad supplicium: quòd si æquitatem Romani spernerent, bellum eis indiceret. Vt verò legati in vrbem peruenerunt, suspicatus Tullus eos res raptas pœnásq; raptorum repetitum venisse, maluit eos in hoc præuenire, in ipsósque retorquere causam belli & violati quod cum colonis suis habebant fœderis. eius leges præscripta fuerant regnante Romulo, & inter cæteras, neutri populo fas esse bellum inferre alteri. quòd si alteruter crimē aliquod actionémve habuerit, læsos debere in eam ciuitatem ius petere, à qua profecta sit iniuria: id si non impetrauerint, tū verò bellum inferendum vt necessarium, soluto iam fœdere. quapropter veritus ne Romani prius repetētibus res Albanis negarent, séque ita obnoxios eis facerent, mandauit præcipuis amicis vt legatos

comiter

comiter in hospitium receptos apud se detinerent cõuiuiis: ipse occupatum se arduis quibusdam negotiis simulans admittere hos distulit. insequenti nocte nobilißimum quenque, instructum quid facto sit opus, Albam res repetitum misit cum fecialibus: qui peracto ante solis ortum itinere, manè pleno iam foro Cluilium inueniunt: & questi de illatis sibi per Albanos iniuriis, conditionibus fœderis stari postulant. ille quòd priores Albani Romam legationem ad res repetendas misissent, & ne responso quidem digni essent habiti, abire iubet Romanos vt violatores fœderis, simulq; bellum indicit. tum legationis princeps discessurus hoc vnum interrogauit, fateretur ne eos violare fœdus, qui primi legatis res repetentibus nihil æquum piúmve concesserint; id fatente Cluilio, Ergo, inquit, testor illos ipsos deos quibus olim inter vos fœdus ictũ est testibus, priores Romanos ius petentes repulsos pio bello vos persequi posse, per vósque stare quominus iure agatur, vt res ipsa indicat. priores enim res negastis repetentibus & priores nobis bellum indixistis. quare breui nos armis iniuriam vlturos expectabitis. His ex legatorum relatione cognitis Tullus tum demum legatos accitos iubet causam aduẽtus exponere. Quibus Cluilij mandata renuntiantibus, bellumque minantibus si non possent ius suũ consequi. Equidem prior, inquit, id quod vos nunc feci: & quoniam per vos non statur fœderis conditionibus, liquet à vobis prius id violatum ac contemptui habitum, quamobrẽ iustum Albanis denuntio bellum & necessarium, non solum domesticis copiis id gesturus, verum etiam accersitis subditorum auxiliis. His de causis post factos vtrinq; apparatus maximos, & coactas tam proprias quàm sociales copias, castra collata sunt quadragesimo fer-

mè ab vrbe stadio. ea metati sunt Albani ad fossam Cluiliam, quæ nunc quoque nomen autoris retinet: Romani opportuno loco vrbem inter & castra hostium. vt verò mutua consideratione satis apparuit neutram partem vel numero vel armis vel apparatu cætero alteri cedere, primus ille impetus aliquantum refrixit quo vtrique ad certamen ferebantur, quasi mox profligandis ac ne conspectum quidem suum laturis hostibus: intentiq; muniendis castris de propulsanda vi magis quàm de inferenda cogitabant. iamq; prudentiores subpanitebat temerarij ducum consilij, fremente multitudine duci frustra bellum, nec vllum cõmitti prælium memorabile: mutuis tantum velitationibus teri tẽpus & concursionibus turmalium. At incentor belli Cluilius ægrè ferens ignauũ otium, volebat producto in aciem exercitu hostem ad pugnam prouocare: quam si detrectaret, castra ipsa oppugnare totis viribus. Omnibus igitur necessariis præparatis vel ad decernendum acie, vel si opus esset ad oppugnandum vallum & aggerẽ, cum noctu in prætorio cubuisset seruãte se consueto satellitio, mane repertus est mortuus, nullis in corpore exstãtibus cædis aut veneni strangulationisve, aut cuiuscunque tãdem violentæ necis vestigiis. Qui casus cũ omnibus admirandus, vt erat, videretur: & non cõparente causa, quòd ne morbo quidem tentatus fuisset: quidam ad diuinam prouidẽtiam referre soliti fortunas hominum, superum indignatione extinctum iactabant: vt qui veterem patriam contra suos colonos incitasset ad bellum iniustum ac impium. alij qui belli iura metiebantur propriis commodis, putãtes sibi egregiam prædam exemptam è manibus, humanis dolis & inuidiæ imputabant totum negotium, causantes aliquem ex ipsius æmulis comparasse

rasse venenum deprehensu difficile, eóque vsum in hominis perniciem. alij rursum aiebant eũ præ mœrore & inopia consilij sibi necem consciuisse, quando omnes conatus difficiles videret ac irritos, nihilque succedere ex sententia, contra quàm principio belli putauerat. qui verò ab odio æquè ac gratia ducis liberi integrum habebant iudicium, his nec deorum ira, nec æmulorum dolus, nec ipsius desperatio videbatur extinxisse hominem, sed fatum & naturæ necessitas, velut expleta portione debita, quã cuique nascenti suã sors destinat. Ita Cluilius priusquàm aliquid strenuè gessisset, tali fine absumptus est. In eius locum dictator ab exercitu creatus est Metius Suffetius, vir nec in pace fidus, nec bello administrando idoneus, & siquis Albanorum alius turbandæ duarum ciuitatum quietis iã dudum cupidus, eáque præcipuè de causa successor datus Cluilio. Is imperio potitus perspecta præsentis negotij difficultate mutauit consiliũ, bellúmque cunctando trahebat, quòd videret suorum remissiores animos, & exta sacrificanti parum felicem exitum prælij portenderent. tandem visum est misso caduceatore hostem prouocare ad redintegranda secum fœdera, maximè quòd vtrisque nisi maturè conciliarentur, graue immineret periculum. id erat huiusmodi, Veientium atque Fidenatium validæ ciuitates temporibus Romuli cum Romanis bello de principatu & potentia contenderãt, victíque multis suorum desideratis, & parte agri mulctati, coacti fuerant imperata facere, sicut suprà diligenter docuimus. Numa Pompilio deinde regnante secura in pace degentes viris simul & fortunis aucti sunt: quam ob felicitatem elatiores ad libertatem aspirabant detrectantes Romanorum imperium. Sed eius defectionis propositum hacte-

nus diſsimulatum Albano demũ bello ſe prodidit. vt enim cognouerunt Romanos totis copiis profectos ad decernendum cum Albanis prælio, rati ſe nactos egregiam rei gerendæ occaſionem, potentiſsimi quique coniurauerunt, vt quotquot arma tractare poſſent occultis itineribus Fidenas conuenirent, ita tamen ne plures ſimul intrarent, quo magis laterent inſidiæ: ibi obſeruarent tempus dum Romanorum ſimul & Albanorum exercitus relictis caſtris prodirent in aciem: quod cogni turi erant è ſpeculatoribus per montes diſpoſitis. ab his ſigno dato vt vniuerſi armati propere contenderent ad caſtra, duarum aut ad ſummum trium horarum itinere inde diſsita. tum verò ſuperuenientes prælio iam peracto vt credi par erat, omnes haberent pro hoſtibus, & victores ſiue hos ſiue illos aggreſsi ferro conficerent. in hac tum coniuratum fuit à ciuitatum principibus. quod ſi ferocius Albani Romanos præ ſe contemptos inuaſiſſent decreturi de ſumma rerum vno prælio, nihil vetabat quin ſuccedentibus inſidiis vterque deleretur exercitus. nunc verò inſperata belli mora, & tempus apparatus longius, irritum fecit hoc conſilium. quidam enim è coniuratis, ſiue propriis proſpicientes commodis ſiue principum ſuorum inuidentes conatibus, ſeu veriti ne index alius exiſteret, vt fit in multorum capitum & lentis coniurationibus, ſiue quòd nollent exſequi tàm impiè conceptum facinus, dolum prodiderunt hoſtibus. quo cognito Suffetius maiore ſtudio adnixus eſt negotium componere inter partes, quando ne integrum quidem ſibi eſſet aliter facere. per idem tempus etiam Romanus rex de coniuratione ab amicis Fidenatibus factus certior, nec ipſe hortanti ad pacem Suffetio ſe difficilem præbuit. itaque congreſſi ad colloquium medio inter caſtra campo vterque

cum

cum suis consiliariis viris prudentibus, primùm ex more se salutauerunt non aliter quàm cognati & socij, deinde pacis est facta mentio: de qua prior Albanus sic orsus est verba facere. Necessarium mihi videtur ante omnia causam proferre, cur poscendæ pacis à me factum sit initium, cum nec armis à vobis sim superatus, nec exclusus commeatibus: ne fortè putetis me propriis diffisum viribus, vestræ vt inuictæ potentiæ formidine honestum belli finem quærere. quod quidem si crederetis, grauiores efficitis aduersarij, nec vllæ conditiones æquæ ac tolerabiles nobis sperandæ essent quasi à iam victoribus. ne igitur falsam quampiam causam meæ pronioris ad pacem voluntatis suspicemini, veram accipite. Ego quamprimum dictator à meis ciuibus creatus eum magistratum inij, cogitare cœpi quidnam concordiam nostrorum populorum conturbauerit: cúmque animaduertissem leues quasdam & friuolas occasiones nec ad dirimendam tam cognatorum amicitiam satis idoneas; non probabatur mihi nec Albanorum nec vestrum consilium. sed multo magis displicuit vtrorumque insania. postquam negotium aggressus deprehendi non esse vnam omnium sententiam. vidi enim nec in priuatis nec in publicis cœtibus Albanos vno consensu bellum expetere. Cúmque vt in difficili negotio non satisfacerent humana consilia, ad deorum signa recurrens dum in victimarum extis scrutor eorum mentem de futuro prælio, nihil lætum inueniens mœstus hærebam & animi dubius. quapropter inhibita pugnandi libidine, procrastinando bellum duxi, expectans à vobis mentionem sartiendæ amicitiæ: quod vtique vos Tulle priores decebat facere colonos nostros, & hac parte nobis cedere, vestris maioribus. quem enim honorem parentibus liberi, eun-

 dem

dem & coloni debent suis conditoribus. Sed interim dum contendimus utrius partis sit prouocare ad amicitiam, externa nos necessitas cui vix humano consilio resisti potest conciliat: quam quia nondum fortè intelligitis, vel sine respectu decori studendum reconciliationi arbitror. Graues enim contra nostrum utrosque machinationes struuntur & dolus ineuitabilis, oppressurus nos haud aliter quã incendium aut diluuium, eius impij consilij sunt autores coniurati potentiores ciues Veientium & Fidenatium. rationem autem insidiarum, & quomodo mihi comperta sint occulta illorum consilia, iam audietis. His dictis literas ab hospitibus suis Fidenis allatas legendas protulit, simúlque hominem qui eas attulerat exhibuit. cuius post lectas literas ampliore coniurationis indicio ex ipsius ore cognito, attonitis tanto támque inopinato periculo omnibus, eorum fremitu cohibito Suffetius rursum pergit dicere: Audistis Quirites cur hactenus cunctatus sim vobiscum manus conserere, cúrve prior vos ad amicitiam prouocare voluerim. nũc vestrum est dispicere, utrum putetis satius ob raptas buculas & ouiculas conflictari perpetuo bello cum vestris conditoribus & patribus, in quo vobis siue victis pereundum sit siue victoribus: an posito cum cognatis hominibus dissidio, nobiscum contra communes inimicos arma sumere: qui non contenti defecisse in vestram perniciem etiam conspirauerunt, neque læsi à vobis, neque in posterum aliquam timentes iniuriam: idque non apertè, sicut publicum belli ius postulat, sed clàm ne prævideri & proindè caueri possint insidiæ. Sed quoniam positis inimicitiis persequendos esse totis viribus impios homines nemo nisi insanus dubitauerit, non libet vos pluribus hortari ad id, quod faciendum

ciendum vltro cernitis. quo autem pacto ex vtriusque ciuitatis commodo finiri bellum hoc possit, quia id fortasse iamdudum cognoscere auetis, conabor ostendere. Ego censeo reconciliationem inter cognatos & amicos fieri optimam & honestissimam, quando extincta ira obliuioni bona fide traduntur vniuersa tam illata vtrinque quàm acceptæ iniuriæ. aliquanto autem minus honestam, quando liberatis à culpa populis, hi soli iure agere inter se coguntur, ad quos iniuria pertinet. Harum rationum alteram mihi videtur eligendam nobis esse quæ sit decentior & magnanimis viris dignior, communique decreto abolendam omnem præteritorum malorum memoriam. Quod si tibi Tullo non placet, sed mauis iure finiri vtrinque læsorum querimonias, parati sunt Albani hoc quoque facere, tantum vt prius publica in statum pristinum restituatur amicitia. quod si quem alium præter hos habes honestiorem iustioremue reconciliationis modum, quanto ocyus eum protuleris, tanto maior tibi habebitur gratia. Post hunc dicendi vices Romanus excipit: Nobis quoque Suffeti nihil molestius possit accidere quàm cæde ac sanguine cum cognatis decernendi necessitas, diis etiam præsidibus bellorum quoties p̄ exta consulerentur prælium non addicentibus nisi lacesseremur. nec nos latet occulta Veientium atque Fidenatium in vtrosque nostrum coniuratio, nunc nuper hospitum indicio quos illic habemus prodita: ac proinde tum nobis cauemus nequid ab illis detrimenti accipiamus, tum illorum parati sumus vlcisci insidias: nec minus quàm tu bellum hoc sine pugna finire cupimus. priores autem nos pacem petere non decet, quandoquidem à nobis non est ortum belli initium, sed insistantibus restitimus. quod si ar-

ma depoſueritis libenter veſtram adhortationem accipiemus, neque circa pacis conditiones moroſi erimus: ſed vt magnanimos viros decet, omnem Albanis publicam iniuriam condonabimus, ſi publica dicenda eſt cuius autor fuit imperator veſter Cluilius, qui iam diis meritas pœnas dedit illatæ vtriſque noſtrum iniuriæ. Tollantur igitur omnes criminationes tam priuatæ quàm publicæ, aboleatúrque omnis earum memoria, quando tibi quoque Sufeti ſic viſum eſt. Sed non tam conſiderandum eſt de ſartienda in præſens amicitia, quàm ne relinquatur in poſterum vlla renouandi belli materia. nam pacis cauſa non induciarum cõuenimus. Quæ quomodo firma futura ſit, & quid vtriſque faciendum vt ea perpetuo fruamur, quoniam à te Sufeti prætermiſſum eſt, conabor ipſe apponere: nimirum ſi Albani deſinant Romanorum inuidere ſucceſſibus, qui ſibi contigiſſent pro magnis laboribus ac periculis. ſiquidem ne minimo quidem à nobis affecti incommodo, ideo ſolùm exoſos habetis, quia fortuna vti videmur vobis magis proſpera, item ſi Romani deſinant Albanos tanquam inſidiatores habere ſuſpectos, & cauere ſibi tanquam ab hoſtibus. nemo enim exoſus firmus eſſe poteſt in amicitia. Quomodo igitur vtrunque poſſit fieri? non ſi id inſcribatur fœderi, nõ ſacramento vtriuſque partis interpoſito: infirma ſunt enim hæc vincula: ſed ſi alteri alterorum fortunas habeamus pro communibus. vnicum enim eſt Sufeti humani doloris ex alienis commodis remedium, ſi non amplius aliena bona putent quibus inuident. Quod vt fiat, autor ſum Romanis vt Albanos omnium bonorum quæ nunc habent, habiturive ſunt poſt hac participes faciant: Albani verò gratè quæ danturi accipiant, & aut populariter commigrent in

noſtram

nostram vrbem, aut saltem maior pars ac potior. neque enim decet Sabinos quidem Hetruscósque propriis sedibus relictis apud nos degere: vos verò genere coniunctissimos aspernari idem facere: quòd si eandem nobiscum vrbem incolere, magnam licet breuíque maiorem futuram, grauamini tenete vos amore laris patrij, saltem illud facite: senatum vnum designate qui vtriq; ciuitati consulat, & principatum alterutri præstantiori reddite quæ magis possit benemereri de altera. hæc est mea sententia de constabiliēdo inter nos fœdere: alioquin si duas vrbes pariter excellentes incolamus vt nunc, nulla speranda est concordia. His auditis Sufetius tempus ad deliberandum postulauit: & cum paulisper cum suis secessisset, consultauit an esset accipienda conditio: cognitáque voluntate omnium reuersus ad consistorium sic locutus est: Nobis Tulle non placet patriam relinquere, neque patria sacra maiorúmque lares deserere, locumque quem per quingentos fermè annos maiores nostri tenuerunt, præsertim cum nullum bellum eò cogat, aliáve fatalis calamitas. vnum autem senatum constitui, & vni ciuitati deferri principatum non displicet. ascribatur & hoc, si ita videtur, fœderis conditionibus, tollaturq; omnis belli materia. cum iam conueniret hactenus, reliquum erat certamen vtrisque principatum suæ ciuitati conātibus asserere, multaq; verba vltro citroq; super ea re sunt habita, neutra concedente alteri. Albanus sic vindicabat ius suum. Nobis Tulle debetur principatus Italiæ: qui à Græcis oriundi nulli in hac terra genti secundi sumus magnitudine. quòd si non aliarum gentium, certè Latinorum penes nos erit imperium iure optimo, nimirum quod natura apud omnes ex æquo gentes valere voluit, vt generis autores præsint suæ soboli.

m 5 præ

præ omnibus autem coloniis, de quibus non est quod queramur hactenus, vestra principatus ad nos attinet, ut quæ nō multo ante deducta sit ætate ab hinc tertia, nec dum longo temporis tractu euanescente genere. quod si natura patitur vt rerum vicibus versis posthabeātur nouis vetera, aut stirps suis progenitoribus, tum ferendum erit vt conditores subiiciamur colonorum nostrorum imperio, sed non antea atque hoc vnum est principatus ius, quod vobis non libenter cessuri prætendimus: nunc alterum accipite. dicetur enim nō in vestrum opprobrium, sed quia necessitas postulat. Albanorum genus quale fuit olim urbe recens condita, nūc quoque tale permanet, nec vlla hominum natio præter Græcos & Latinos ius ciuitatis apud nos adepta conspicitur. vos verò vitiastis Rempublicam Hetruscis atque Sabinis in eā receptis, aliisq; multis erronibus barbaris, vt iam parua pars supersit germani nostri generis, multipliciter superantibus exteris & ascititiis. itaque si vobis principatum cesserimus, germanis præerunt suppositiitij, Græcanicis barbari, indigenis aduentitij. nō enim potestis dicere, quòd aduenarum turba exclusa ab administratione reipublica, ipsi indigenæ retinueritis ciuitatis gubernacula, imò etiam reges creastis peregrinos, & senatus maior pars constat ex aduenis: quarum rerum nihil dicetis contigisse vobis volentibus. quis enim potior sponte ferat deterioris imperium? Stultum igitur fuerit, quæ non potestis negare vos pati coactos, ea postulare à nobis volentibus. Postremo Albana Respublica eodem in statu permansit ætatibus iam octodecim ex quo primum est instituta, nec quiquam interim est turbatum circa ritus patrios. vestra contrà nondum satis ordinata est, vtpote non pridem condita & confusa ex

multis

multis nationibus, opus habens longo tempore variáque fortuna ad componendam & sedandam tumultuariam istam multitudinem. nemo autē negauerit quin bene composita perturbatis, quæ periculum sui fecerunt contrariis, sana languidis præponenda sint: quod vos inuertere conantes non rectè facitis. Ad hæc Tullus ita respondit. Quod ad naturæ ius maiorúmque virtutem attinet, Sufeti vósque viri Albani, nihil inter nos & vos interest: nam eisdem vtrique gloriamur generis principibus, nec est cur hac in re alteri præferamur alteris. quod verò colonias suis conditoribus iure naturæ subiici contenditis, nec verum nec æquum nobis videtur. multæ enim gentes sunt, in quibus veteres patriæ coronis suis subiiciuntur, adeò non imperant: cuius rei magnum & illustre exemplum est Spartana ciuitas, non solùm cæteris Græcis, verum etiam Doriensibus imperans, vnde ducit originem & quid opus est de aliis dicere? vos ipsi qui nostram vrbem condidistis, coloni estis Lauinien-sium. quòd si naturæ lege imperium est in colonias suis conditoribus, an non hac parte Lauiniensium quàm vtrorunque nostrum erit causa potior? Hæc ad primam rationem vestram, quantumuis honesta videatur, respondisse sufficiat. quia verò etiam vitarum vtriusque ciuitatis collationem facere conaris Sufeti, asserens Albanis eūdem perpetuo manere tenorem probi generis, nos cōtrà vitiatos admixtu externi sanguinis, eoq; indignum adulterinos imperare germanis & inquilinos indigenis, disce quantum hic quoque tua te fallat opinio. nos enim adeò nō pudet communicasse ciuitatē quibuslibet, vt cum primis gloriosum id existimemus facinus. nec nostrum id exemplum est, sed Atheniēses imitamur Græcorum hac quoq; de causa clarissimos,

nec est cur nos rei tam vtilis vel pigeat vel pœniteat.apud nos enim magistratus ac honores deferuntur non ditissimis,non his qui longiorem maiorum indigenarum possunt ostendere seriem,sed dignissimis. nulla enim alia re quàm virtute hominis nobilitatem constare ducimus. reliqua turba ciuitati robur ac vires adiicit ad exequenda potiorum consilia.hæc humanitas ciuitatem nostrā magnam ex parua reddidit, & finitimis verendam ex contemptibili:huic instituto quod tu Sufeti accusas debemus, quòd cæterorum Latinorum nemo de principatu nobiscum contendit.in armorū enim vi sita est vrbium potentia,quæ nulla est absq; numerosis copiis. quæ verò paruæ sunt & infrequentes atque ideo debiles, nec alias nec seipsas possunt regere. in summa ei demum licebit reprehendere aliena instituta, suáque extollere, cui facile sit ostendere quòd his sua respublica facta sit auctior & felicior: alias contrà quæ reprehenduntur his neglectis prolapsas in deterius.nostra autem diuersa est conditio, quando vestra ciuitas à sublimiore fastigio & amplioribus opibus ad minorem modum redacta est:nos ab exiguis orsi principiis non longo tempore maximam inter finitimas Romam tali administratione fecimus, qualem tu improbas. seditiones verò quas nobis Sufeti obiicis, ad salutem reipublicæ conducunt, non perniciem. contenditur enim vtri plus ei prosint, maiores an iuniores, domestici an aduenæ. Et vt rem in pauca verba conferam, imperaturis duo quædam adesse debent, in bello vires, in consiliis prudentia, quorum neutro destituimur:idq; non vanè dictum testis est experientia. certè tantum roboris ac amplitudinis intra tertiam ab vrbe condita ætatem non potuisset nobis accrescere absque eximia prudentia

& fort

& fortitudine. argumento sunt multa Latini nominis ciuitates, vestra colonia, qua à vobis ad nos deficientes maluerunt Romanorum quàm Albanorum imperata facere: quippe qui vtrunque valeamus, & amicos beneficiis & hostes incommodis afficere, cum vobis ad neutrum satis sit virium. Possem Sufeti & alia multa pro nobis afferre, sed desinā verba perdere apud aduersarios eóque minus æquos iudices. Vnum opinor modum optimum qui solus nostrā litem dirimat quo antehac multi vsi sunt tam Græci quàm barbari post longam contentionem de principatu aut de finibus. hoc indicato finem dicendi faciam. equidem censeo certamen id bellique fortunam committendam vtrinque parti exercitus minima contracta in exiguum virorum numerum, quo vtriuscunque vrbis ciues superiores fuerint, ei tradatur imperium in alteram qua enim verbis cōponi non possunt, optimum fuerit armis decernere. His vltro citróque dictis pro causa partium, tandē itum est in Romani sententiam. cum enim tam Albani quàm Romani proceres celerem belli finem cuperent, placuit eam contentionem armorum arbitrio dirimi. restabat inter duces disceptatio de numero eorum qui pugnam capessérent. Tullus vt numero parceretur, vnum cum vno committi volebat Albanorum præstantißimum cum Romanorum fortißimo, patriæ suam in hoc operam offerens. Albanúmque ducem ad æmulationem prouocans: quòd pulchrū esset imperatoribus pugnare pro principatu ac potentia, nec vincere tantum, sed etiam viro forti herbam porrigere: recensebatq́; multa regum atque ducum exempla, qui caput pro republica periculis obiectauerint, indignum ratí si his virtute inferiores viderentur, quos antecellerent honoribus. Albanus

assentie

assentiebatur decernendum quàm paucissimorum corporum periculo, nec tamen singulari certamine, dicens reges si sibimet quærant potentiam honestè ac necessario tale certamen suscipere: quoties verò ciuitates ipsæ de principatu contendant periculosam esse huiusmodi aleam, nec satis decoram vel victis vel victoribus. præstare vt terni vtrinque lectissimi viri depugnent in conspectu exercituum. hunc enim numerum ad controuersias finiendas idoneum maximè, vt qui principium, medium, & finem in se contineat. in hanc conditionem posteaquam conuentum est, soluto concilio in sua quisque castra digressi sunt. Vterque deinde dux aduocatis in concionem suis copiis exposuit quid actum sit in colloquio, & quæ ratio finiendi belli placuerit. cúmque id probaretur magno consensu vtriusque exercitus principum, mirificè ambiebatur hæc opera à centurionibus ac militibus certatim se offerentibus, & ad hanc palmam non verbis modo verùm factis etiam aspirantibus, ita vt difficilem ducibus delectum facerent. vt enim quisque erat aut maiorũ claritate illustris, aut corporis robore conspicuus, aut manu promptus, aut aliquo facinore audaci notabilis, primum se postulabat accenseri trium selectorum numero. Tandem ambitiosa ista iuuentutis in vtrisque castris studia dux Albanus compescuit, animaduertens diuinitus iamdudum prospectum harum ciuitatum futuro certamini, datósque illis propugnatores non obscuris ortos familiis & bellatores egregios, ad hæc præter eximiam formæ speciem non vulgari & rara natiuitate admirabiles. Sequinius enim Albanus vno tempore gemellas filias, alteram ciui suo Curiatio, Romano alteram elocauerat Horatio. hæ simul ambæ grauidæ factæ primo partu prolem masculam ediderunt

derunt trigeminam: quam parentes vt felicem tam domui quàm patriæ totam educauerunt donec adolesceret. deus autem his formam vt iam ante dixi & robur animósque haudquaquam à maiorum virtute degeneres addidit. His viris Sufetius committendum de patria principatu certamen ratus, Romanum regem in colloquium accitum sic alloquitur, Videtur mihi Tulle deus aliquis cum cæteris in rebus multis curam nostrarum ciuitatum agere, tum verò quod ad præsens certamen attinet manifestum fauorē ostendere. inuentos enim qui pro rei summa decernant, egregios bello iuuenes, genere nemini secundos, insignes specie, quódque præcipuum est vno patre eadémque matre genitos, & quod miraculum auget eadem die in lucem editos, vestros Horatios, nostros Curiatios, præclarum nimirum est deorum beneficium. Quin igitur amplectimur hanc tantam numinis prouidentiam, & inuitamus ad depugnandum de pricipatu suos quisque trigeminos? quos pugnantes præter alia, hæc quoque sequetur haud contemnenda commoditas, quòd deficienti propugnator germanus non deerit magis quàm quiuis Romanus, Albanúsve alius, sedabitúrque hac prærogatiua iuuētutis nostræ alioqui repulsam non laturæ cōtētio. Coniicio enim vt apud nos ita apud vos esse qui virtutem ostētare cupiant: eos docebimus diuina quadam fortuna esse præuentos, quæ dimicaturos pro suis ciuitatibus comparauerit: atque ita quietem illis persuadebimus. putabunt enim sibi non virtute prælatos trigeminos, sed quadā sorte naturæ certamen temperantis ad æquilibrium. collaudata ab vtriusque partis optimatibus Sufetij sententia, paulum cunctatus Tullus, cætera, inquit, Sufeti rectè mihi videris animaduertisse. mirifica enim est hæc

& nul

& nulla memoria hominũ visa similitudo generis, quam nostro seculo fortuna in ambabus ciuitatibus protulit. vnum te latere videtur, quod minus alacres ad pugnam reddet iuuenes, si illis credatur hoc negotium. Horatiorum nostrorum mater Curatiorum est matertera, & in ambarum enutriti sunt iuuenes finibus, intercedítque inter ipsos mutua quædam tanquam fraterna pietas. videndũ igitur ne iniquum sit hos armatos inter se committere, & irritare in cædem mutuam, cum cognati sint & sub eisdem aliti nutricibus, ne fortè domesticum scelus in nos redundet qui eos huc cõpulerimus. Ad hæc Sufetius. Nec me latet Tulle hæc cognatio, nec inuitos cogẽdos censeo ad certandum cum consobrinis iuuenibus. itaque cum primũ mihi in mentem venit hoc consiliũ, accitis Curiatiis nostris pertentaui illorũ animos num abhorrerent à certamine. cúmq; viderem eos meam orationem mira quadã & incredibili alacritate admittere, tum demum ausus sum proferre tecúmque cõmunicare meam sententiã. idem vt & ipse facias suadeo, & accersitis vestris trigeminis explores quæ sit voluntas iuuenũ. qui si vltro subire pro patria periculum consenserint, accipiendum est grato animo. alioqui tergiuersantes non cogendos arbitror: quãuis eadem de illis quæ de nostris auguror, quandoquidem audio cũ paucis generosos esse & bello strenuos. nam & ad nos eorum virtutis fama peruenit. quo fit vt credam pro patria libenter se obiecturos periculis. non aspernatus hanc admonitionem Tullus, induciis factis in decem dies, per quos voluntate trigeminorum cognita certius respondere posset, in vrbẽ reuertitur. sequentibus diebus consultatione cũ optimatibus suis habita, cũ plerisq; videretur accipienda monita Sufetij, euocatos trigeminos fratres si alloqui

alloquitur. Scire vos velim Horatij, in proximo colloquio me à Sufetio monitum, diuina prouidentia factum vt ciuitas vtraque ternos propugnatores habeat, viros quibus nec fortiores nec magis idoneos inuenire liceat, vos Romæ, Albæ Curiatios. quapropter primum se perscrutatum, vellént ne consobrini vestri corpora sua commodare patriæ. Cúmque illi non recusassent de summa rerum decernere, ausum se super hoc mihi verba facere, postulando vt pertentarem vestros animos ecquid velitis pro republica patriæ congredi cum Curiatiis, an malitis hoc decus aliis eò aspirantibus cedere. respondi benignè, me qui sciam vos forti pectore præditos manúque strenuos, nullis libentius commissurum discrimen reipublicæ. sed quia vererer ne vos remoraretur cognatio qua iuncti estis Albanis trigeminis, deliberandi spatium petij factis decem dierum induciis. mox huc reuersus senatu coacto retuli super hoc negotio. pluriũ sententia fuit, si sponte susciperetis certamen vobis tã conueniens tamq; honorificum, quod ego paratus eram solus pro omnibus decernere, laudandos vos habendámque gratiam. quod si qua vos cognationis religio teneat, non esse vrgendos amplius. cum igitur hoc sit S.C qui neque molestè feret si hoc facere grauemini, & magnam gratiam habiturus est si cognationi pretuleritis patriam, vestrum est deliberare quid factu censeatis optimum. His auditis iuuenes secesserunt, & post breuem collocutionem reuersis vnus pro omnibus ita locutus est. Si liberi & in nostra potestate essemus Tulle, sine mora certiorem te faceremus, quid existimemus de ineundo cum consobrinis certamine. nunc quoniam superest pater, sine quo nihil nobis dicere facere ve permittimus, rogamus vt paulisper expectes responsum de patris consilio.

filio. aduenterege & laudante pietatē iuuenum, ad patrem abeunt, qui postquam cognouit quid pro posuisset Sufetius, quid Tullo percontanti respondissent iuuenes, rogatus sententiam, Piè, inquit, facitis filij, quòd patris arbitratu viuentes, nihil absq; mea voluntate agitis: sed iam tempus est vt vosmet ipsi declaretis vestram in tali negotio prudentiam. Fingite igitur iam me defunctum fato, & dicite quid statueretis destituti meo consilio. Tum vnus eorum: Susciperemus mi pater certamen pro principatu patriæ, parati ferre quicquid fortunæ visum fuerit. mori enim mallemus quàm viuere degeneres à te cæterísque nostris maioribus: cognationis autem respectum non tam ipsi abiicimus, quàm à consobrinis neglectam ferimus æquo animo. Si Curiatiis honestum est cognatione potior, nec Horatij virtutem posthabebunt propinquitati generis. Ibi pater cognita eorum mente gauisus sublatis ad cælum manibus gratias agebat diis immortalibus, quòd tam egregios sibi dedissent liberos. complexus deinde & exosculatus singulos, audite, inquit, meam quoque sententiam optimi filij. ite, & tam pulchrum hoc piúmque responsum Tullo referte. illi læti parentis hortatu regē adeūt, certaménque suscipiunt. Rex in senatu collaudatis iuuenibus per legatos Albanis denuntiat, accipere conditionem Romanos, & prodituros Horatios qui litem de principatu armis dirimant. Nunc quia præsens argumentum descriptionem eius pugnæ postulat, narrationémque casuum qui subsecuti sunt tragicis similium, diligenter quantum potero conabor percensere singula. Vbi tempus exsequendi pacta aduenit, vniuersus Romanorum exercitus prodiit: prodierunt & depugnaturi iuuenes, comprecati prius deos patrios, deducente rege &

toto populo prosequente faustis ominibus, ac floribus conspergente eorum capita. iámque & Albanorum copiæ prodierant. tum positis castris nō longe ab invicem, medius campus in Romanorum & Albanorum agri finibus destinatus pugnæ est, ubi etiam antea castra metati fuerant. ac primum mactatis victimis super ardentes focos iuratum est utrinque, quanque civitatem eam fortunam boni consulturam, quam trigeminorum pugna attulerit, fœdúsque servaturam sine dolo malo tam ipsam quàm omnes ipsius posteros. post rem divinam peractam positis armis processerunt extra vallum utrinque spectatores futuri certaminis, relicto ad id trium fermè stadiorum spatio medio. paulo post Albanus imperator produxit Curiatios, Romanus rex Horatios, præter egregiam armaturam ornatos sicut qui morti destinati sunt. ut verò congressi sunt propius gladios tradiderunt armigeris, ipsi ruebant in complexus mutuos flentes suavissimísque se salutantes appellationibus; ut nemini non cierent lacrymas, vulgo tam suam quàm ducum immanitatem incusantibus, quòd cum potuissent per alia corpora pugnam eam decernere, impio duello commisissent inter se consanguineos. postquam satis indultum est salutationibus, sumptis gladiis retro se receperunt: móxque infestis mucronibus concurrerunt velut duæ acies. hactenus quies & silentium fuerat in utroque exercitu, tum verò frequentes acclamationes exortæ sunt, nunc his nunc illis suos adhortantibus, & per repetitos gemitus in vota deos vocantibus: quæq; aliæ vociferationes inter certamina solent fieri, dum non ea solum quæ in conspectu gerebantur obversarentur animo, sed magis erecti penderent intentique in pugnæ exitum. nam & lon-

gior prospectus fallebat oculos spectantium, & crebri dimicantium assultus ac recessus mutui dubiam faciebant spem victoriæ. Sic æquo marte diu certatum est: quòd robore animísque pares, armatura quoque muniti essent eximia, nec vlla corporis pars non satis tegeretur, quæ icta celerare posset exitium. quo factum est vt multos ex vtroque exercitu oblitos qui se decerent affectuum paulatim pugnæ libido incesseret, mallént que pro spectatoribus certatores fieri. tandem Albanorum maximus cum aduersario consertis manibus diu conflictatus, non irrito ictu per inguen eum traiicit: qui iam ante grauatus aliis vulneribus, letali hoc postremo ictus deficientibus membris procubuit. exclamant vtrinque spectatores, Romani vt victi, Albani vt victoriæ compotes: quòd impares tribus viderentur duo superstites. interim succenturiatus prolapso Romanus Albanum re bene gesta exultantem aggressus, multis vltro citróque illatis ictibus, non fallente dextra iugulo infigit gladium: mutatóque breui cum fortuna pugnæ affectu spectantiũ, Romanis ex pristino mœrore se recolligentibus, Albanis iam minus gaudentibus, alius rursum aduersus casus illos terruit, his animum reddidit. Cæso enim Albano, germanus qui proximam illi stationem tenuerat victorem adortus est: accidítque vt continuatis ictibus eodem tempore vterque alterum grauiter vulnerauerit, Albanus Romanum in capite, & punctim in præcordiis: ille depulso aduersarij scuto, poplitem ei succiderit. is letali plaga confectus in vestigio cecidit: alter poplite debilis vtcunque se sustentabat clypeo, vnà cum suo fratre excepturus Romanum qui supererat reliquus. imminebat alter eius tergo, alter pectori. ille veritus ne à duobus circumuentus succumberet,

ret, integer consilij pugnam segregat, simulatione fuga facilius deuicturus singulos, quod alter fratrum insequi haud valeret præ vulnere: fugiénsque quantum poterat; voti compos factus est. hærebat enim tergo Albanorum alter nullo impeditus graui vulnere, relicto longe imbecilli altero. ibi Albanis clamore suos accendentibus, iubilantibúsque & tantum non coronas vt re bene gesta poscentibus: Romanis contrà suum obiurgantibus & præsentem statum deplorantibus, Romanus obseruato tempore vertit se celeriter, & priusquam ille caueret Albanum ferro occupat, abscisso cubitotenus brachio: cúmque humi iaceret eius vnà cum manu gladius, repetitum ictu letali iuuenem conficit: postremo reliquum vnum adortus, semineecem iam & languidum iugulat. lectis deinde spoliis in vrbem properat, primus patri nuntiaturus suam ipsius victoriam. Fortuna, nemini perpetuo blanda, inuidit homini, & quem momento temporis ad summam felicitatem extulerat, eadem die paricidam factum in fœdam calamitatem coniecit. iam enim portæ propinquus inter effusam gratulantium turbam vidit sororem occurrere: turbatúsque primo aspectu quòd deserta matre virgo nubilis dedisset se in turbam ignobilem, tandem discussis suspicionibus sinistris, in meliorem partem factum interpretatus est: desiderio fratrum voluisse amplecti incolumem, ex ipsóque discere quàm fortiter occubuissent cæteri, ideóque decori aliquantum oblitam muliebriter. at illam non fratrum desiderium insuetam viam ingredi compulerat, sed amor ex consobrinis vnius, cui à patre desponsa fuerat, amorémque hactenus occultum habuerat. vt verò quodam milite renuntiante audiuit pugnâ

uentum, non amplius sui compos relictis ædibus bacchabunda ferebatur ad portam, nutricem frustra insequentem ac reuocantem nil respiciens. egressa vrbem vbi vidit fratrem gaudentem coronis victricibus, quibus eum rex honorauerat, sodalésque præferentes cæsorum spolia, & in his tunicam pictam sed tum cruore fœdatam, quam suis ac matris manibus confectam sponso more gentis donum nuptiale futurum miserat: scissa veste pectúsque ambabus plangens manibus, flebiliter nomine inuocabat mortuum, attonitis rei miraculo omnibus qui eo loci aderant. defleto deinde sponsi fato fratrem toruè intuens exclamat: Sceleratissime mortalium, gaudes infelix consobrinis cæsis, & orbata coniugio me sorore misera? neq; te extinctorum cognatorum miseret, quos appellare fratrum vocabulo es solitus? sed quasi re bene gesta insanis præ letitia, & coronatus incedis in tantis calamitatibus? cuiusnam feræ animus tuum pectus occupat? Ad hæc ille: Immo verò ciuis amantis patriam, nec impugne abire passuri quisquis ei male vult, siue is externus sit siue domesticus: in quo numero pono te quoque, quæ eodem tempore accepto altero lætissimo Reip. altero priuatim tristissimo nuntio, de victoria patriæ, quam ego tuus frater partam affero; déque cæsis duobus fratribus, scelesta neque publico frueris gaudio, neque luctu moueris domestico. sed cõtemptis germanis sponsi deploras obitum. neque in malam rem te abdis, sed facis id inspectante populo: mihíque virtutem & coronas obiicis virgo non virgo, iniqua fratribus & indigna nostris maioribus. quando igitur consobrinos lugere mauis quàm fratres, & corpore inter viuos oberrans animum habes apud mortuum, abi hinc ad illum quem inuocas, & tam patri quàm

germanis dedecori esse desine. His dictis indignationis modum supergressus, vt erat ira concitus ensem per latus eius adigit: atque ita sorore interempta pergit ad patrem. adeo autem seueri ac rigidi tum erant Romanorum mores animique, & si quis ad nostram hanc vitam nostráque facta conferat, duri ac crudeles, & ad ferinam quandam immanitatem accedentes propius, vt pater audito tam graui facinore, non solùm non iniquo animo id tulerit, verum etiam recte & conuenienter factum pronuntiauerit: quippe qui nec domum filiæ cadauer referri, nec maiorum monumentis inferri permisit, nec funebri ornatu exequiisue dignatus est solennibus: sed proiectam vbi confossa est prætereuntes lapidibus glebísque obruerunt destitutam cura domestica, quæ quidem insignē eius viri duritiam indicant atque etiam magis id quod iam dicturus sum ea ipsa die quasi ob rem feliciter gestam mactauit diis patriis quas vouerat victimas, epulumq́ cognatis vt in maximo festo exhibuit splendidum, minore ratione habita propriæ calamitatis quàm felicitatis publicæ. id quod non solus Horatius, sed & alij multi viri illustres fecisse dicuntur postea, videlicet recens tum orbati liberis sacrificasse coronati atq; triumphasse, quoties ipsorum opera felicitas quæpiam contigisset reipublicæ: de quibus suo dicetur tempore. Cæterùm post trigeminorum pugnā Romani qui in castris aderāt magnificè sepultis suis quo quisq; loco ceciderat, cæsisq; victimis epulabantur genialiter. Albani cōtrà hac clade mœsti, & incusantes imperatoris sui consilium plerique noluerunt corpora curare eo vespere. Postera die Romanus rex vocatos eos in concionem solatus est: nihil se illis molestum aut præter iura cognationis imperaturum, sed pariter consultu-

rum vtriúsque ciuitatis modis: Sufetium quoque se in eodem magistratu relinquere, nec quidquam mutare in præsenti statu Reipublicæ: atque ita dimissa concione reduxit domum copias. cumq́ ex Senatusconsulto triumphasset. iamq́ ad ciuiles caussas cognoscendas se vertisset, quidam non mediocris autoritatis viri cœperunt reum agere Horatium paricidij cædisq́ domesticæ: hi longa oratione proferebant leges quæ nemini quenquam indemnatum occidere permittunt: recensebantq́ exempla deorum iræ in ciuitates quæ inulta siuissent scelera. Pater contrà patrocinabatur filio, accusans filiam, negans eam dicendam cædem, sed pœnam verius: postulabatq́ ad se deferri domesticum iudicium, qui tum cæsam tum occisorem genuerit. cumq́ multa pro reo, multa contrà dicta fuissent, hærebat rex incertus quonam modo finienda esset ea lis. neque enim confessum indemnatæ sororis paricidam contra leges absoluere sibi licere putabat, ne diras sceleris vltrices à facinoris patratore in propriam familiam auerteret. neque vt homicidam necandum censebat. qui pro patria vitæ periculum adierit, eiq́ tantam accessionem imperij pepererit, præsertim patre ipsum absoluente, quem potissimum vltorem filiæ ius & natura fecerat. tandem post longam deliberationem visum est factu optimum eam cognitionem referre ad populum. Populus autem Romanus tum primum capitalis causæ iudicium adeptus, comprobauit patris sententiam, iuuenemq́ absoluit à cædis crimine. Rex tamen non contentus hominum calculis, & de religione solicitus, accitis pontificibus iussit placari deos atque genios, & à cæde iuuenem expiari legitimè. Illi positis duabus aris, altera Iunoni ad quam sorores curare attinet, altera

tera Iano patrio numini, cuius nomen consobrini à iuuene perempti retulerant, sacrisq́ quibusdam super eas factis, inter cetera piamina quibus tum vsi sunt, postremo sub iugum miserunt Horatium. Est autem Romanis mos quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, bisq́ tertium transuersum superimponere, & sub eo captiuos transmittere, moxq́ dimittere liberos. Hoc ipsi iugum vocant: quod tum expiatores inter piamina postremum adhibuerunt iuueni. locum verò vbi id factum est, omnes Romani sacrum existimant. est autem in angiporto qui à Carinis ducit ad vicum Cyprium, vbi & aræ manent tunc pòsita, & lignum super eas transuersum infixum duobus inter se aduersis parietibus. quod capiti exeuntium imminet, vocaturq́ à Romanis Tigillum sororium. eo loco huius casus monumentum asseruatum populus Romanus annuis honorat sacrificiis. extat & alterum virtutis quam in pugna declarauit testimonium, angularis columella à qua altera fori basilica incipit, cui affixa fuerant trigeminorum spolia, sed illa vetustate consumpta sunt, columella tamen priscam appellationem retinens pila vocatur Horatia. quin & lex tum primum lata durat hodieq́ ad perpetuam illorum iuuenum gloriam, iubens vt quoties nascantur trigemini, alimenta ex publico vsq́ pubertatem accipiant. Tam varia tamq́ mirifica fuit fortuna Horatiæ familiæ. At Romanus rex per integrum annum apparatu facto bellum Fidenatibus inferre statuit: quòd citati ad dicendam causam de insidiis quas Romanis simul & Albanis struxerant, comparere noluerint, sed sumptis mox armis, portisq́ clausis, & ascitis Veientium auxiliis apertè defecerint. Legatis quoque

Romanorum causam defectionis sciscitantibus responderant, nihil sibi esse cum Romanis negotij iam inde ex quo Romulus fato functus est, cum quo sibi fœdus & amicitia intercesserat. ea de causa rex & suas armabat copias, & auxiliares corrogabat à sociis: inter quas plures cateris & fortiores ab Alba ducebat Sufetius. Hunc Tullus vt fidum & promptum ad res gerendas socium laudauit, omniumq; consiliorum fecit conscium. Ille vero cum male apud suos ciues audiret quasi proximum bellum non bene administrans prodidisset Rempublicam, iamq; tertium annum Tullo ita volente retineret dictaturam, pertæsus precariam potestatem, & præesse quàm subesse malens, rem commentus est nefariam. Legatis enim clàm missis ad Romanorum hostes, dubitantes adhuc ad defectionem impulit, pollicitus se quoque inuasurum illos in medio prælio: easq; machinationes tam occultas habuit, vt deprehenderetur à nemine. Tullus interim suis simul & auxiliaribus copijs instructus contra hostem profectus est: hisq; vltra Anienem traductis, castra non longe a Fidenis posuit: cumq; inuenisset validum Fidenatium & sociorum exercitum instructum ante mœnia, ea die nihil molitus est. Postera verò Sufetio cum cateris primarijs amicis accito, considerabat cum illis quid opus facto sit: & omnibus censentibus non differendum prælium, cum in sequentem diem paratos esse iussisset, datis cuique mandatis dimisit concilium. At Sufetius qui amicis etiam multis proditionem nondum aperuerat, Albanorum præcipuum quenque tribunum centurionémve conuocatos sic alloquitur. Est viri quod de rebus magnis & insperatis vobiscum consilium meum communicem, quas hactenus occultas habui: eas oro silentio tegite, si me vultis incolumem.

stamem. quæ si vobis quoque videbuntur vtiles, cœptis meis adiutores non deeritis. temporis angustiæ non sinunt me multa verba facere, ideo rem in pauca duntaxat necessaria conferam. Ego toto illo tempore, ex quo sub Romanorum imperium venimus, turpem & tristem vitam exegi, tametsi ab eorum rege honoratus dictaturam tertium iam annum teneo, tenebóque perpetuo si voluero. Sed quia summam infelicitatem duco solus esse felix in calamitate publica, reputans mecum illos nobis contra omne ius ac fas ademisse imperium, cœpi cogitare quomodo id sine graui periculo possemus recipere: multáque in animo versanti nulla ratio visa est vel tutior vel expeditior, quàm si aliquod bellum exoriretur finitimum. tunc enim illis opus fore sociorum & nostra in primis opera. qua occasione facilè vos ipsos intellecturos, tum honestius esse tum iustius pro libertate propria certare quàm pro Romanorum imperio. quapropter effeci clancularijs artibus vt ipsorum subditi Veientes & Fidenates arma sumerent, belli socium illis me fore pollicitus. Et huc vsque conatus mei latuerunt Romanos, dum opportunitas tẽporis quæritur ad insidias: quare considerate quam non negligenda se nunc offerat. primum non apertè agitur defectio, anceps alioqui habitura periculum: ne vel nimia festinatione imparati domesticísque tantum freti viribus de summa rei iaceremus aleam: vel inter apparandum auxiliáque solicitanda præoccuparemur à paratis iam antea. nunc vtramque commoditatem habemus nullo periculo. deinde aduersarios bello fortunatos, & penè inuictos si viribus contendendum sit, nunc non vi superabimus, sed dolo & artibus multo efficacioribus: nec id primi faciemus aut soli. ad hæc propria potentia nostra

impares Romanorum atque sociorum copiis, aucti sumus Fidenatium atque Veientium quantas videtis viribus: quibus vt possimus tuto fidere iam ante à me promissum est. non enim in nostro agro, sed pro suo Fidenates pugnaturi sunt: interim defendetur noster quoque. Et quod iucundissimum est, sed rara in omni æuo felicitatis, beneficium accipiendo conferre in illos videbimur: & si nobis, sicut fore credimus, successerit, Fidenatium atque Veientium ope liberati graui dominio, ac si ipsos liberassemus gratos & deuinctos habebimus. Hæc sunt quæ mea cura prouisa satis digna mihi videntur quæ defectionem vestram accelerent: nunc audite quomodo negotium id aggredi cogito. Locum in acie Tullus mihi ad radicem montis, & alterum cornu tuendum attribuit. eum locum ego instante conflictu paulatim deserens subducam me in montem vosq; seruatis ordinibus me sequemini. cumq; in summum euasero, iam tutus audite quid deinceps facturus sum. Siquidem videro mihi ex sententia rem succedere, & hostes audaciores fretos nostris pollicitis, Romanos contra pauere quasi à nobis proditos, atque vt speramus de fuga magis quàm pugna cogitare, aggressus eos replebo campum cadaueribus, vtpote ex superiore loco in eos delatus per procliuia, & turbatos integris atque instructis inuadens copiis: plurimum autem in bello valet vel vana proditionis aut nouorum hostium aduentus opinio, multiq; iam exercitus nulla alia de causa magis quàm inani metu internecione deleti sunt. Hic verò non terriculamentum erit, sed horrendum tam specie quàm re periculum. Sin autem contra quàm cogito ceciderit: dicam enim id quoque quandoquidem hominibus multa sæpe præter opinionem eueniunt: tum etiam

ipse

ipse mutabo propositum. ducam enim & vos contra hostes, Romanis futurus victoriæ socius: simulaboq; me ideo superiora loca occupasse, vt circumuentos à tergo caderem. quod eo facilius credetur, quia verbis facta congruent. ita fiet vt cladis neutris, felicis verò euentus vtrislibet simus participes. Equidem hæc vt decreui, ita diis fauentibus conficiam. vestrum est ante omnia seruare silentium, deinde compositis rebus omnibus mandata celeriter exequi, & tum vosmetipsos fortes viros præstare, tum aliorum animos ad idem accendere, cogitando quòd aliter nos pro libertate certare decet quàm cæteros homines iam assuetos seruitio, quandoquidem talem Rempublicam à maioribus accepimus. Nati enim sumus liberi ex liberis, & patres tradiderunt nobis imperium in finitimos, quod quingentorum annorum tempore constabilitum posteris etiam nostris relinquendum est. Nec quenquam vestrum ab hoc consilio deterreat religio iurisiurandi & fœderum, sed cogitet fœdus iam antè per Romanos violatum nunc in integrum restitui: idq; non exigui momenti, sed sacrosanctum natura iure omniumq; tam Græcarum quàm Barbararum gentium, quod iubet patres natis imperare ac iura reddere, itidemq; conditores suis coloniis. Hoc fœdus nunquam è rerum humanarum natura tollendum non nos violamus cupientes id manere perpetuo. neque vt impii timemus indignationem numinum, quòd seruire nostræ stirpi non ferimus: sed illis ira deûm imminet, qui ausu nefario coegerunt diuinas leges humanis cedere: & illis aduersaturos par est credere, nō nobis: humano quoq; iudicio ipsis culpa non nobis imputabitur. Si igitur hæc vobis probantur omnibus, faciamus ita inuocato fauore deorum simul & dæmonum, quod si vestrum

strum

strum aliquis dissentit, & aut nunquam nostræ ciuitati aspirandum censet ad dignitatem pristinam. aut differendum id in tempus opportunius, eum sententiam suam in medium proferre ne pigeat. Sequemur enim consilium quod vobis vniuersis videbitur optimum. toto deinde cœtu laudante viri sententiam, singulos operam pollicentes, iureiurando prius obstrictos dimisit. Postera die Fidenatium atque sociorum exercitus sub ortum solis extra vallum progressus est in aciem: Romanis quoque instructis ex aduerso prodeuntibus. Sinistrum cornu Tullus cum Romanis tenebat Veientibus oppositus, qui erant in dextro hostium. in Romanorum dextro Metius Sufetius Albanis suis præerat, ex aduerso habens Fidenates hærentes montis lateri. iámque sibi inuicem propinquantibus, priusquam intra teli iactum veniretur, Albani à reliquo exercitu diuisi montem petebant integris ordinibus. quo viso Fidenates confirmati in opinione proditionis ab Albano promissæ, in Romanos inuehuntur acrius. ita dextrum Romanorum latus discessu sociorũ nudatum turbabatur & laborabat grauiter. interim sinistrum egregiè pugnabat, præcipuè Tullus cum selectis equitum. Et ecce tibi eques præcipiti cursu aduectus, Laborat, inquit, dextrum nostrum cornu Tulle. Albani deserta acie festinant ad loca edita. Fidenates illis prius oppositi, nudatos eorum discessu iamiam circumuenturi sunt. Ad hunc nuntium, conspectumq; Albanorum in montem properantium Romanos quasi circumueniendos ab hostibus timor occupat. vt neque pugnare, neque loco valerent consistere. Ibi prudens consilium Tullo in mentem venisse dicitur, qui nil turbatus inopinato periculo, non solum seruauit ex præsenti pernicie Romanum exercitũ, verumetiam

hostium

hostium res subuertit & redegit in nihilum. audito enim nuntio vocem attollens vt exaudiretur & ab hostibus, exclamat: Vicimus milites. Albani meo iussu proximum montem occuparunt vt cernitis, inde impetum facturi in terga hostium. nacti igitur oportuno loco inimicissimos homines, à fronte pariter & à tergo telis vestris expositos, vt nec progredi nec retro ferre pedem valeant, à lateribus quoque hinc monte clausos inde flumine, inuadite illos intrepidè. has voces omnib. ingerebat obequitans ordines: statimque Fidenates metus subiit in se vertentis proditionis, quasi stratagemate deceptos à Sufetio, quando nec pro se stantem videbant, nec Romanos inuadentem vt pollicitus fuerat. Romani contrà iam audaciores sublato clamore conferti hostem impetunt. Sequitur fuga Fidenatium nullo ordine vrbem suam petentium. Rex immisso in turbatos equitatu aliquandiu persecutus pauidos, vbi vidit sic dissipatos vt non possent instaurare ordines, omissis fugientibus reliquam hostium partem etiam tũ resistentem adoritur. acriter enim pugnabãt pedites, acrius etiã equites. tuebãtur enim suũ locum Veientes nihil Romano equitatu territi, diuque nolebant cedere. Tãdem cognito profligatos esse in sinistro suo cornu socios, & Fidenates effuse fugere, veriti ne circunuenirentur conuersis in se qui illos profligauerunt, terga dederũt soluta acie, conati per flumen euadere. horum qui corporibus & viribus integris natare valebant, armorum iactura salutem redimebant committentes se fluuio. reliqui vulneribus prægrauati rapiebãtur gurgitibus. concitatus enim & verticosus circa Fidenas fluit Tiberis. Cæterũ Tullus immissa parte equitũ qui trucidarent compulsos ad fluuium, ipse ad oppugnanda Veientium castra profectus cepit ea primo impetu.

atque

atque ita Romanis insperata salus contigit. Tum demum Albanus conspicatus egregiam Tulli victoriam, suis in campum deductis fugientes Fidenates persecutus est, vt Romanis videretur socialem præstare operam: multosq; oppreßit dispersos in fuga. Tullus autem offensus intellecta eius proditione non simplici, tamen ad tempus dißimulandum ratus donec hominem in suam potestatem redegisset, palàm approbauit secessum illum ad loca edita vt vehementer vtilem: & attributa ei parte equitum iußit supremam victoriæ manum imponere intercipiendis cædendisq; Fidenatibus quo minus possent intra mœnia refugere. Lætus ille assecutum se alterum eorum quæ sperauerat, nimirum quòd Tullum fefellisset, diu per campos obequitans interficiebat quotquot venirent in manus: occidente demum sole à persecutione reuertens in castra Romana reduxit equites, & ibi cum cæteris noctem eam exegit in hilaritatibus quæ celebrari solent ob victoriam. Tullus intra Veientium vallum mansit vsque ad primam vigiliam: habitaq; inquisitione in captiuorum nobilißimos de defectionis autoribus, vt inter coniuratos nominari audiuit & Albanum Metium Suffetium, cùm videretur factum eius non discrepare à captiuorum indicio, conscenso equo assumptisq; amicorum fidißimis in vrbem properat: & ante mediam noctem euocatis domo senatoribus proditionem Albanorum denarrat captiuis attestantibus: vtq; ipse stratagemate Fidenates cæterosq; hostes eluserit: postremo referebat ad eos quid bello feliciter finito faciẽdum censerent, quóve modo sumendum de proditoribus supplicium, & Albanorum ciuitas modestior reddenda in posterum. Omnibus visum est æquißimum in autores tam impij facinoris animaduertere: sed quomodo id

facile

facilè ac tutò fieri posset aliquādia dubitatum est. occultè præcipuos Albanorum tollere videbatur impossibile. quòd si palàm sontes ad pœnam conarentur corripere, non passuros id Albanos, sed rebellaturos potius. neque placebat eodem tempore cum Fidenatibus Hetruscisque & Albanis eorum fautoribus bellum gerere. tandem reliquis nihil explicantibus in Tulli sententiam itum est ab omnibus, quam referemus paulò pòst. ac mox admisso equo quadraginta stadia emensus ad Fidenas in castra revertitur: ibi accitum M. Horatium unum è trigeminis superstitem cum equitum peditúmque lectißimis mittit Albam, iussum quàm primùm amicè receptus esset intra mœnia, civibus in potestatem redactis solo æquare omnia tam privata quàm publica ædificia fanis exceptis, abstinere autem à cæde omníque iniuria hominum, & res suas cuique sinere. quo dimisso tribunos ac centuriones convocat: expositóque senatusconsulto, eorum se stipat satellitio. Paulopost adfuit Albanus gratulaturus illi victoriam. Tullus nondum secreta mentis proferens laudabat eum, donis amplißimis dignum pronuntians: rogabátque daret sibi Albanorum scripta nomina, quorum eo prælio eminentior extitisset opera, vt & ipsi pro parte sua meritum victoriæ fructum perciperent. ille libens amicorum fidißimos & totius secreti conscios atque socies in tabella notatos obtulit. tum rex edixit omnes milites in concionem venire armis positis. quo facto, ducem Albanum cum tribunis & centurionibus proximè tribunal iußit consistere, post hos Albanorum & cæterórum sociorum vulgus, in extimo circulo Romanos statuit, quorum fortißimus quisque sub amictu tegebat brevem gladiū. cúmque iam inimicos haberet obnoxios, assurgens sic

o exorsus

exorsus est. Gratia diis milites, vósque amici, & socij, quòd de Fidenatibus eorúmque auxiliis aperto bello nos infestantibus pœnas sumpsimus: & aut desinent molesti esse in posterum, aut plectentur etiam grauius. nunc tempus postulat, vt quãdo primus conatus cessit prosperè, alios hostes pergamus persequi tectos amicorum nomine: qui hec bello contra communes inimicos pro societate à nobis assumpti in militiam, fracta fide, & occulto cum hostibus inito fœdere, moliti sunt nobis omnibus perniciem. multo enim hi peiores sunt apertis hostibus, & grauiore digni supplicio. nam illorum & insidias cauere est facile, & congressos repellere hostiliter. amicorum verò facta hostilia nec cauere facile, nec astu præuentis repellere. Hi sunt ab Albanis ad nos malo dolo missi socij, nulla à nobis accepta iniuria, imò multis magnísque beneficiis. coloni enim eorum nihil detraximus ipsorum dominio, sed nostro marte propriam nobis parauimus potentiam. deinde contra magnas ac bellicosas gentes vrbe nostra munita & opposita, tutos eos ab Hetruscis & Sabinis bellis reddidimus: cuius felicitate maximè gaudere debuerant, & periculo angi non minus quàm proprio et illi semper inuidentes bonam fortunam non solis nobis, sed sibiipsis etiam, vt qui eius erant participes, postremo non valentes occultum liuoris pus premere, bellum nobis indixerunt. cognito autem satis nos ad id esse paratos, cum non possent nocere, inuitarunt ad reconciliationem & amicitiam, censentes de principatu decernendum ternorum vtrinque virorum periculo. accepimus conditionem, & victores ea pugna potiti sumus ei usciuitatis dominio. agedum quid fecimus postea? cũ liceret nobis obsides accipere, præsidium in dedita vrbe relinquere, præcipuos con-

cordia

cordiæ duarum ciuitatum turbatores partim securi percutere, partim domo pellere, ciuitatem ipsam mutato Reipublicæ statu vel agris mulctare vel pecuniis, & quod omnium erat facilimum arma adimere, quo firmiorem dominationem haberemus: horum nihil facere sustinuimus, maiore pietatis quàm securi principatus ratione habita: sed Metio Sufetio, quem ipsi vt Albanorum præstantissimum magistratu honorarunt maximo, administrationẽ Reipublicæ vsque hanc diem permisimus. pro quibus beneficiis audite quam nobis, cum maximè opus esset sociorum & amicorum beneuolentia, retulerint gratiam. pacti cum communibus hostibus, eodem quo illi tempore in prælio nos aggredi, cum vtrinque mouerentur acies, deserto loco quem tuendum acceperant, proripuerunt se ad montes proximos, occupaturi loca tutissima. quòd si tum eis successisset ex sententia, nihil vetabat omnes nostras copias deleri circumuentas hinc ab amicis, inde ab hostibus: & tam multos labores quos pro Republ. & principatu exantlauimus, perire die vnico. Sed quoniam illorum conatus frustra fuit, primum diis fauentibus, ad quos autores ego omnia præclarè facta refero: partim etiam meis artibus, quæ non parum fecerunt ad pauorem hostium & nostrorum audaciam: (nam quod in ipso discrimine dixi, iussos à me Albanos occupare montes quo facilius hostem circumueniant, id ex tempore cõfictum est:) nobis contrà pro voto successerunt omnia. non essemus viri quales nos esse conuenit, si non sumeremus pœnas de proditoribus: qui præter non violandam cognationis necessitudinem recenti etiam nobis deuincti iureiurando & fœdere, neque deos timentes quos pactorum testes fecerant, neque iura & hominum existimationem reueriti, neque peri-

culum curantes, quod instabat si detegeretur proditio, miseris modis perdere conati sunt nos colonos & benefactores suos infensissimis hostibus proditos. Hæc illo dicente Albani cum gemitu ad deprecationes versi sunt, vulgo negante se Metij machinationum conscium, præfectis non antè se cognouisse occulta eius consilia fingentibus quàm ipso prælij tempore, cum neque vetare neque imperata facere sibi esset integrum. nec defuere qui propter affinitatem cognationémve coactos se fuisse dicerent. his rex silere iussis, Neque me, inquit, ista latent Albani. vulgo incognitam fuisse proditionem vel hinc coniicio, quia quæ multi sciunt non diuturno teguntur silentio. tribunorum quoque & centurionum perpaucos opinor fuisse insidiarum socios, plerisque deceptis & inuitis necessitatem hanc impositam. imò etiamsi fallerer, conspiratúmque esset tã à præsentibus quàm à relictis Albæ in nostram perniciem, ídque nõ nunc primum sed iamdudum decretum fuisset: tamen cognationis causa necesse est Romanos vobis dare veniam. Ne autem in posterum quicquam contra nos iniustè moliamini, siue compulsi à vestris magistratibus siue decepti, vnica est cautio & prouisio. si vnius vrbis ciues facti vniuersi eandem habeamus patriam, cuius tum aduersæ tum prosperæ fortunæ pro sua quisque portione sit particeps. donec autem per contentionem, vt nunc, vtrique potiores haberi voluerimus, non erit firma inter nos amicitia: præsertim si illos qui priores alteris insidiati fuerint, vel re bene gesta principatus, vel spe frustratos venia propter cognationem maneat. rursum eorum quibus insidiæ structæ sint ea sit conditio, vt aut oppressi in durissimã seruitutem redigantur: aut si euaserint obliuiscantur iniuriæ, quemadmodum nũc nos facimus. quare scire

quos velim, proxima nocte senatum me præsidente decreuisse, vrbem vestram dirui, nec vllum, exceptis fanis, relinqui vel priuatum vel publicum ædificium. ciues verò vniuersos saluis bonis suis, mancipiis, pecudibus, aliísque possessionibus Romæ posthac habere domicilium. & qui eorum prædiis rusticis careant, his agros ex publico diuidi, duntaxat his agris exceptis, ex quorum reditibus fiunt sacrificia publica. domus autem qua parte vrbis ædificentur ad habitationem commigrantium, meæ curæ commisit, egenósque adiuuari à me sumptibus ad absoluenda opera voluit. plebem muniis ciuilibus fungi distributam in tribus nostras & curias. in senatum verò & ad magistratus gerendos admitti familias has: Iulios, Seruilios, Geganios, Metilios, Curiatios, Quintilios, Clœlios: Metium & proditionis socios luere pœnas, quas post cuiusque causam cognitam mihi iudici visum fuerit. nemini enim non permittetur pro se dicendi copia. His dictis quotquot Albanorum erant pauperes, contenti erant Romæ habitare, agriq; portionem accipere, & orationem regis approbabant magnis acclamationibus. aliis dignitate ac fortuna præminentibus molestum erat relicta patria maiorum quoque lares deserere, externúmque solum incolere, nec tamen mutire audebant contra necessitatem vltimam. Tullus postquam intellexit mentem plurium, Metium iussit causam suam, si vellet, agere. qui cum nihil posset respondere ad obiectum crimen & testimonia, ait sibi cum potestate ad bellum profecturo id occultè à senatu Albano mandatum: opem Albanorum inuocans, ne se qui conatus sit ipsis imperium restituere, in periculo destituant, néve patiantur patriam suam dirui, & nobilissimum quenque ci-

nem rapi ad supplicium. itaque tumultu in concione orto, & nonnullis ad arma recurrere volentibus, hi qui vulgum in modum coronæ cinxerant, dato signo gladios exerunt: & perterritis omnibus rursum assurgens Tullus, Nihil est, inquit, quod denuò peccare poßitis Albani. si enim aliquid eorum quæ dixi irritare ausi fueritis omnes ab istis interficiemini. simúlque ostendit strictos gladios. accipite igitur quæ offeruntur, & Romani estote in posterum. alterutrum enim necesse est vos facere, aut Romam habitare, aut nullam aliam habere patriam. iam enim summo manè profectus est M. Horatius, à me missus vt vrbem vestram à fundamentis diruat, & Romam traducat quantum illic est hominum. quod cum iamiam futurum sciatis, desinite in mortem ruere, & imperata facite. Metius verò Sufetius, qui occultè nobis struxit insidias, ac ne nunc quidem turbulentos homines cõcitare ad arma est veritus, supplicium dabit quo dignus est homo malus & perfidus. Ad hæc verba conterrita est concionis pars turbidior, cohibente necessitate inevitabili. Sufetius præ indignatione vociferans, & inclamitans fœdus quod ipse violasse cõuictus fuit, flagris fœdè laceratus est. quibus vbi satis in eum sæuitum est, bigis admotis ad alteras ex brachiis, ad alteras ex pedibus loris longis reuinctus est. deinde aurigis in diuersa eas agentibus, humi raptatus, móxque à nitentibus in contraria discerptus est. Hic fuit Sufetij exitus turpis simul & miserabilis. in socios proditionis & conscios rex pro tribunali causa eorum cognita animaduertit lege de proditoribus & desertoribus. Interea præmissus cum delectis ad diruendam Albam M. Horatius properato itinere portas patentes occupat & incustodita mœnia, faciléque vrbe potitur. ad-

Vocata inde concione quicquid gestum in prælio fuerat denarrat, & S. C. recitat, petentibus illis dilationem vt legatos Romam liceret mittere, sine mora domos & mœnia, & tam priuata quàm publica ædificia diruit: ac mox Romam traducit agentem bona sua ferentémque multitudinem. eam Tullus è castris in vrbem reuersus per tribus & curias distribuit, aßignato ad ædificandum qua parte vrbis vellent spatio: agríque publici quantum sat essent diuisit inter eos qui antè opera mercenaria victitauerant, aliis quoque liberalitatibus nouellos ciues refouens. sic Alba olim ab Ascanio ex Aenea Anchisæ filio & Creusa filia Priami prognato condita, & per quingentos minus tredecim annos habitata, quo tempore multum populi frequentia opibúsque & alia felicitate creuerat, triginta oppidorum Latinorum mater, & gentis eius semper princeps, à nouißima sua colonia solo æquata, hodiéque deserta permanet. Cæterùm Tullus rex intermisso bello per eam hiemem, ineunte vere iterum contra Fidenates ducit exercitum. His auxilia publicè à nulla ciuitate summissa fuerãt, sed mercede conducti quidam ex multis locis eò cõfluxerant, quibus freti vrbem egredi ausi sunt. collatísque signis & multis suorum amißis in prælio, compulsi sunt intra mœnia. Vt verò à Tullo fossa & vallo cincti ad extremam redacti sunt inopiam, necesse habuerunt ei se dedere quibus ipse vellet conditionibus. is ad hunc modum vrbe potitus, affectis supplicio defectionis autoribus, reliquis dedit veniam: & permittens eos bonis suis frui, ne statu quidem Reipublicæ mutato dimisit exercitum: iterúmque triumphans vrbem ingressus votiuas diis mactauit victimas. eo bello confecto aliud à Sabinis exortum est, cuius causa fertur hæc. Fa-

num est quod Sabinis æquè ac Latinis summa religione colitur sacrum deæ Feroniæ, quàm Græci in suam linguam modò ἀνθηφόρον vertunt, modò φιλοστέφανον, modò Proserpinam. eò statis diebus conueniebant è circumuicinis vrbibus, alij votiua deæ reddituri sacrificia, alij negotiaturi propter celebritatem, mercatores opificésque & agricolæ, quòd forum ibi sit totius Italiæ nobilissimum. ad eam celebritatem profectos aliquando Romanos honestos viros Sabini quidam correptos & pecuniis spoliatos in vincula coniecerant: legatísque eò missis nihil æqui impetrari poterat, sed tam viros retinebāt quā pecunias, obiicientes vicißim Romanis, quòd aperto asylo fugitiuos Sabinorum excepissent, sicut superius dictum est. ex his mutuis criminationibus bello nato, eductísque copiis, ad arma ventum est. prælium fuit dubium, donec noctis interuentu diremptum est neutrò inclinante victoria. Sequentibus diebus considerata vtrinque desideratorum & sauciorum multitudine, non libuit armis experiri denuò, sed relictis castris discessum est: nec amplius quicquam eo anno moliti postero bellum instaurauerūt maioribus copiis. pugnatum est ad Heretum centesimoseptimo ab vrbe stadio, multis vtrinque cadentibus. cúmque tum quoq; diu æquo marte certaretur, Tullus protensis ad cœlum manibus votum diis fecit, si eo die Sabinos vinceret, Saturno & Opi solennes se instituturum ferias, quas Romani post comportatas terræ fruges celebrare solent publicè: duplicaturúmque Saliorum numerum. hi sunt genere nobiles, certis temporibus armati saltantes ad tibiæ modulos, & patrios quosdam hymnos cōcinentes, vt iam antè diximus. peracto voto audacia quædam Romanos subiit, & quasi redintegratis viribus in fessos facto impetu, vergente iam die turbauerunt

bauerunt

[gr]auerunt eorum ordines, & coactos terga vertere vsque ad castra persecuti sunt: oppreßisque circa vallum plurimis non contenti hac victoria castra nocte eadem expugnauerunt. quo facto agrum Sabinum nemine defendente depopulati pro libito, onusti præda domum reuersi sunt: tertióque tum à rege triumphatum est. nec ita multò pòst Sabinis per legatos petentibus pax data, receptis transfugis & captiuis qui inter prædãdum intercepti fuerant, & pro abactis iumentis ac pecoribus aliaque præda quam agrestibus ademerant, mulcta pecuniaria ex senatus arbitrio imposita. has conditiones pacis Sabini in templorum columnas inciderunt, eo facilius impetrata, quòd Romanis graue ac diuturnũ bellum instare videretur à coniuratis ciuitatibus Latini nominis, ex causis quæ dicentur paulò post. sed quàm libenter conditiones accepèrunt, tam facilè iureiurandi obliti sunt, quasi ne iurassent quidem: ratíque se nactos opportunitatem pecuniæ, quam persoluerant, recipiendæ multò cum fœnore, pauci primum & clàm prædatum ibant vltra ditionis suæ terminos: deinde successu addente audaciam multi & propalam: cúmque viderent ad arcendas iniurias agrestibus succurrere neminem, contempto hoste decreuerunt ipsam Romam petere, contractis oppidatim copiis, atque etiam Latinis ad eius belli societatem sed frustra solicitatis. nam Tullus eorum voluntate cognita, cùm Latinis fecit inducias: & imminenti hosti decreuit totas vires opponere, acceßione Albanorum iam duplicatas, corrogatis etiam vndecunque poterat sociorum auxiliis. Iam & Sabini in vnum conuenerant: ambo exercitus ad Syluam Malitiosam castra metati sunt, modico inter vtraque relicto spatio. postera die collatis signis pu-

gnatum est diu neutrò inclinante victoria. sub vesperam tandem cesserunt Sabini equitatui Romano impares: magnáque fugientium strages est edita. Romani spoliatis cadaueribus, direptis castris agri quoque partem optimam depopulati domum reuerterunt. hoc euentu regnante Tullo cum Sabinis bellatum est. Tum primum inter Latinos & Romanos simultas exorta fuit, quòd hi post dirutam Albam detrectarēt Romanorum imperium. anno enim post illius excidium quintodecimo rex Romanus dimissis per triginta eius colonias legatis postulabat vt imperata facerent: quòd ad victores cum aliis Albanorum rebus transisset etiam Latinæ gentis imperium. Homines enim aut sponte aut coactos solere alteri possessionem cuiuscunque rei cedere: Vtroque modo Romanis Albanorum obtigisse imperium. nàm & belli tempore armis deuictos esse, & post amissam vrbem suam à Romanis in ciuitatē admissos. itaque par esse vt vel sponte vel inuiti cedant illis imperium. Legatis à nulla ciuitate priuatim responsum est, sed indicto Ferentinum gentis concilio, decernunt imperium Romanis non concedere: moxq́; duos imperatores eligunt, penes quos sit belli pacisue arbitrium, Anciū Publicium Coranum, & Sp. Veciliū Lauiniensem. Hæc causa Romanos exciuit ad bellum contra cognatos populos, quòd per integros quinque annos gestum est more quodam antiquo & ciuiliter. nam neque vsquam totis exercitibus confligentibus magna clades secuta est: neque vlla captarum vrbiū direpta est aut diruta, aliáue vlla grauiore calamitate affecta: sed alteri alterorum agros inuadentes maturis frugibus, cum præda domum reducebant exercitus, & captiuorum fiebat permutatio. Vnum Latini nominis oppidum Medulliam, quò

Quam dudum regnante Romulo coloniam à Romanis deductam suprà diximus, expugnatum quia defecerat ad suos, rex à nouandis in posterum rebus absterruit. aliud hostile vtrinque nihil accidit toto eius belli tempore: quo facilius ad pacem inclinauerunt non admodum exasperati animi. Hæc sunt quæ gessit regno potitus Tullus Hostilius, vir eximiam laudem meritus militari fortitudine promptóque in periculis consilio, maiorem etiam quòd neque temere bellum susciperet, & semel susceptum fortiter ac constanter pertenderet ad victoriam. Periit autem incendio triginta duobus annis in regno exactis, absumptus flammis vnà cum vxore & vniuerso famulitio. Quidam aiunt domum eius de cœlo tactam conflagrasse, irato deo propter curam sacrorum neglectam. Defecisse enim eo regnãte patria quædam sacrificia, & pro his alia peregrina introducta. plures humana fraude extinctum existimant, & facinus hoc ad Marcium, qui mox successit, autorem referunt. Hunc Numæ Pompilij nepotem ex filia tulisse iniquo animo priuatam vitam in regio genere, maximè cum videret prolem subnatam Tullo successuram in regnum siquid ipsi accidisset humanitus. hac de causa iam dudum ei decretũ regem per insidias tollere, quòd multi Romanorum conarentur illi regnũ adstruere, & ipse inter intimos ac fidissimos amicos Tulli ascitus haberet eum insidiis obnoxium. itaque regem parantem domesticum quoddam sacrificium adhibuisse solos familiarissimos: cúmq; in eũ diem incidisset tempestas procellosa & turbida eximente lucem vi imbrium, nemine ante regiam obuersante insidiatorem nactum solitudinis opportunitatem insinuasse se per patentem ianuam cum sociis gladios sub amictu gestantibus: occisóque rege

cum

cum liberis aliisque quotquot aderant, ignem aliquot locis subiecisse ædibus, atque hoc facto sparsisse rumorem de fulmine: quod equidem non credo, nec fit mihi verisimile. malim priorē opinionem sequi, sublatum esse casu fortuito. neque enim secretum in numerosa conspiratione seruatum fuisse est credibile; neque autori eius certò constare poterat defuncto Tullo Hostilio Romanos ad se delaturos vrbis imperium: & si fortè fretus hîc fuisset hominum iudiciis, certè deorum sperandum non erat suffragium. siquidem post Curiata comitia oportebat deos quoque auspiciis ei regnum addicere. hominem autem sceleratum & tot iniustis contaminatum cædibus quis deorum dæmonúmve admisisset ad suas aras immolandásque victimas & cætera sacra ministeria? quamobrem ego hoc deorum indignationi libentiùs quàm hominū insidiis ascripsero, suum tamen cuique relinquens iudicium. Post Tulli Hostilij obitum re ad interregnum reuoluta more patrio, electus est rex ab interrege & senatu Ancus Marcius: qui mox plebis etiam autoritate comprobatus & deorum voluntate per auspicia cognita, omnibus ritè peractis quæ ad ineundum principatum pertinent, regnum assumpsit annō secundo trigesimæquintæ Olympiadis, qua vicit Spharus Lacedæmonius, quo tempore Athenis annuum principatum gerebat Damasias. Hic rex cum animaduertisset negligi multa sacrificia ex his quæ auus suus maternus Numa Pompilius instituisset, Romanorum plerósque iniqui lucri cupidine bellatores factos pro terræ cultoribus, aduocato in concionem populo, ad intermissum deorum cultum eos reuocabat, pergerent sicut sub Numa cœperant: docens à contemptis numinibus morbos, pestilentias, aliásque calamitates innumeras vrbi

ras urbi immissas, quibus magna populi pars absumpta sit, & ipse Hostilius ob neglectas religiones diu multúmque cum variis morbis conflictatus, postremo ne mente quidem satis sanus, sed utraque sui parte laborans, miserabili exitio cum tota familia perierit. laudatis deinde Numæ institutis ut honestis & sobriis, quibus ex iustissimo quæstu victus pararetur quotidie, hortabatur reuerterentur ad ea, studeréntque agriculturæ ac pecuariæ, cæterisque iustis operibus alienis à rapina & violentia, posthabitis militiæ commodis. Hæc & his similia concionando magnam omnibus iniecit requiei ab armis cupidinem: deinde accitis pontificibus, sumptos ab eis commentarios quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, transcripsit in tabulas, & in foro proposuit legendas quibuslibet, quæ tandem vetustate absumptæ sunt. nondum enim in usu erant columnæ æreæ: sed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quàm sacræ literæ: quæ tabulæ post exactos reges rursum in publicum usum reuocatæ sunt per summum pontificem C. Papirium. ubi sacrorum curæ satis prouisum est, & otiosum vulgus ablegatum ad suas operas, laudabat bonos colonos, obiurgabat male curantes sua prædia, ceu ciues nequaquam stabiles. Ita ordinata Republica, sperans se quemadmodum antè maternus auus perpetuas habiturum à bello & molestiis ferias, fortunā expertus est aduersam suo proposito bellator esse coactus præter animi sententiam, & nunquā sine periculis ac tumultu viuere. Vix enim regnare cœperat & quietam rempublicam instituere, cùm Latini contemnentes eum ut ignauum & administrando bello parum idoneum, latronum manus dimittere per agros conterminos, multósque Romanorum lædere. ad quos legatis à rege missis qui

res

res ex fœdere repeterent, fingebant se neque latrones vllos scire de quibus fierent querimoniæ, neque consensu quicquã factum publico, neque Romanis se vlla in re obnoxios. cum Tullo enim se non cum illis fœdus fecisse: post quem defunctum nullo se amplius teneri pacis fœdere. ob huiusmodi responsionem coactus est Marcius exercitum contra eos ducere: obsessumq; Politorium prius quàm ab aliis Latinorum oppidis auxilia succurrerent, cepit, oppidanis se dedentibus: à quibus omnem iniuriam abstinens populariter Romam traductos distribuit per curias. Oppidum ipsum desertum cum anno sequenti noui Latinorum coloni occupassent, iam ad colendum agrum se accingentibus superuenit cum exercitu Marcius: ausosq; in aciem prodire vicit prælio, iterúmque cepit oppidum. incensis deinde domibus etiã mœnia diruit, ne esset hosti aut agrũ colere volentibus receptaculum. Sequenti anno Latini exercitum admouerunt ad Medulliam Romanam coloniam, quam corona cinctam vndique simul facto impetu expugnauerunt. eodem tempore Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum vi cepit, acie primum, mox oppugnatione victor: oppidanos cum bonis suis integris Romam transtulit, & locum assignauit eorum domiciliis. Medulliam quoque per triennium à Latinis detentam quarto demum anno recepit post aliquot prælia. nec multo post Ficanam expugnauit, ex qua ante triennium dedita populum Romam traduxerat. in ipsum oppidum mitius quàm prudentius consuluerat. integrum enim relictum noui Latinorum coloni occuparunt, & prædiis propriis elocatis, ipsi è Ficanensi agro se alebant. quamobrem Marcius coactus illam bello repetere, magno negotio in potestatem suam redegit, ædes incendit, mœnia diruit. Secuta

sunt

Sunt duo prælia. priore cùm æquo marte diu pugnassent, neutrò inclinante victoria receptui signo dato in castra digressi sunt. posteriore Latinos Romani vicerunt egregiè, & vsque castra sunt persecuti. post has pugnas nusquam acie certatum est: excursiones tantum vltro citróque factæ per agros finitimos, & agrestium velitationes admixtis etiã equitibus, plerunque superante Romano quòd opportunis locis disposita haberet præsidia, quibus Tarquinius genere Hetruscus præerat. Eodem tempore Fidenates à Romanis defecerunt, non apertè, sed agrum eorum infestantes occultis excursionibus. contra quos Marcius cum expeditis profectus, illato bello castra prope vrbem eorum posuit. illi primum nescire se simulantes, querebant ob quam suam iniuriam venisset Romanus exercitus. rege respondente: vt damni dati rapinarúmque pœnas de ipsis sumeret, afferebant pro se, nihil horum factum consilio publico, tempus poscentes ad cognoscendam eam causam & perquirendos noxios. quo impetrato multos dies consumpserunt, non in hoc negotio, sed in armorũ apparatu, & clam inuocandis auxiliis. tum Marcius cognito eorum animo cuniculos fodere à castris vsque ad mœnia hostiũ. quo opere perfecto comparatísque scalis & machinis cum reliquo instrumento ad oppugnationem necessario, excitum militem admouit ad auersam partem mœnium, non qua cuniculus actus fuerat. quò Fidenatibus vniuersis concurrentibus, & assultus hostium strenuè reiicientibus: Romani quibus id commissum fuit, aperto cuniculi ore insinuauerunt se intra mœnia, & obuium quemque sternentes per effractam portam suos intromiserunt: multísque primo impetu cæsis, reliquos Fidenates arma tradere iussos edicto per præconẽ in certum

tum vrbis locum euocauit, & aliquot ex eis defe-ctionis autores virgis cæsos affecit supplicio: di-ptáque vrbe, & relicto in arce quantum satis erat præsidij, contra Sabinos duxit exercitum. nam ne hi quidem stabant fœderis conditionibus icti sub rege Hostilio, sed finitimos vexabant latrociniis. Marcius per speculatores & transfugas temporis opportunitate cognita, palantibus per agros Sabinis & in prædam intentis, ipse cum peditatu castra eorum modico præsidio munita primo impetu occupat: Tarquinius interim cum equitibus, vt erat iussus, prædatores aggreditur. Sabini vt viderunt Romanum equitatum contra se tendere, missa præda & quas agebant ac ferebant sarcinis, in castra cœperunt refugere. quæ vt cognouerunt teneri à peditibus, incerti quò se verterent, contendebant in syluas & montes se recipere. sed persequente eos leui armatura cum equitibus pauci euaserunt incolumes, cæteri passim cæsi sunt. post quam cladem legatione Romam missa pacem impetrauerunt æquis conditionibus. nam Latini belli metu necesse erat vel pacem vel inducias habere cum cæteris aduersariis. Quarto deinde post hoc bellum anno Marcius rex præter vrbanas legiones excito à sociis ingenti auxiliorũ numero Veientes aggressus agrum eorum longe latéque populatus est. ipsi enim superiore anno irruptione in Romanum agrum facta magnas prædas abegerant, multásque cædes perpetrauerant. Veientibus deinde cum valido exercitu profectis obuiam, & trans Tiberim castra prope Fidenas habentibus, Marcius quanta potuit celeritate primum vias eis interclusit quòd esset equitatu superior, deinde in aciem prodire coactos vicit egregiè. ita vt castris etiam eorum potitus sit: per-actóque hoc quoque bello ex animi sententia,

triumphali pompa per urbem ad deorum templa uectus est. Altero deinde post anno Veientibus rursum violantibus inducias, & repetentibus castella quibus fœdere cum Romulo icto excesserant, maiore quàm ante prælio cum eis ad Allas pugnatum est: sed faciliore victoria: castellorum penes regem possessio mansit indubia. in ea pugna Tarquinij præcipua fuit virtus & opera: ob quam honoratus à Marcio senatorum adscriptus est & patritiorum ordini. Nec à Volscis pacata fuerunt omnia, prædonibus etiam inde Romanum agrum infestantibus. Rex hac etiam expeditione suscepta exercitum ex præda ditauit: obsessisque Velitris & vallo circundatis, toto agro potitus urbem ipsam parabat inuadere. Sed cum grandæui oppidanorum supplices progressi pollicerentur se iuxta regis æstimationem illata damna persoluturos, & sontes dedituros ad supplicium, rebus per inducias restitutis, in fœdus eos recepit & amicitiam. Nouum inde bellum exortum est ab his Sabinorum populis, qui nondum Romanorum virtutem experti, quanquam nullis iniuriis lacessiti, non ferentes tamen præ inuidia successus eorum vix credibiles, viri alioqui bellicosi, pauci primùm excursiones faciebant è latronum receptaculis: lucris deinde illecti, fines cum exercitu egressi aperto bello magnam agri partem prædationibus exhaustam deuastauerunt. quod factum non impune fuit, nec omnes abierunt incolumes. occurrens enim Romanus collatis castris pugnandi necessitatem eis expressit: habitóque conflictu valido, & multis vtrinque cadentibus, superiores tamen fuere Romani adiuti locorum peritia: Sabini contrà in sua castra fugientes turbatis ordinibus, tergo hærẽte hoste magna clade affecti sunt. castra quoque capta plena variis, opibus,

& captiui recepti quos prædones interceperant: atque ita victores domum reuerterunt. Hæ sunt regis huius res gestæ, à Romanis scriptoribus memoriæ proditæ: nunc quid in pace domi actum sit referam. primùm urbẽ non mediocriter auxit, Auentinum complexus eisdem mœnibus: hic collis est altus XVIII. fermè stadiorum ambitu, syluis tum obsitus varij generis, præcipuè lauro, vnde Lauretum pars eius dicitur, nunc totus refertus est ædificiis: vbi inter alia pulchra & Dianæ templum visitur. dirimebatur is à reliqua vrbe, Palatinóque colle vbi primi habitatores locauerunt sibi domicilium, profunda quadam & angusta valle, quæ procedente tempore terra aggesta complanata est. Tunc verò Ancus veritus ne fortè ut imminẽs vrbi ob loci opportunitatem occupatus aliquando muniretur ab hostibus, muro eum & fossa circundedit: traductósque è Tellena & Politorio cæterísq; deuictis oppidis habitare iussit in eo. Hoc vnum eius factum ad Rempublicam pertinens narratur egregium & admodum vtile, vrbe aucta, & quasi altera priori addita, & siquando hostis ingrueret, minus expugnabili reddita. Est & alterum priore etiam præstantius, tum ad vitam mitiorem ac lautiorem, tam ad res ampliores gerendas percommodum. cũ enim Tiberis amnis ex Apennino præter ipsam vrbem defluens, & in mare inferum per planum & importuosum littus vicinum se exonerans, non magnopere vrbanis prodesset, quòd nullum haberet circa ostia castrum, quod negotiatorias naues vltro citróque commeantes reciperet, alioqui fontes vsque fluuialibus scaphis mediocribus peruius, vsque ad vrbem verò & magnis marinis onerariis: decreuit nauale ad eius ostia cõdere, pro portu vsus ere ipso fluuij. panditur enim in latum qua mari est cont

est contiguus, & sinus amplos complectitur, non secus ac optimi marinorum portuum. & quod maximè mireris, non clauditur ore obturato arenarum aggeribus, vt multis etiam magnis fluuiis accidit: neque per paludes ac voragines vagabundus absumitur penè prius quàm ad mare perueniat: sed nauibus semper est meabilis, erumpens vnico natiuo alueo, & dorsa sub alto assurgentia diuerberans, quamuis vehemens ibi ventus ab occidente spirare soleat. itaque longæ naues quantumuis magnæ, & ex onerariis vel termillenariæ intrant per eius os, & vrbem vsque pertrahuntur funibus aut remigio: maiores autem ante os in salo firmantur ancoris, exonerantúrque lembis fluuialibus. qua autem flumen inter & mare prominens littus curuatur in cubiti speciem, oppidum Ancus muniit, ex re appellatum Ostiam: quo factũ est vt Roma non tantum mediterranea copia frueretur, verùm maritima quoque bona degustaret, immo transmarina etiam. Muro cinxit & Ianiculum montem in aduersa ripa imminentem Tiberi, collocauítque in eo præsidium, vt ab Hetruscis tutior esset fluminis nauigatio, qui totam eam ripam tenentes infesti erãt negotiatoribus. sublicium quoque pontem merè ligneum, cui compingendo nefas est quicquam ferri ærisue addere, ille imposuisse Tiberi dicitur: qui hodiéque superest, & sacer habetur ab omnibus. quòd si qua pars eius sartienda est, id pontifices curant non sine solenni sacrificio. ad hunc modum gesto principatu rex omni posteritatis memoria dignus, traditurus successori urbẽ non paulo meliorẽ quàm acceperat, post exactũ in regno annum XXIIII, obiit superstitibus duobus filiis, altero infãte, pubescente altero. post cuius mortẽ senatus accepto à populo arbitrio constituendi Rempublicam, præ-

ſenti ſtatu contentus creauit interreges: qui curiatis comitiis regem elegerunt L. Tarquinium. is auſpicatus eſt regnum anno circiter ſecundo quadrageſimæ primæ Olympiadis, qua in ſtadio vicit Thebanus Cleonidas, principatum Athenis obtinente Eniochide. huius Tarquinij parentes, patriam, & quibus de cauſis hac relicta Romam venerit, quibúsve artibus ad regnum peruenerit, dicam ita vt in Romanis annalibus reperi. Demaratus Corinthius ex Bacchiadarum genere negotiationis gratia nauigauit in Italiam, priuato ſumptu inſtructa naue & onerata mercibus. quas cum diſtraxiſſet in Hetruſcis vrbibus totius tunc Italiæ florentiſſimis, noluit poſthac alios portus petere, ſed per eadem ſemper maria vltro citróque commeans Græcanicas merces mutabat Tuſcanicis: vnde magnis opibus auctus eſt. orta deinde ſeditione inter Corinthios, oppreſſis Cypſeli tyrannide Bacchiadis, homo prædiues & alioqui principe familia natus, parum tutum ſe ratus in patria, ſublatis quantum potuit rebus & in naues impoſitis Corintho abiit. cúmque ob commercia continua multos bonos amicos haberet in Hetruria, præſertim Tarquiniis in vrbe olim florentiſſima, domicilium in ea ſibi elegit, ducta vxore nobili: ex qua duobus ſuſceptis filiis Hetruſca nomina indidit, alteri Aruntis, Lucumonis alteri. vtrunque liberaliter inſtituit Græcis atque Hetruſcis literis, & poſtquam virilem ætatem attigerunt, vxores eis ſummo loco natas coniunxit. nec ita multo poſt alter filiorum natu maior moritur, nullis quod tum ſciretur relictis liberis, & paulò pòſt hunc ſequitur Demaratus præ luctu mortuus, ex aſſe hærede Lucumone relicto: qui tam luculentum patrimonium adeptus cogitabat inter præcipuos ciues tractare Remp. & cum vndique

que

que protrusus ne inter mediocres quidem locum obtinere posset, nedum inter primarios, molestè ferebat eam contumeliam. auditóque quòd Roma omnes exteros libenter exceptos ciuitate donaret ac honoribus pro cuiusque merito, migrare illò decreuit cum re familiari, uxore, & quotquot sequi vellent amicis atque domesticis, quorum magnus fuit numerus. vt verò ad Ianiculum peruenere, quo loco venientibus ab Hetruria vrbs in prospectu est, aquila repente demissa pileum ei abstulit: supérque carpentum circumuolitans adeò sublimis vt penè visum effugeret, rursus capiti aptè reposuit. ibi omnibus prodigij miraculo stupentibus, uxor ipsius Tanaquil, à maioribus Hetruscam auspiciorum disciplinam docta mulier, seorsum abductum virum cõplexa bene sperare iussit, euasurum à priuata fortuna ad potestatem regiam. monuit tamen, daret operam vt volentibus Romanis principatum assumeret, dignúmque se præberet honore tam eximio. Ille cælesti prodigio lætus, iámque portæ propinquus, vocatis in vota diis precatus est ratum auspicium facerent, aduentúmque suum fortunarent: atque ita vrbem inuectus est. post hæc admissus ad Marcij regis colloquium, primùm quis esset indicauit: deinde habitatum in vrbem se venisse cum toto patrimonio, quod vt maius quàm pro priuati hominis facultatibus, libenter se depositurũ in vsum regis & Reipublicæ. Gratus fuit regi eius aduentus: receptóque cum Tuscorũ comitatu in tribum & curiam in vrbe tantũ loci assignauit quantum sat esset exstruendis ædibus, simúlque agri certum modum attribuit. his ita dispositis iam ciuis factus, quia sciebat Romanorum cuique præter gentilitiũ nomen esse aliud frequentatum in familia, pro Lucumone appellari Lucius voluit, & gentili nomine

Tarquinius, vt in hoc quoque cæteris fieret similis, Regis etiam amicitiam breui sibi parauit opportuna munificentia, & in belli sumptus pecuniis eum subinde adiuuans, in expeditionibus virtute nulli secundus vel equitum vel peditum, & vbi opus esset consilio facilè inter prudentissimos habitus. his artibus regi acceptus ne populi quidem beneuolentia caruit, deuinctis sibi plerisque patritiis, tum plebeiæ multitudinis fauore cõciliato, salutãdo appellandóque comiter, & cæteris officiis atque liberalitatibus. Talis fuit Tarquinius viuente etiamtum Marcio gratiosus & omnibus spectabilis: quapropter illo defuncto dignus principatu iudicatus est consensu omnium. inito regno bellum primum cum Apiolis gessit, ciuitate Latina non ignobili. nam hæc, sicut cætera Latini nominis post Anci obitum ratæ non teneri se fœdere amplius, latrociniis & excursionibus Romanum agrum infestabat, quam iniuriam vlcisci volens Tarquinius magno exercitu educto deuastauit agri eorum partẽ optimam. quò cum è propinquis Latinorum oppidis confluxissent auxilia, duplici prælio cũ eis congressus, vtrinq; victor, ad muros admouit exercitum, oppugnatoribus aliis post alios succedentibus. oppidani contrà pauci resistentes pluribus, nullo ad interquiescendum relicto tempore, maturè expugnati sunt. oppido vi capto maior pars in pugna confossa est: pauci traditis armis sub hasta cũ reliqua præda sunt venditi, pueri & mulieres Romam in seruitutem abducti, oppidum ipsum direptũ prius mox concrematum est. His gestis, mœnibúsq; funditus dirutis, rex domum reduxit exercitũ. Secunda expeditio contra Crustuminos fuit. hæc Latina quondã colonia in Romanorũ ditionẽ venit regnãte Romulo. Tarquinio verò principatum adepto rursus Latinis fauere

cœperat. non tamen oppugnatione aliôve magno negocio retrahēda fuit ad officium. Crustumini enim cognito quàm ingens aduentaret exercitus, considerantes quàm parum sibi esset virium, destitutis Latinorum auxilio, portas aperuerunt: progreßique seniores & quisque honoratißimus deditionem regi fecerunt deprecantes moderaretur iram, & vteretur clementia; quod impetratum est. introgressus enim mœnia neminem Crustuminorum necauit, perpaucos tantum defectionis autores dānauit exilio pulsos patria. ceteris sua bona reliquit, & ius Romanæ ciuitatis, vt antè habuerant: & nequid nouarent amplius, Romanorū partem ad habitandum ibi manere iußit. horū consilium secuti Nomentani fortunā quoque eandem experti sunt. apertè enim à Latinis stantes quibus fidebant, in Romanum agrum manum latronum prædatum miserant. quam ob rem bello petiti à Tarquinio, cessantibus Latinorum auxiliis, impares tanto exercitui cum ramis oliuæ obuiam egreßi dediderunt se ac sua. At Colatini repugnare conati eduxerunt militem extra mœnia: sed aliquoties profligati multis vulneribus acceptis compulsi sunt intra oppidū refugere: moxq́ dimißis nuntiis solicitabant Latinorum auxilia. quibus cunctantibus Romanis verò non vno loco muros inuadentibus, tandē coacti sunt sese dedere. Sed non æquè clementer ac Nomentani Crustumíve tractati sunt, post arma adēpta mulctati pecuniis imposito etiā præsidio. quin & dominum Aruntem Tarquinium ex fratre nepotem illis præfecit quoad is viueret: qui auo Demarato & patre Arūte defunctis natus posthumus, nec patrimonium vllum nec auitorum bonorum hæreditariā partem cōsecutus est. ob id cognominatus Egerius, quòd pauperes & inopes ita Romani nominent.

ex quo autem eius oppidi præfecturam adeptus est, tum ipse Colatini appellationem inuenit, tum eius posteritas. post deditam Colatiam rex Corniculum petiit, id quoque Latini nominis oppidum. quorum agrum impune peruagatus depopulatúsque, propius inclusis admouit copias prouocans eos ad amicitiam. illis verò eam aspernantibus munitionum fiducia & spe affuturi vt putabant auxilij, corona cinctos ab omni parte adortus est. Corniculani post diutinam propugnationem hosti multis illatis vulneribus fessi labore continuato, ac ne concordes quidem satis, quando alij deditionem, alij constanter resistendum suadebant, ob eam ipsam dissensionem facilius expugnati sunt. maxima pars ab irruentibus repugnantes concisi sunt. quibusdam ignauis venia cum salute concessa est, qui captiui sub hasta venierunt sicut sexus & ætas infirmior. oppidum post direptionem à victore incensum est. qua clade Latini exacerbati decreuerunt collatis in vnum viribus Romanos aggredi: ac mox valido exercitu inuaserunt præcipuam eorum agri partem: vnde captiuis multis abductis, præda quoque magna potiti sunt. contra hos Tarquinius cum expeditis qui tum ad manum erant profectus, non inuentis hostibus qui commodum abierant, in agrum ipsorum irrumpens talionem eis reddidit. hoc modo mutuis excursionibus nunc accipiebant damna, nunc inferebant. Semel tantum ad Fidenas in acie certatum est totis viribus vbi multis vtrinque desideratis penes Romanos fuit victoria: Latini desertis noctu castris discesserunt in sua oppida. post hoc prælium Tarquinius cum exercitu regionem eorum obeundo iam hoc iam illud oppidum solicitabat ad amicitiam. illi quòd nec communes totius Latini nominis haberent copias, nec propriis viribus satis fiderent,

[R]erent, inuitanti obſequebantur, & nonulli dedi-[tion]em faciebant, dirui videntes oppida vi capta & diripi: certis verò conditionibus dedita imperium tantum victoris recipere, aliud nihil pati durius. Fidenates primi omnium in fœdus & amicitiam recepti ſunt, Camerini poſt eos: hos ſecuta ſunt aliquot caſtella & oppidula. Terruit hoc Latinos, verentes ne vniuerſi cogerentur imperata facere. ergo in oppidum Ferētinum conuentu indicto decretum eſt delectus oppidatim habendos eſſe, ciendas ad arma fortiſſimas propinquarum gentium: mox'que legati ad Hetruſcos & Sabinos impetrandæ ſocietatis cauſa miſſi ſunt. Sabini polliciti ſunt quàm primũ audiſſent ipſos in Romanum agrum irrupiſſe, ſe quoque ſumptis armis inuaſuros agrum eorum finitimum, Hetruſci ſummiſſuros ſe auxiliorum quantum opus fuerit: non tamen reſponſum eſt hoc de communi omnium ſententia, ſed à quinque tantum ciuitatibus. hi fuere Cluſini, Aretini, Volaterrani, Ruſellani, Vetulonienſes. hac ſpe Latini erecti parabant domi magnum exercitum, & aſſumptis quos Hetruſci miſerant in Romanum agrum inuaſerunt: qui eodem tempore à Sabinis ex compoſito vaſtabatur parte illis contingua. Tum Romanus rex iam ante inſtructus exercitu occurrit hoſti celeriter: ratúſque periculoſum vtroſque ſimul arcere diuiſis copiis, maluit omnes vires in Latinos vertere & caſtra metari caſtris illorum proxima. ac primùm neutris libuit rem totam aleæ committere, quòd vtrinque non ignotus eſſet alterorum apparatus alteris: agebatúrque tantum velitationibus, in quibus neutra pars multum cedebat alteri. tandem creſcente contentione per crebra certāmina, dum alij ſuccurrunt aliis, pauci primum, mox vniuerſi

coacti sunt è castris procurrere: coortóque prælio inter milites bello exercitatissimos, & propemodum pares tam pedestribus quàm equestribus copiis, ad hæc pariter animosos ut in extremo discrimine, vtrinq. pugnatum est ut dignum erat viris fortibus. contendentes ex æquo vix nocte superueniente dirempti sunt. postera demum luce apparuit ex vtriusque partis animo, vtri potiores fuerint pridiano prælio. Latinis enim intra vallum se continentibus, Romanus rex suos in apertum campum produxit, paratus iterum confligere, diúque continuit eos in acie: deinde non prodeuntibus ex aduerso hostibus, spoliatis eorum cadaueribus, suorúmque sublatis, gloriabundus in castra reduxit exercitum. Sequenti die Latini aucti nouis Hetruscorum auxiliis depugnarunt multo quàm antè acrius, vicit tamen Tarquinius egregiè, omnium confessione autor eius victoriæ: qui laborante iam Romana acie, sinistro cornu non satis seruante ordines, intellecto suorum periculo dum ipse in dextro pugnans versatur, assumptas fortissimas equitum alas & vigentissimam partem peditum duxit præter suorum terga: euectúsque vltra sinistrum cornu, infestis hastis & citatis equis ex transuerso Hetruscas cohortes impetiit: nam hæ dextrum hostium cornu tenentes vrgebant oppositos. his tum ex improuiso inuectus metum ac trepidationem intulit. interea pedites quoque recollecto animo in aduersos impressionem faciunt. Fit strages Hetruscorum. ac mox dextri cornus profligatio. Tarquinius iussis tribunis cum peditibus militari gradu & inconfusis ordinibus subsequi, ipse cum equitatu pleno cursu contendit ad castra hostium: interclusóque aditu refugientibus, primo impetu eis potitur. nam relicti præsidio necdum cladem acceptam resciuerant: &

...ut: & quia irruentem tanto impetu equitatum non satis dignoscebant, admiserunt pro suo. copiis hostium impedimentis, qui se eò recipere conabantur, ab equitibus intercepti cæsi sunt: & qui è castris in campum cupiebant euadere, in Romanas legiones incidebant certa sui cum pernicie. bona pars compreßione mutua conculcationéque periit: aut circa vallum & fossas deprehensa ignauo & miserando exitio ob hærentibus tergo contrucidata est. reliqui quando aliter incolumes esse non poterant, coacti sunt sese dedere victoribus. Tarquinius opulentis castris potitus & magno captiuorum numero, hos sub hasta vendidit, cætera conceßit in prædam suis militibus. His gestis ad oppida Latina admouebat exercitum, expugnaturus si quæ se nollent vltro dedere omnes versi ad preces legatos mittebant deditionē facientes suppliciter, accepturi pacem quibuscunque conditionibus. Rex dominium tot ciuitatum consecutus ex fœderis conditionibus, omnes clementer ac modestè habuit. neminem Latinum nec occidit, nec in exilium egit, nec mulctauit pecunia agros etiam suos ipsis fruēdos reliquit, & ciuitates suo quamq; iure vti permisit. transfugas Romanis reddi iußit, & captiuos absque pretio: mācipia quoq; restitui propriis dominis quotquot à prædatoribus intercepta fuerant. & rerum ereptarum agrestibus persolui pretium. rependíque quicquid damni eo bello his datum sit. atque his conditionibus in amicitiam ac societatem Romanorum recepti sunt, facturi eorum imperata in posterum. Hic finis Latini belli fuit, Tarquinius triumphans in vrbem rediit. Sequenti anno in Sabinos duxit exercitum, qui iam antè voluntatem eius & apparatum cognouerāt. quamobrem ne bellum intra suos fines reciperēt, comparato satis magno

gno exercitu processerunt obuiam, congresśique cum eis circa confinia vsque ad noctem pugnauere acriter, neutrò inclinante victoria. per aliquot deinde dies neque Sabinorum imperator è castris eduxit copias, neque Romanorum rex: sed motis retro castris, intacto hostico domum vtique reuersi sunt, eo proposito, ut ineunte vere vtrique bellum redintegrarent maioribus copiis, interim apararēt necessaria. priores Sabini se mouerunt cum non contemnendis Hetruscorum auxiliis, castra metati prope Fidenas sub confluentibus Anienis & Tiberis. ea duplici vallo munita ripam vtranque tenebant iam vno alueo fluentium amnium, iuncta ponte ligneo scaphis imposito & ratibus, quo expeditior esset transitus, & castra viderentur vna & eadem. quo cognito Tarquinius & ipse legionibus eductis locum castris cepit secus Anienem paulum supra castra hostium, occupato colle quodam natura munitissimo, cúmque vtrique essent pugnandi auidi, nullum tamen secutum est vel magnum vel paruum prælium. Tarquinius enim Sabinos præuentos stratagemate vtrisque castris eorum deletis graui clade affecit: quod quidem commentum ita se habuit. scaphas fluuiales & rates aridis lignis sarmentísque refertas, sulphure quoque ac pice additis præparauit in altero amne vbi castra habebat: obseruato deinde secundo vento circa quartam vigiliam igne in eam materiam immisso, scaphas & rates siuit deferri prono flumine. hæ breui tempore per medium delapsæ spatium hæserunt in ponte, eúmque pluribus locis incenderunt. quò Sabinis ad emicantem flammam concurrentibus, & modis omnibus conantibus restinguere, Tarquinius sub diluculum cum instructo veniens exercitu altera castra inuasit, maxima ex parte deserta à custodiis, quæ

...is, quæ ad incendium se proripuerant: reliquos ...rma & vim versos profligauit haud magno negotio. interea altera quoque Sabinorum castra sita trans amnem alia Romanorum manus aggressa occupat: quæ intempesta nocte præmissa Tyberim scaphis & ratibus clam hoste traiecerat, & castra tum demum petere cœpit, cum pontem ardentem videret, ita vt conuentum fuerat. in his etiam relicti præsidio, pars pugnantes ceciderunt, pars in amnem præcipitati, dum eius vertices eluctari nequeunt, telis eminus confecti sunt. bona pars dum ponti succurrit absumpta est incendio. ita vtrisque castris potitus Tarquinius reliquam prædam concessit diuidendam militibus, captiuos tam Sabini quàm Hetrusci generis Romam abductos in arcta custodia habuit, quorum magnus fuit numerus. Hac demum clade fractos Sabinos facti cœpit pœnitentia: missisq; legatis inducias impetrauerunt in sexennium. Hetrusci iniquo animo ferentes victos se à Romanis toties, ac tum irati quòd Tarquinius repetentibus captiuos pernegauerit, malens eos habere loco obsidum, decreuerunt vt omnes Hetrusci nominis populi Romanis bellum inferrent communibus auspiciis, non habituri pro Hetrusca ciuitatem quæ grauaretur esse eius expeditionis socia. quod vbi placuit, traiecto Tiberi prope Fidenas castra sunt posita: & dissidentibus Fidenatibus oppido per proditionem potiti, cum multis captiuis & præda è Romano agro abacta domum se receperũt, relicto Fidenis quantum sat esset præsidio. hac enim sedes belli Romani placuit. At rex Tarquinius armatis in sequentem annum legionariis omnibus & sociorum quantis potuit auxiliis, ineunte vere in hostes mouit, priusquam illi venirent ex omnibus suis vt antè collecti ciuitatibus: diuisisque copiis ipse Ro

ipse Romanos ducebat: sociis quorum maxima p[...] Latini erant, præfecit cognatum suum Ege[...] iussum Fidenas petere. hic socialis exercitus cum non longe ab eo oppido castra loco parum tuto posuisset propter contemptum hostium, penè totus deletus est. qui enim in præsidio erant, clàm accitis nouis auxiliis ex Hetruria, obseruatóque suo tempore, oppido egressi primo impetu ceperunt male custodita castra hostium: & eorum qui prædatum exierant, palantium passim magna cædes est edita. Romani verò Tarquinij ductu vastato & populato agro Veienti magnis prædis ditati, quamprimum Veiis ab omnibus Hetruscorum populis multum auxiliorum submissum est. ausos congredi vicerunt egregiè: ac deinde opulentos Hetruscorum agros impune populati, & ingenti præda potiti, captiuorúmque abducto magno numero, æstatis exitu domum reuersi sunt. Veientes tanta clade accepta non audentes vrbem egredi, patiebantur in conspectu suo vineta sua cædi & arbores frugiferas. Tarquinius tribus irruptionibus effecit vt toto triennio nihil fructuum Veientes ex agris suis perciperent, desertis iam ex parte maxima. quibus cum nullum damnum dare posset amplius: ad Cære duxit exercitum, quæ olim dum à Pelasgis teneretur Agylla dicta est. Hetrusci tum nomen ei mutauerant: vrbs erat viris ac opibus florens si qua alia Hetrusci nominis, unde magna multitudo procurrit ad arcendam ab agro vim hostium: multisque occisis, sed pluribus suorum amissis coacta est in vrbem refugere. Romani agro in potestatem suam redacto, multis diebus ibi morati sunt propter vberem rerum copiam: & postquam abeundi tempus visum est, cum præda quantam auehere poterant domum reuersi sunt. Tarquinius Veientano bello

defunct

functus ex animi sententia, contra hostem Fidenas hærentem eduxit copias, vt præsidium inde eijceret, & de proditoribus oppidi sumeret suppliciũ. primo contra hostem progressum pugnatum est acriter, secuta deinde æquè acris oppugnatio mœnium. Tandem vi captis Fidenis, præsidium cum aliis Hetruscis captiuis asseruatum est in custodia. defectionis autores, pars cæsi virgis publicè securi percussi sunt, pars missi in perpetuum exilium bona eorum Romanis concessa inibi habitantibus, quive relicti sunt præsidio. vltimus cum Hetruscis conflictus in agro Sabino ad Heretum fuit. illac enim veniebant quorundam suasu, qui Romanis infensi, spem societatis Sabinorum eis fecerant. aderat enim finis induciarum sexennalium, & adulta iam iuuentute multos tenebat abolendæ ignominiæ desiderium. nec tamen is conatus successum habuit. nam priusquam ab vlla ciuitate Hetruscis auxilia submitterentur publicè, superuenit Romanus exercitus: pauci tantum magna mercede conducti in castra eorum voluntarij se contulerant. Hoc vt postremum ita maximum fuit prælium ex pulcherrima victoria mirum in modum aucti opibus Romani triumphum decreuerunt Tarquinio consentientibus senatus populique suffragiis. Hetruscis contrà in totum collapsi sunt animi, vt qui ex tanto in eam expeditionem missorum numero per singulas ciuitates paucos receperant incolumes. nam alij ceciderant in acie, alij deprehensi in locorum difficultatibus deditionem fecerant. itaq; tanta sua clade Romanã virtutem experti populorum principes, fecerunt quod viros prudentes decuit: paratè enim nouam expeditionem in eos Tarquinio, in communi gentis cōcilio decreuerũt de pace cũ eo agere: ac mox singularum ciuitatum legationes cum libera potestate conditio-

num

num venerunt, & in his honoratissimus quisque natu maximus. Hi cùm multis regem hortarent ad iustitiam atque temperantiam, memorantes etiam cognationem quæ ei cum sua gente intercederet, ait se vnum hoc ex ipsis sciscitari: vtrum ex æquo cum ipso disceptare vellent, an pacis conditiones accipere, seq; victos agnoscere, & victoris subire imperium, quibus respondentibus, se & ciuitates suas in illius potestatem permittere, & pacem accipere quibuscunque conditionibus, iam exhilaratus, Audite nunc, inquit, conditiones, & quam vobis pro ista vestra voluntate repono gratiam. Ego neminem Hetruscum occisurus sum, aut exilio pecuniáve mulctaturus: ciuitates ipsas sine præsidiis, sine exactionibus, permitto suis legibus viuere, nihil mutato statu reipublicæ. pro his omnibus quæ vobis conceduntur vnum postulo, vt me vestrarum ciuitatum principem agnoscatis. quod etiam inuitis vobis futurus sum quandiu ero armis superior. malo tamen id consequi à volentibus. hac referte vestris ciuitatibus: ego interim dum huc reuertimini vobis inducias polliceor. Cum hoc responso legati dimissi post paucos dies redeunt. non nuda verba tantum afferẽtes, sed & principatus insignia quibus suos reges ornare sunt soliti, coronam auream, et sellam eburneam sceptrumq; in summitate habens aquilam, & tunicam auro distinctam ac purpura, togámque pictam purpuream, qualia fuere Lydorum atque Persarum regum gestamina, nisi quòd non quadrata vt illa, sed figura semicirculi. hoc genus Romani togam, Græci τήβεννον appellãt nescio vnde sumpto vocabulo, nõ enim videtur Græcæ originis. Sunt qui prodant allatas etiã secures XII. singulas missas à singulis populis. Hetruscorum enim mos fuit quanque ciuitatem suo regi lict

regi lictorem vnum addere, qui cum fasce securim praferat: quoties verò communis XII. populorum erat expeditio, XII. secures ei tradebantur, cuius erat imperium in exercitum. non tamen omnes scriptores hic consentiunt, quandoquidem nonnulli aiunt ante ætatem Tarquinij secures regibus praferri solitas: fuisseq; hoc institutum Romuli, mox ex quo principatũ adeptus sit. Nihil tamen vetat Hetruscorum id esse inuentum, primúmque ab illis mutuatum Romulum: attamen Tarquinio quoq; allatas inter cætera insignia regia secures XII. quemadmodum nunc Romani sceptra & diademata dona mittunt regibus, quando eis confirmant potestatem regiam: quibus vtuntur etiamsi ab illis non accipiant. Hos honores non statim admisit Tarquinius, si plerisque scriptoribus Romanis credimus: sed cum ad S. P. Q. R. retulisset iuberéntne vt eos reciperet, volentibus illis & consentientibus tum demum illis vsus est: totóque vitæ tempore amictus toga picta purpurea gestabat coronam auream & sceptrum eburneum, sella item sedere solitus eburnea, lictoribus iura reddenti astantibus, & per vias eum præcedentibus. idem ornatus mansit & ipsius successoribus, & post pulsos reges annuis consulibus, excepta corona togáque picta: nam hæc sola his adempta sunt, quòd inuidiosa viderentur & libertati grauia. post victoriam tantũ ex S. C. triumphantes ornantur auro, & amiciuntur togis pictis purpureis. Ad hunc modum post bellum Hetruscum per nouem annos ductu & auspiciis Tarquinij gestum pax redintegrata est. Sabini soli supererant qui cum Romanis de principatu contenderent, viri pugnaces, regionem colentes amplam & fertilem, nec longe à Roma dißitam. hos etiam subigere cupiens Tarquinius bellum eis in-

[illegible] ad supplicium
[illegible] Hetruscos.
[illegible] exercitu veni-
[illegible] suis pa
[illegible] existiman
[illegible] adveniretur: &
[illegible] in eorum
[illegible] cognovit
[illegible] omnia, as
[illegible], quin-
[illegible] prædatores op-
[illegible] præda. prope
[illegible] diebus
[illegible] auxi-
[illegible] est in cam
[illegible]. quo viso
[illegible] nec vir-
[illegible] in-
[illegible] solis à
[illegible] etiam
[illegible] cedere,
[illegible] Tarquinius
[illegible] & pedites oppe
[illegible] à ter-
[illegible] opina-
[illegible] fecerunt
[illegible] & male ine-
[illegible] querebant
[illegible] est edita
[illegible] ita ut ad-
[illegible]: ma-
[illegible] fuga & in præ-
[illegible] adfuit.
[illegible] castra sua de-
[illegible] virtute
supera

superatos dictitantes maiorē rursus parabant exercitum sub imperatore veterano & artium belli peritissimo: quorum voluntate cognita rex celeriter comparatis & in vnum collectis copiis, priusquam illi conuenirent Anienem transiit. id vbi Sabinorum imperator audiit, cum iis qui ex recenti delectu ad manum erant profectus, castra non longè à Romanis metatus est in prærupto quodam tumulo: & abstinendum à prælio ratus donec ad se venirent cæteræ Sabinorum copiæ, tantum emissis subinde equitibus, & insidiis per nemora & syluas dispositis defendebat agrum à populationibus. dúmque ita bellum ducitur crebro pugnatum est procursantibus velitibus simul & equitibus exercitus in aciem educti sunt nunquam. tandem Tarquinius morarum ac iræ impatiens oppugnationem aggressus aliquoties impetum fecit in castra hostium: deinde sentiens vi nihil se proficere, quòd locus munitior esset quam expugnari posset, facilè, decreuit inopia commeatus eos premere. itaque custodiis per omnes vias eò ferentes dispositis lignatione ac pabulatione prohibitos breui ad tantam redegit rerum omnium inopiam, vt coacti sint obseruata nocte imbribus & procellis turbida turpiter castra deserere, relictis per trepidationem iumentis & tentoriis, simúlque sauciis & apparatu bellico. Postero die Romani discessu eorum cognito sine pugna castris potiti, direptis his captiuísque abductis in vrbem se receperunt. durauit id bellum non intermissum integro quinquennio: in quo agri vtrinque vastati sunt mutuis excursionibus, & multa commissa maiora minoráve prælia, in quibus raro Sabina res fuit superior: sed vltimum manum supremam bello imposuit. Sabini enim non vt antè per vices, verùm populariter

quantum militaris ætatis fuit in expeditionem ... fecti sunt: Romanæ quoque legiones omnes, accitis etiam Hetruscorum ac Latinorum aliorúmque sociorum auxiliis obuiam iuerunt hostibus. Sabinus imperator in bina castra partitus est suas copias, Romanus rex tres exercitus in ternis castris habuit non longè à se inuicem dissitis ipse legionariis præerat, Aruntem fratris filium præfecit Hetruscis auxiliis. Latinis præposuit virum strenuum & rei militaris peritissimũ, licet peregrinũ necdũ ciuitate donatum, Seruium Tulliũ: cui Romanus populus post obitum Tarquinij, nulla superstite prole mascula, regnum detulit admiratus virtutem hominis vel pacatæ ciuitati regendæ vel bello administrando idoneam. huius genus, educatio, fortuna & quod circa eum apparuit prodigium, suo loco dicetur aptius. Ergo vtrinque parati ad decernendum signa conferunt. læuum cornu Romani, dextrum Hetrusci, mediam aciem Latini occupant. toto die pugnatum est acriter, tandem Romani vicerunt egregiè, stratísque in pugna multis viris fortibus, in fuga maiorem ceperunt numerum: & vtrisque castris potiti, ingentíque præda ditati, fine metu iam agris quàm latè patebant ferro flammáque peruastatis, sub initium autumni domum dimissi sunt. Tarquinius tertium triumphans in vrbem rediit. Sequenti anno rege rursus expeditionem parante ad expugnanda Sabinorum oppida, nullum expectare belli fortunam sustinuit: sed vno consensu priusquam adirent extremum periculum eorum quæ vi expugnatis solent accidere: de pace agere decreuerunt. itaque venerunt singularum ciuitatum optimates ad Tarquinium aduentantem iam cum exercitu: dederúntque tam se quàm sua oppida, orantes vt

Quas pacis conditiones impetrare liceat. Lætus ille sine periculo sibi oblatum gentis imperium, pace data in societatem & amicitiam eos recipit eisdem legibus quibus Hetruscos aliquanto antè receperat: captiuósque sine pretio restituit. Hæc sunt quæ bello gessit Tarquinius, nunc dicemus pacis opera, quando nec ipsa libet præterire silentio. Mox vt principatum accepit, ad conciliandum sibi plebis fauorem, sicut à prioribus regibus factum est, hac benignitate vsus dicitur. selectos ex omni plebeiorum numero viros centum spectatæ vel fortitudinis vel prudentiæ, in patritiorum primo allectos ordinem, patrum etiam ascripsit numero: ac tum primum Roma trecentos habuit, qui ducenti antè fuerant. Vestalium quoque collegium auxit, ad quatuor duabus additis. cum enim creuissent numero publica sacrificia, quibus opus erat interesse has virgines, non videbantur quatuor solæ sufficere. hoc institutum secuti sunt reges alij, & vsque ad nostram ætatem mansit is numerus. quin & supplicium quo in eas stupri conuictas animaduertunt pontifices, ad hunc autorem refertur: siue id alia ratione, siue (vt quidam opinantur) in somnis monitus instituit: quod post illius obitum inter Sibyllina oracula repertum aiūt ipsi pontifices. deprehensa enim est eo regnante sacerdos quædam Pinaria Marci filia corpore nō casto rem diuinam accedere. modus autem supplicij quo tales puniuntur, superius à nobis indicatus est. Forum etiam vbi ius redditur, conciones fiunt, aliáque ciuilia negotia peraguntur, ab illo rege ornatum est, officinis circundatum aliísque ornamentis publicis. Vrbis mœnia quæ antè properato ac rudi opere condita fuerunt, extruxit quadratis lapidibus, quorum singuli iustum plaustri onus conficerent. cœpit &

cloacas fodere, quibus in Tiberim corriuatur quicquid aquarum est per vias, dici vix potest quæ admiranda opera. Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maximè apparet amplitudo Romani imperij, aquæductus, viæ stratæ, & hæ cloacæ, reputanti non solum vtilitatem operum de qua suo dicetur tempore, verumetiam impensarum magnitudinem: quam vel hinc licet côncere, quòd, vt affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquam, censores mille talentis purgandas locauerint. idem in circo maximo inter Palatinum & Auentinum montes sito primus circũquaque operta tecto fecit sedilia. nam antea stantes spectare solebant, furcis tabulata sustinentibus. Locos spectaculorum in triginta curias distribuit, vt curaliũ quisque suo loco spectaturus sideret quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter totius vrbis pulcherrima. longitudo enim eius est trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor iugerum. à duobus maioribus lateribus, & vno minore, cingitur euripo qui aquas recipiat, decempedali profunditate simul & latitudine. post euripum extructæ sunt triporticus. imæ habent lapidea paulum scandentia (sicut in theatris) sedilia, super duplici contignatione sunt lignea. duas maiores porticus tertia minor coniungit, transuersim lunata specie apposita, vt ex tribus vna conficiatur amphitheatralis octo stadiorũ amplitudine, capax centum quinquaginta miliũ hominum. reliquũ e minoribus latus, quod subdiuale est, habet fornicatos carceres vnde equi emittũtur, omnes vno clausos repagulo. externe ambit circum simplex contecta porticus, habens officinas & superne cellas per quas spectatores intrant & ascendunt per officinas singulas, vt nulla confusio exoriatur

tur inter tot milia tum venientium tum disceden[tium]. Templum etiam ædificare aggressus est, quod cum Sabinis confligens vltimo prælio, Ioui, Iunoni, & Mineruæ vouerat. Huic sedem cum designasset in tumulo qui multa & laboriosa egeret opera, quippe qui difficili aditu erat, nec in summo planus, sed præruptus & fastigiatus, multis ex partibus amplexus est eum altis substructionibus: inter quas & verticem congesto aggere planam effecit aream ad excipiendam sacram ædem aptißimam. fundamenta tamen iacere fato præuentus non potuit, cum quadriennio tantum post eius belli finem superuixerit. Post multos deinde annos tertius ab hoc rex Tarquinius, is qui regno pulsus est, fundamenta iecit, & bonam partem confecit eius ædificij. ac ne is quidem absoluit hoc opus, sed à tertiis consulibus dedicatum est. Memorabile est & quod ante templi eius ædificationem accidit, constanter proditum ab omnibus Romanis scriptoribus. ædificaturus Tarquinius accersitis auguribus iussit primùm deos consuli de loco, quisnam esset in tota vrbe ad id aptißimus, diisq; ipsis gratißimus. cúmque indicassent imminentem foro tumulum, qui tum Tarpeius dictus nunc Capitolinus vocatur, iterum quæsiuit qua tumuli parte deberet fundamenta iacere. nam id erat non admodum facilè, multis deorum geniorúmque sacellis penè inter se contiguis locũ occupantibus, quæ oportebat transmoueri alio, & aream liberam futuro templo relinquere. placuit auguribus de singulis aris ibi sitis aues consulere, & si numina ipsa vellẽt cedere, transferre eas in locum alium. omnes sacellorum exaugurationes admiserant aues: Terminus tantum & Iuuentus nullis augurum precibus flecti potuerunt vt sustinerent locis suis cedere. quo factum est vt eorum

aræ contineantur templi ambitu, altera sita in vestibulo Mineruæ, altera in ipsa æde prope delub... hinc coniiciebant augures, nec mouendos vnquam vrbis terminos, nec iuuenilem vigorem ei defore. vtrunque minimè vanum fuit vsque nostra tempora per ætates iam XXIII. *illustrißimus autem augurũ, qui aras dicauit, fanúmque designauit, & multa populo prædixit diuinitus, Nauius Actius dictus est, qui diis fuisse fertur omnium eius artis professorum charißimus, clarum nomen consecutus ob vix credenda eius experimenta edita. quorum vnum præcipuum dicetur, qua fortuna quáve occasione à diis oblata ad tãtam nominis celebritatem peruenerit, vt cæteri eius seculi augures collati ad illum in nullo penè honore fuerint. paupere hic patre natus exigui colono rusculi, puer etiam tum iuuabat eum & aliis operis quas ætas ea fert, & pastum agendis suibus. accidit aliquando vt experrectus à somno desideraret sues aliquot, nec inueniẽs fleret metu paternæ sæuitiæ. profectus deinde ad ligneum quodam sacellum in eo rure sacratum heroibus, eorum opem in peruestigandis suibus implorabat: voto facto, si preces suæ non fuerint irritæ, oblaturum se illis vuam eius ruris maximam. paulo pòst inuentis porcis cum vellet votum heroibus persoluere, non videbat viam qua vuam eam inuenire posset. quamobrem anxius animi deos comprecatus est vt quod quærebat indicarent sibi auspicio. cúmque diuinitus in mentem ei venisset vineam in duas partes diuidere, dextram & sinistram, obseruabat vtriusque partis auspicia: conspicatúsque aues in altera, ad indicatam vitem accedens inuenit vuam miræ magnitudinis, quam ad sacellum deferens à patre visus est: cui admiranti botrionis molem, & vnde nactus esset scitãti, rem*

omnem

Omnem denarrauit ordine. pater suspicatus id quod erat, inesse ingenio pueri natura quædam artis diuinatoriæ semina, adductum in urbem commendauit literatoribus. deinde ubi triuiales istas disciplinas perdidicit, tradidit eum Hetruscorum doctissimo, ut auspicandi artem disceret. ita Nauius ad innata principia præceptis artis additis omnes diuinos, ut dixi longo post se reliquit spatio. & quamuis non esset unus è collegio, tamen ab urbanis auguribus in omni publico negotio adhibebatur propter prædictionum eius certitudinem, nec prædicebant quicquam nisi ex illius sententia. idem Nauius, cum aliquando Tarquinius ad veteres equitum centurias ex recenti delectu tres à se atque amicis denominatas vellet addere, solus fortiter cõtradixit, non sinens hic quicquam mutari ex instituto Romuli. ea de causa iratus rex Nauio, conatus est vanitatem artis & hominis arrogantiam coarguere. itaq; pleno foro sedens altiore solio, præmonitis circunstantibus quid pararet facere, accersit augurem. venienti & comiter salutato, Nunc, inquit, tempus est Naui, quàm artis tuæ peritus sis ostendere. concepi mente negotium arduum, id fierine posit scire cupio. I consultísque auibus responsum refer celeriter: ego hic præstolabor interim. fecit quod iussus est, ac mox reuersus ait adducere aues futurum esse omnino. Risit Tarquinius, simúlque promens è sinu cotem & nouaculam, Deprehensus es, inquit, prætextu numinis nobis imponere, quando polliceri audes impossibilia. ego certè cogitaui posséme cotem nouacula discindere. tum risu exorto circunstantium, Nauius nil turbatus strepitu & ludibrio exclamat, Feri Tarquini cotem strenuè. profectò enim diuides. miratus rex vatis cõfidentiam, nouaculam in cotem adigit;

ipse Romanos ducebat: sociis quorum maxima p[illegible] Latini erant, præfecit cognatum suum Egen[illegible] iussum Fidenas petere. hic socialis exercitus cum non longe ab eo oppido castra loco parum tuto posuisset propter contemptum hostium, penè totus deletus est: qui enim in præsidio erant, clàm accitis nouis auxiliis ex Hetruria, obseruatóque suo tempore, oppido egreßi primo impetu ceperunt male custodita castra hostium: & eorum qui prædatum exierant, palantium paßim magna cædes est edita. Romani verò Tarquinij ductu vastato & populato agro Veienti magnis prædis ditati, quam primum Veiis ab omnibus Hetruscorum populis multum auxiliorum submissum est. ausos congredi vicerunt egregiè: ac deinde opulentos Hetruscorum agros impune populati, & ingenti præda potiti, captiuorumque abducto magno numero, æstatis exitu domum reuersi sunt. Veientes tanta clade accepta non audentes vrbem egredi, patiebantur in conspectu suo vineta sua cædi & arbores frugiferas. Tarquinius tribus irruptionibus effecit vt toto triennio nihil fructuum Veientes ex agris suis perciperent, desertis iam ex parte maxima. quibus cum nullum damnum dare posset amplius: ad Cære duxit exercitum, quæ olim dum à Pelasgis teneretur Agylla dicta est. Hetrusci tum nomen ei mutauerant: vrbs erat viris ac opibus florens si qua alia Hetrusci nominis, unde magna multitudo procurrit ad arcendam ab agro vim hostium: multisque occisis, sed pluribus suorum amißis coacta est in vrbem refugere. Romani agro in potestatem suam redacto multis diebus ibi morati sunt propter vberem rerum copiam: & postquam abeundi tempus visum est, cum præda quantam auehere poterant domum reuersi sunt. Tarquinius Veientano bello

defunct

functus ex animi sententia, contra hostem Fidenas herentem eduxit copias, vt presidium inde eÿceret, & de proditoribus oppidi sumeret suppliciũ. primo contra hostem progressum pugnatum est acriter, secuta deinde aquè acris oppugnatio mœnium. Tandem vi captis Fidenis, præsidium cum aliis Hetruscis captiuis asseruatum est in custodia. defectionis autores, pars cæsi virgis publicè securi percußi sunt, pars mißi in perpetuum exilium bona eorum Romanis conceßa inibi habitantibus, quive relicti sunt præsidio. vltimus cum Hetruscis conflictus in agro Sabino ad Heretum fuit. illac enim veniebant quorundam suasu, qui Romanis infensi, spem societatis Sabinorum eis fecerant, aderat enim finis induciarum sexennalium, & adulta iam iuuentute multos tenebat abolendæ ignominiæ desiderium. nec tamen is conatus successum habuit. nam priusquam ab vlla ciuitate Hetruscis auxilia submitterentur publicè, superuenit Romanus exercitus: pauci tantum magna mercede conducti in castra eorum voluntarÿ se contulerant. Hoc vt postremum ita maximum fuit prælium ex pulcherrima victoria mirum in modum aucti opibus Romani triumphum decreuerunt Tarquinio consentientibus senatus populique suffragiis. Hetruscis contrà in totum collapsi sunt animi, vt qui ex tanto in eam expeditionem missorum numero per singulas ciuitates paucos receperant incolumes. nam aliÿ ceciderant in acie, aliÿ deprehensi in locorum difficultatibus deditionem fecerant. itaq; tanta sua clade Romanã virtutem experti populorum principes, fecerunt quod viros prudentes decuit: paratè enim nouam expeditionem in eos Tarquinio, in communi gentis cõcilio decreuerũt de pace cũ eo agere: ac mox singularum ciuitatum legationes cum libera potestate conditio-

num

num venerunt, & in his honoratißimus quisque natu maximus. Hi cùm multis regem hortarent ad iustitiam atque temperantiam, memorantes etiam cognationem quæ ei cum sua gente intercederet, ait se vnum hoc ex ipsis sciscitari: vtrum ex æquo cum ipso disceptare vellent, an pacis conditiones accipere, seq; victos agnoscere, & victoris subire imperium, quibus respondentibus, se & ciuitates suas in illius potestatem permittere, & pacem accipere quibuscunque conditionibus, iam exhilaratus, Audite nunc, inquit, conditiones, & quam vobis pro ista vestra voluntate repono gratiam. Ego neminem Hetruscum occisurus sum, aut exilio pecuniáve mulctaturus: ciuitates ipsas sine præsidiis, sine exactionibus, permitto suis legibus viuere, nihil mutato statu reipublicæ. pro his omnibus quæ vobis conceduntur vnum postulo, vt me vestrarum ciuitatum principem agnoscatis. quod etiam inuitis vobis futurus sum quandiu ero armis superior. malo tamen id consequi à volentibus. hac referte vestris ciuitatibus: ego interim dum huc reuertimini vobis inducias polliceor. Cum hoc responso legati dimißi post paucos dies redeunt. non nuda verba tantum afferētes, sed & principatus insignia quibus suos reges ornare sunt soliti, coronam auream, et sellam eburneam sceptrumq; in summitate habens aquilam, & tunicam auro distinctam ac purpura, togámque pictam purpuream, qualia fuere Lydorum atque Persarum regum gestamina, nisi quòd non quadrata vt illa, sed figura semicirculi. hoc genus Romani togam, Græci τήβεννον appellāt nescio vnde sumpto vocabulo, nō enim videtur Græcæ originis. Sunt qui prodant allatas etiā secures XII. singulas missas à singulis populis. Hetruscorum enim mos fuit quanque ciuitatem suo

regi lict

[r]egi lictorem vnum addere, qui cum fasce securim [...] præferat: quoties verò communis XII. populorum erat expeditio, XII. secures ei tradebantur, cuius erat imperium in exercitum. non tamen omnes scriptores hic consentiunt, quandoquidem nonnulli aiunt ante ætatem Tarquinij secures regibus præferri solitas: fuisseq́ hoc institutum Romuli mox ex quo principatũ adeptus sit. Nihil tamen vetat Hetruscorum id esse inuentum, primúmque ab illis mutuatum Romulum: attamen Tarquinio quoq́ allatas inter cætera insignia regia secures XII. quemadmodum nunc Romani sceptra & diademata dono mittunt regibus, quando eis confirmant potestatem regiam: quibus vtuntur etiamsi ab illis non accipiant. Hos honores non statim admisit Tarquinius, si plerisque scriptoribus Romanis credimus: sed cum ad S. P. Q. R. retulisset iubeséntne vt eos reciperet, volentibus illis & consentientibus tum demum illis vsus est: totóque vitæ tempore amictus toga picta purpurea gestabat coronam auream & sceptrum eburneum, sella item sedere solitus eburnea, lictoribus iura reddenti astantibus, & per vias eum præcedentibus. idem ornatus mansit & ipsius successoribus, & post pulsos reges annuis consulibus, excepta corona togáque picta: nam hæc sola his adempta sunt, quòd inuidiosa viderentur & libertati grauia. post victoriam tantũ ex S. C. triumphantes ornantur auro, & amiciuntur togis pictis purpureis. Ad hunc modum post bellum Hetruscum per nouem annos ductu & auspiciis Tarquinij gestum pax redintegrata est. Sabini soli supererant qui cum Romanis de principatu contenderent, viri pugnaces, regionem colentes amplam & fertilem, nec longe à Roma dißitam. hos etiam subigere cupiens Tarquinius bellum eis in-

dixit incusans quòd deposcenti sibi ad supplicium noluissent dedere suos populares qui Hetruscos ... bellum exciuerant, polliciti si cum exercitu venirent pertracturos se in eius belli societatem suas patrias. Gratum id fuit Sabinis iniquum existimantibus si tot præpotentes ciues sibi adimerentur: & non expectato Romanorum aduentu ipsi in eorum agrum irruperunt. quos vbi Tarquinius cognouit superato Aniene populari vicina castris omnia, assumptis Romanæ iuuentutis expeditissimis, quantum potuit properauit vt palantes prædatores opprimeret: cæsisq́ plurimis & recepta præda, prope hostem castra posuit: ibi paucis aliquot diebus expectato reliquarum copiarum & à sociis auxiliorum aduentu. postquam his auctus est, in campum progressus pugnandi fecit copiam. quo viso Sabini ex aduerso pari alacritate prodiere, nec virtute cedentes, nec numero: pugnaueruntque ingenti animo tantisper dum res erat cum solis à fronte oppositis. deinde vt animaduerterunt aliam hostium manum instructam à tergo in se tēdere, desertis signis in fugam versi sunt. Tarquinius enim noctu delectos equites simul & pedites opportunis locis in insidiis collocauerat, qui tum à tergo in Sabinos coorti sunt: ad quorum nec opinatum conspectum attoniti nihil amplius fecerunt fortiter, sed velut arte circumuenti & malo ineluctabili, diffugientes alij aliò salutem quærebant pedibus. tum verò ingens eorum strages est edita persequente equite & obstante vndique, ita vt admodum pauci euaserint in propinqua oppida: maior pars aut capti sunt, aut cæsi in fuga & in prælio. neque enim ad repugnandum animus adfuit, sed oppressi ex insperato & se & castra sua dediderunt. Populi autem Sabini astu se non virtute

supera

Superatos dictitantes maiorẽ rursus parabant exercitum sub imperatore veterano & artium belli peritißimo: quorum voluntate cognita rex celeriter comparatis & in vnum collectis copiis, priusquam illi conuenirent Anienem transiit. id vbi Sabinorum imperator audiit, cum iis qui ex recenti delectu ad manum erant profectus, castra non longè à Romanis metatus est in prærupto quodam tumulo: & abstinendum à prælio ratus donec ad se venirent cæteræ Sabinorum copiæ, tantum emissis subinde equitibus, & insidiis per nemora & syluas dispositis defendebat agrum à populationibus. dúmque ita bellum ducitur crebro pugnatum est procursantibus velitibus simul & equitibus exercitus in aciem educti sunt nunquam. tandem Tarquinius morarum ac iræ impatiens oppugnationem aggressus aliquoties impetum fecit in castra hostium: deinde sentiens vi nihil se proficere, quòd locus munitior esset quam expugnari posset, facilè, decreuit inopia commeatus eos premere. itaque custodiis per omnes vias eò ferentes dispositis lignatione ac pabulatione prohibitos breui ad tantam redegit rerum omnium inopiam, vt coacti sint obseruata nocte imbribus & procellis turbida turpiter castra deserere, relictis per trepidationem iumentis & tentoriis, simúlque sauciis & apparatu bellico. Postero die Romani discessu eorum cognito sine pugna castris potiti, direptis his captiuísque abductis in vrbem se receperunt. durauit id bellum non intermissum integro quinquennio: in quo agri vtrinque vastati sunt mutuis excursionibus, & multa commissa maiora minoráue prælia, in quibus raro Sabina res fuit superior: sed vltimum manum supremam bello imposuit. Sabini enim non vt antè per vices, verùm populariter

quantum militaris ætatis fuit in expeditionem profecti sunt: Romanæ quoque legiones omnes, accitis etiam Hetruscorum ac Latinorum aliorúmque sociorum auxiliis obuiam iuerunt hostibus. Sabinus imperator in bina castra partitus est suas copias, Romanus rex tres exercitus in ternis castris habuit non longè à se inuicem dissitis ipse legionariis præerat, Aruntem fratris filium præfecit Hetruscis auxiliis. Latinis præposuit virum strenuum & rei militaris peritissimũ, licet peregrinũ necdũ ciuitate donatum, Seruium Tulliũ: cui Romanus populus post obitum Tarquinij, nulla superstite prole mascula, regnum detulit admiratus virtutem hominis vel pacatæ ciuitati regendæ vel bello administrando idoneam. huius genus, educatio, fortuna & quod circa eum apparuit prodigium, suo loco dicetur aptius. Ergo vtrinque parati ad decernendum signa conferunt. læuum cornu Romani, dextrum Hetrusci, mediam aciem Latini occupant. toto die pugnatum est acriter, tandem Romani vicerunt egregiè, stratísque in pugna multis viris fortibus, in fuga maiorem ceperunt numerum: & vtrisque castris potiti, ingentíque præda ditati, sine metu iam agris quàm latè patebant ferro flammáque peruastatis, sub initium autumni domum dimissi sunt. Tarquinius tertium triumphans in vrbem rediit. Sequenti anno rege rursus expeditionem parante ad expugnanda Sabinorum oppida, nullum expectare belli fortunam sustinuit: sed vno consensu priusquam adirent extremum periculum eorum quæ vi expugnatis solent accidere: de pace agere decreuerunt. itaque venerunt singularum ciuitatum optimates ad Tarquinium aduentantem iam cum exercitu: dederúntque tam se quàm sua oppida, orantes vt

æquas

quas pacis conditiones impetrare liceat. Latus il-
ſine periculo ſibi oblatum gentis imperium, pace
data in ſocietatem & amicitiam eos recipit eiſdem
legibus quibus Hetruſcos aliquanto antè recepe-
rat: captiuóſque ſine pretio reſtituit. Hæc ſunt
quæ bello geßit Tarquinius, nunc dicemus pacis
opera, quando nec ipſa libet præterire ſilentio. Mox
vt principatum accepit, ad conciliandum ſibi ple-
bis fauorem, ſicut à prioribus regibus factum eſt,
hac benignitate vſus dicitur. ſelectos ex omni ple-
beiorum numero viros centum ſpectata vel fortitu-
dinis vel prudentiæ, in patritiorum primo allectos
ordinem, patrum etiam aſcripſit numero: ac tum
primum Roma trecentos habuit, qui ducenti antè
fuerant. Veſtalium quoque collegium auxit, ad
quatuor duabus additis. cum enim creuiſſent nu-
mero publica ſacrificia, quibus opus erat inter-
eſſe has virgines, non videbantur quatuor ſolæ ſuf
ficere. hoc inſtitutum ſecuti ſunt reges alij, & vſ-
que ad noſtram ætatem manſit is numerus. quin
& ſupplicium quo in eas ſtupri conuictas animad-
uertunt pontifices, ad hunc autorem refertur: ſiue
id alia ratione, ſiue (vt quidam opinantur) in ſom-
nis monitus inſtituit: quod poſt illius obitum in-
ter Sibyllina oracula repertum aiũt ipſi pontifices.
deprehenſa enim eſt eo regnante ſacerdos quædam
Pinaria Marci filia corpore nõ caſto rem diuinam
accedere. modus autem ſupplicij quo tales puniun-
tur, ſuperius à nobis indicatus eſt. Forum etiam
vbi ius redditur, conciones fiunt, aliáque ciuilia
negotia peraguntur, ab illo rege ornatum eſt, offici-
nis circundatum aliiſque ornamentis publicis. Vr-
bis mœnia quæ antè properato ac rudi opere condi-
ta fuerunt, extruxit quadratis lapidibus, quorum
ſinguli iuſtum plauſtri onus conficerent. cœpit &

cloacas fodere, quibus in Tiberim corriuatur quicquid aquarum est per vias, dici vix potest quàm admiranda opera. Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maximè apparet amplitudo Romani imperij, aquæductus, viæ stratæ, & hæ cloacæ, reputanti non solum vtilitatem operum de qua suo dicetur tempore, verumetiam impensarum magnitudinem: quam vel hinc licet côncere, quòd, vt affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, & non transmittentes aquam, censores mille talentis purgandas locauerint. idem in circo maximo inter Palatinum & Auentinum montes sito primus circũquaque operta tecto fecit sedilia. nam antea stantes spectare solebant, furcis tabulata sustinentibus. Locos spectaculorum in triginta curias distribuit, vt curaliũ quisque suo loco spectaturus sideret quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat inter totius vrbis pulcherrima. longitudo enim eius est trium stadiorum cum dimidio, latitudo quatuor iugerum. à duobus maioribus lateribus, & vno minore, cingitur euripo qui aquas recipiat, decempedali profunditate simul & latitudine. post euripum extructa sunt triporticus. imæ habent lapidea paulum scandentia (sicut in theatris) sedilia, super duplici contignatione sunt lignea. duas maiores porticus tertia minor coniungit, transuersim lunata specie apposita, vt ex tribus vna conficiatur amphitheatralis octo stadiorũ amplitudine, capax centum quinquaginta miliũ hominum. reliquũ e minoribus latus, quod subdiuale est, habet fornicatos carceres vnde equi emittũtur, omnes vno clausos repagulo. externe ambit circum simplex contecta porticus, habens officinas & superne cellas per quas spectatores intrant & ascendunt per officinas singulas, vt nulla confusio exoriatur

[...]atur inter tot milia tum venientium tum disceden[...]. Templum etiam ædificare aggressus est, quod cum Sabinis confligens vltimo prælio, Ioui, Iunoni, & Mineruæ vouerat. Huic sedem cum designasset in tumulo qui multa & laboriosa egeret opera, quippe qui difficili aditu erat, nec in summo planus, sed præruptus & fastigiatus, multis ex partibus amplexus est cum altis substructionibus: inter quas & verticem congesto aggere planam effecit aream ad excipiendam sacram ædem aptissimam. fundamenta tamen iacere fato præuentus non potuit, cum quadriennio tantum post eius belli finem superuixerit. Post multos deinde annos tertius ab hoc rex Tarquinius, is qui regno pulsus est, fundamenta iecit, & bonam partem confecit eius ædificij. ac ne is quidem absoluit hoc opus, sed à tertiis consulibus dedicatum est. Memorabile est & quod ante templi eius ædificationem accidit, constanter proditum ab omnibus Romanis scriptoribus. ædificaturus Tarquinius accersitis auguribus iussit primùm deos consuli de loco, quisnam esset in tota vrbe ad id aptissimus, diisq́ ipsis gratissimus. cúmque indicassent imminentem foro tumulum, qui tum Tarpeius dictus nunc Capitolinus vocatur, iterum quæsiuit qua tumuli parte deberet fundamenta iacere. nam id erat non admodum facilè, multis deorum geniorúmque sacellis penè inter se contiguis locũ occupantibus, quæ oportebat transmoueri alio, & aream liberam futuro templo relinquere. placuit auguribus de singulis aris ibi sitis aues consulere, & si numina ipsa vellẽt cedere, transferre eas in locum alium. omnis sacellorum exaugurationes admiserant aues: Terminus tantum & Iuuentus nullis augurum precibus flecti potuerunt vt sustinerent locis suis cedere. quo factum est vt eorum

aræ contineantur templi ambitu, altera sita in vestibulo Mineruæ, altera in ipsa æde prope delubrum. hinc coniiciebant augures, nec mouendos vnquam vrbis terminos, nec iuuenilem vigorem ei defore. vtrunque minimè vanum fuit vsque nostra tempora per ætates iam XXIII. illustrißimus autem augurũ, qui aras dicauit, fanúmque designauit, & multa populo prædixit diuinitus, Nauius Actius dictus est, qui diis fuisse fertur omnium eius artis professorum charißimus, clarum nomen consecutus ob vix credenda eius experimenta edita. quorum vnum præcipuum dicetur, qua fortuna quáve occasione à diis oblata ad tãtam nominis celebritatem peruenerit, vt cæteri eius seculi augures collati ad illum in nullo penè honore fuerint. paupere hic patre natus exigui colono rusculi, puer etiam tum iuuabat eum & aliis operis quas ætas ea fert, & pastum agendis suibus. accidit aliquando vt experrectus à somno desideraret sues aliquot, nec inueniẽs fleret metu paternæ sæuitiæ. profectus deinde ad ligneum quoddam sacellum in eo rure sacratum heroibus, eorum opem in peruestigandis suibus implorabat: voto facto, si preces suæ non fuerint irritæ, oblaturum se illis vuam eius ruris maximam. paulo pòst inuentis porcis cum vellet votum heroibus persoluere, non videbat viam qua vuam eam inuenire posset. quamobrem anxius animi deos comprecatus est vt quod quærebat indicarent sibi auspicio. cúmque diuinitus in mentem ei venisset vineam in duas partes diuidere, dextram & sinistram, obseruabat vtriusque partis auspicia: conspicatúsque aues in altera, ad indicatam vitem accedens inuenit vuam miræ magnitudinis, quam ad sacellum deferens à patre visus est. cui admiranti botrionis molem, & vnde nactus esset scitãti, rem omnem

Omnem denarrauit ordine. pater suspicatus id quod [erat], inesse ingenio pueri natura quædam artis diuinatoriæ semina, adductum in vrbem commendauit literatoribus. deinde vbi triuiales istas disciplinas perdidicit, tradidit eum Hetruscorum doctissimo, vt auspicandi artem disceret. ita Nauius ad innata principia præceptis artis additis omnes diuinos, vt dixi longo post se reliquit spatio. & quamuis non esset vnus è collegio, tamen ab vrbanis auguribus in omni publico negotio adhibebatur propter prædictionum eius certitudinem, nec prædicebant quicquam nisi ex illius sententia. idem Nauius, cum aliquando Tarquinius ad veteres equitum centurias ex recenti delectu tres à se atque amicis denominatas vellet addere, solus fortiter cõtradixit, non sinens hic quicquam mutari ex instituto Romuli. ea de causa iratus rex Nauio, conatus est vanitatem artis & hominis arrogantiam coarguere. itaq; pleno foro sedens altiore solio, præmonitis circunstantibus quid pararet facere, accersit augurem. venienti & comiter salutato, Nunc, inquit, tempus est Naui, quàm artis tuæ peritus sis ostendere. concepi mente negotium arduum, id fierine possit scire cupio. I consultísque auibus responsum refer celeriter: ego hîc præstolabor interim. fecit quod iussus est, ac mox reuersus ait adducere aues futurum esse omnino. Risit Tarquinius, simúlque promens è sinu cotem & nouaculam, Deprehensus es, inquit, prætextu numinis nobis imponere, quando polliceri audes impossibilia. ego certè cogitaui possémne cotem nouacula discindere. tum risu exorto circunstantium, Nauius nil turbatus strepitu & ludibrio exclamat, Feri Tarquini cotem strenuè. profectò enim diuides. miratus rex vatis cõfidentiam, nouaculam in cotem adigit:

ferrum dissecta cote adusque manum tenentis eam penetrat. ad tam incredibilem euentum conclamatum est à corona spectantium miraculo attonita. Rex confusus artis experimento, & volens indecoram opprobrationem corrigere, primum à duplicandis centuriis abstitit: deinde ut Nauio debitum honorem referret vt diis omnium mortalium charissimo, præter magnam comitatem exhibitam, etiam area statua hominem dignatus est quæ memoriam eius sempiternam prorogaret ad posteros: spectatáque est in foro vsque ad nostra tempora, antè curiam propè Ruminalem ficum posita mediocri statura & operto capite. cotem quoque ac nouaculam non longè inde sub ara quadam sitas fuisse memorant: qui locus Romanis Puteal dicitur. atque hæc de augure dixisse sufficiet. porrò Tarquinius rex iam annis grauis & octogenarius, ob idque à bello feriatus, per insidias ab Anci Marcij filiis oppressus interiit: qui iam antea de principatu eum deturbare non semel cogitauerant, spe successionis ob paternam memoriam gratam etiam tũ viris bellatoribus. Verùm ea spe frustrati insidias illi struxerunt ineuitabiles: quod facinus non impunitum siuere numina. Libet & insidiarum modum narrare. Nauius ille quem regi centurias equitum augere volenti intercessisse diximus, cùm maximè cõmendatione artis & autoritate floreret in vrbe, siue æmulatione sui ordinis siue inimicorũ dolo, siue alioquocunque repentino casu sublatus nusquam comparuit: & neq; mortem eius coniectare potuerunt ipsius necessarij, neque cadauer vsquam repertum est. quem casum cum populus multa de multis suspicans ferret iniquissimè, Anci liberi videntes cõmotam multitudinem, per calumniã impingebant id scelus regi Tarquinio, nulla alia

coniect

[co]niectura, nisi quòd dicerent eum voluisse multa [nou]are in Republica, ideóque sustulisse hunc ne aduersaretur ipsi ut antea: deinde quòd in tã graui casu non inquisiuisset autores facinoris, sed totum dissimulasset, non facturus ni sceleris esset conscius. ita comparata factiosorum manu è plebeiis simul & patritiis, quos adiutabant de suis facultatibus, magnam regi faciebant inuidiam: hortabantúrque populum, ne paterentur virum manus impuras admouentem sacrificiis & polluentem potestatem regiam, præsertim qui ne ciuis quidem esset, sed peregrini generis. ita concionabundi homines diserti commouebant bonam partem popularium, venientem in forum conati vt impurum pellere: non tamen veritati præualere potuerunt, nec persuadere populo reliquo vt eum regno pellerent. vt verò & ipse causam pro se dicere exorsus calumnias omnes egregiè diluit, & gener eius Tullius, cui alteram filiarum nuptum dederat, multum apud populum pollens, Romanos flexit ad misericordiam, improborum calumniatorum opinionem lucrati è foro coacti sunt discedere. is conatus vbi parum successit, reconciliationem per amicos quærentes regem inuenerunt facilem ad veniã, qui ob paternorum beneficiorum memoriam contentus fuit temere captorum pœnitentia: atque ita integro triennio manserunt in ficta amicitia. deinde occasionem nacti tali dolo eum aggressi sunt. iuuenes duos coniuratorum audacissimos pastorali habitu & falcibus lignatoriis instructos meridie miserunt in regiam, præmonitos quid eos dicere oporteat, quóve modo rem gerere. qui vt in vestibulum peruenerunt, magno tumultu se inuicem conuitiis lacessentes, ne manibus quidẽ tẽperabant, ambóque magna voce regem appellabant, præsentibus

bus multis coniuratis æquè rusticano habitu, vtrin-que paratis huic illive adesse ac testari de iniur- vocati intro ad regem, iussique litē proponere, aie-bant se contendere de caprarū gregibus, vociferan-do, obstrependóque sibi inuicē. & nihil ad rem di-cendo, sic vt risum mouerent omnibus. ita inter lu-dibria regem incautum aggrediuntur falcibus, & grauiter sauciato per ianuam se proripiunt. sed conclamatione facta multis accurrentibus à fuga retracti, tormentísque admoti, coacti sunt autorem insidiarum prodere, ac mox meritum dederūt sup-plicium. ita rex Tarquinius fato concessit, cum per triginta octo annos, quibus regnauit, multa & ma-gna in Rempublicam contulisset beneficia.

DIONYSII
ALEXANDRI F. HA-LICARNASSEN.
Antiquitatū siue Ori-ginum Romana-rum,
LIBER IIII.

Continet res Seruij Tullij & L. Tarquinij Superbi regum Rom. vltimi, tempus autem annorum LXIX.



ARQVINIO *defuncto in prin-cipatum successit gener eius Tul-lius, anno quarto quinquagesimæ Olympiadis, qua in stadij cursu vicit Epitelides Lacon, principe Athenis Archestratide: de quo iam*

[...]am prosequenda est narratio quam supra distulimus, de parentibus eius, quidve priuatus ante acceptam regiam potestatem gesserit. ac primum de genere ipsius dicam quæ mihi videntur maximè verisimilia. Corniculanus quidam in Latio vir regij sanguinis nomine Tullius uxorem habuit Ocrisiam præstanti forma & pudicitia fœminam. hac marito in Corniculi expugnatione occiso prægnans inter captiuos abducta, in prædæ partem Tarquinio extra sortem honoris causa concessa est, quam ille dono dedit coniugi. Tanaquil omni eius fortuna cognita paulò pòst manumisit mulierem, eique maximam semper beneuolentiam & honorem exhibuit. ex hac Ocrisia etiam tum ancilla natus est puer, cui mater supra gentile nomen Tullij, prænomen addidit Seruio, de præsenti conditione sumptum, quòd in seruitute eum peperisset. Seruius enim Græcè dici posset Δοῦλιος. *Latini tamen aliter & penè fabulosè natales eius narrant, quemadmodum apud multos eius gentis scriptores inuenio, si tale quid de diis fas est credere. è foco regiæ, ubi cum alia sacra domestica solent fieri, tum canarum libari primitiæ, extitisse virilis membri speciem. id primam conspicatam Ocrisiam, quæ ex more liba eò tulerat, indicasse regibus. viso prodigio miranti marito Tanaquilem mulierem & alioqui prudentem & Thuscarum cum primis peritam artium dixisse solam soli, fatale esse in regia maiorē homine prolem nasci ex ea fœmina quæ cū spectro illo concumberet. id cum confirmassent alij quoque prodigiorum interpretes, placuisse regi ipsam cum eo coire, cui prima apparuerit: ac mox mulierē nuptiali ornatu excultam inclusam esse in id cubiculum. congressamque cum quopiam deo vel genio, siue is Vulcanus fuit, ut vulgaris est opinio, siue familiaris*

liaris Lar, postquam is disparuit grauidam factam legitimis mensibus exactis peperisse hunc Tullium. id ne fabulosum videretur, fides rei prodigio nouo confirmata est. puero enim in reginæ cubiculo meridianti flamma emicuit è capite, matre ipsaq; reginas inspectante cum mulieribus & aliis qui tum forte aderant: nec prius ardere caput desiit, quàm excitato à matre flamma simul cum somno euanuit. atque hæc sunt quæ feruntur de eius origine. merita verò, quibus adhuc priuatus regis simul & populi Romani consecutus gratiam secundus à rege est habitus, fuerunt huiusmodi. Penè puer primo bello Hetrusco, quod auspiciis Tarquinij gestum est, in equestribus pugnis tam insignem præbuit operam, vt vulgo celebraretur militaribus donis decoratus ante alios. altera deinde in eã gentem expeditione cum acre prælium commissum esset ad Heretum, fortissimus omnium iudicatus rursus à rege coronas accepit aliquot. anno autẽ ætatis ad summum vigesimo præfectus auxiliis quæ socij Latini nominis miserant, in subigẽdis Hetruscis multum adiuuit Tarquinium. Primo bello Sabino magister equitum profligauit equitatum hostium, & vsque Antemnam vrbem prouectus, tum quoque ob rem sua potissimum opera bene gestam accepit præmia. in aliis etiam multis cum hac gente conflictibus, nunc equitũ nunc peditũ dux, semper declarauit eximiam generositatem animi, & præ aliis coronas assecutus est. ac demum perdomito hoc hoste, deditísque Sabinorum oppidis, visus Tarquinio fuisse causa victoriæ, nouis coronis ab eo honoratus est. nec minor seipso pacis artibus, prudentissimus fuit singularíque eloquentia præditus, & cuiuis fortunæ ferendæ idoneus, vt qui sciret se accommodare moribus omnium. ob has virtutes

suffrag

[S]uffragiis populi Romani è plebeio ascitus est in patriciorum ordinem, sicut ante Tarquinius, atque ante hunc ipsum Numa Pompilius, Rex ipse generum sibi asciuit, iuncta ei filiarũ altera: & si quid per se morbo senectáve impeditus obire non poterat, huius opera vtebatur, non in domesticis tantum, verumetiam in publicis negotiis: in quibus omnibus aequum se ac fidum praestitit, nec referre putabant ciues Tarquiniúsne Rempubl. curaret an Tullius, adeò deuincti erant eius beneficiis. Ergo cum & regali esset ingenio, & à fortuna multis gradibus promotus post Tarquinium interemptum ab Anci Marcij filiis paternum principatum recipere conantibus, visus est sibi vocari ad regnum ab ipsa Repub. & vt vir industrius non emisit hanc occasionem è manibus. Multum hic valuerunt & reginae viduae consilia, quae generosi fouebat, non ignara in fatis esse vt is vir ad regnum Romanum perueniat. erat autem iamdudum orbata filio iuuene qui duos infantulos superstites reliquerat. quare destitutam se cogitans, & verita ne Marcij regno potiti pueros tollerent, omnémque cognationem regis extinguerent, primùm regia clausa custodes adhibuit necui vel aditus pateret vel exitus. deinde iussis omnibus excedere cubiculo in quo Tarquinium seminecem deposuerant, Ocrisia tantum cum Tullio coniugéque ipsius sua filia retentis, & accitis cum nutricibus pueris, sic eos affata est. Vides Tulli regem nostrum Tarquinium, qui te alumnum suum prae omnibus amicis & cognatis in honore habuit, impiorum manibus adductum ad fatalem terminum prius quàm vel domesticas res disponere, vel prospicere publicis, vel nostrum cuiquam extremum vale dicere potuerit. supersunt hi miselli

& iter

& iterum iam orbati parente pueri, quorum in-columitas in maximo nunc versatur discrimine. nam si ad Marcios aui eorum interfectores peruenerint gubernacula reip. miseris modis eis pereundum est: ac ne vobis quidem vita in tuto erit, quibus Tarquinius maluit quàm illis locare filias, si paricidas regno potiri patiemini, omnésque cognatos & amicos idem inuoluet periculum: ne nobis quidem parcetur miseris mulieribus, sed omnes nos clámue palámue conabuntur illi perdere. Hæc igitur cum ita se habeant, non conniuendum est nobis dum nefarij paricidæ vobis infensissimi grassantur ad imperium, sed obsistendum & vetādum astu primùm, quando præsens rerum status ita postulat: deinde postquam primus conatus nobis successerit, apertè iam aduersabimur, & armis eos arcebimus: si tamen his opus erit, modo ne pigeat nunc quæ facienda sunt facere. Quænam hæc? Ante omnia regis mortem occultemus spargendo famam nullum acceptum esse vulnus letale: medici quoq; promittant intra paucos dies restituendum sanitati pristinæ: quo facto ego progressa ad populū quasi regis nomine mandata referam: committere eum curam & custodiam tam propriæ domus quàm reipublicæ, interim dum ipse conualescat, alteri generorum Seruio Tullio. id populus libenter accipiet, iam antè assuetus tua Tulli imperata facere: ita præsenti discusso periculo (collabentur enim vires inimicorum audito regem viuere) tu accepta cum fascibus & armis potestate, voca insidiatores Tarquinij vitæ in populi iudicium, primósque omnium Marcij filios, & ius postula. si comparuerint, plectito eos capite. sin, quod est verisimilius, causam deseruerint, bonis mulctato exilióque perpetuo. ac tum denique ad res componendas versus officiis &

comit

comitate conciliabis tibi fauorem multitudinis, præcipuè verò innocentiæ cura, & in egenes ciues liberalitatis ac beneficentiæ. post hæc vbi visum fuerit tempestiuum, dicemus regem defunctum, & funerabimus eum magnificè. postremum est quod mihi abs te licet meo iure petere, vt quando à nobis enutritus & institutus es, indulgentérque habitus non secus quã filij solent à parentibus, & degis vitam cum nostra filia, si ad regnum quoque me prouehente peruenire tibi dabitur, pueris istis paternam exhibeas beneuolentiam: & cũ ad eam ætatem venerint qua sit par administrandæ reipublicæ, maiorem natu Romanis præficias. His dictis, puerísque altero post alterum in generi ac filiæ vlnas miserabiliter impositis, maturè cubiculo egressa, domesticos iussit parare curationi necessaria, simúlque conuocare medicos: cúmque per noctem superuenientem interquieuisset, mane concurrentem ad regiam populũ per fenestras in nouam viã versas allocuta est, autores capitalium insidiarum indicans, productis vt erant vincti ministris eius facinoris. cuius indignitate commota multitudine, & irritata contra noxios, tandem ait eos nihil scelestis consiliis proficere, quando cædem animo destinatam perpetrare nequiuerint. ad hæc verba exhilaratis, commendat eis Tulliũ, quasi declaratum à rege priuatorum ipsius negotiorum simúlque publicorum curatorem omniũ, tantisper dum haberet melius. itaque populus lætus abiit, ratus regis saluti nihil esse periculi, in quo errore diu perstitit. Tum verò Tullius valida manu stipatus cum lictoribus in comitiũ progressus, Marcios per præconem citauit in iudicium, & absentes damnauit exilio perpetuo, bonis etiam eorum in fiscum relatis, atq; ita iam tuto regnabat pro Tarquinio. Nunc priusquam

quam ad vlteriora narratio transeat mihi causa reddenda est cur à Fabio alijsque qui hos à Tarquinio superstites pueros filios eius fuisse tradunt dissentiam, ne quis lectis illorum monumentis credat me data opera fingere, qui non filios sed nepotes fuisse dixerim. Omnino enim inconsideratè ac negligenter hac parte quidam scripserunt, non excussis absurditatibus quæ fidem ipsorum eleuent, quas ego paucis conabor ostendere. Tarquinius ex Hetruria cum familia migrauit ætate iam matura prudentiæ, vt qui solum vertisse feratur, quia non admitteretur ad honores & curam reipublicæ. alius igitur cum diceret tum fuisse vt minimum trigenarium, quod hanc ætatem leges censeant magistratibus idoneam & negotiis publicis: ego quinquennium integrum detrahens, X X V. annorū eum faciam. Venisse autem eum cum Hetrusca vxore, quam viuo suo patre duxerat, omnes Romani scriptores consentiunt: quorum Gellius aduentum eius refert in annum Anci Marcij regni primum, in octauum Licinius, Sit ita vt scribit Licinius, nam si non prius, certè posterius non venit: quandoquidem nono Anci anno ad bellum Sabinū magister equitum ab ipso rege missus est, si utrique scriptori credimus. quòd si X X V. annos natus Romam venit & circiter octauum regni eius annū in Anci amicitiam receptus, X V I I. reliquos i xegit cum eo qui in totum regnauit annos X X I I I I, ipse verò successor X X X V I I I, vt omnes consentiunt, sequitur vt octogenarius sit mortuus. is enim numerus ex hac supputatione colligitur. habuisse autē eum vxorem quinquennio se iuniorem probabile est, hoc est cum ipse moreretur natam annos L X X V. quæ nouissimum filiorum pepererit anno ætatis suæ quinquagesimo. Vlterius enim non fert vterum fœmina,

sed

sed hic est partuum terminus, ut scribunt quibus cura fuit perscrutati talia. cum filium oportet viginti quinque annorum fuisse quando patre orbatus est: Lucium verò non minus XXVII. *qui natu erat grandior. Ergo Tarquinius nullos infantes superstites reliquit filios susceptos ex hac muliere. Ad hac si virilem ætatem habuissent filij, nec pater fuisset occisus, nec mater adeò misera & diis inuisa fuisset fœmina, ut liberos suos spoliaret principatu hereditario, cúmq; serua nato & nil ad suam cognationem attinenti traderet. ne filij quidē fraudari se paterno regno per ignauiā siuissent in ipso ætatis flore, vel ad exerendam eloquentiam, vel ad rem manu gerendā aptissimo. quos Tullius nec generis nobilitate præcellebat, nec ætatis prærogatiua, triennio tantum eorum alterum superans. quapropter nunquam regnū usurpanti vltro cessissent de iure suo. Quin & alia quædam insunt in hac opinione inconuenientia. quæ omnes historiæ Romanæ conditores parum animaduertisse videntur, vno excepto quem paulò post nominabimus. in confesso enim est Tullium in occupato post Tarquinij mortem regno explesse annum* XL. *igitur si quando successione fraudatus est grandior Tarquinius* XXVII. *annorum fuit, septuagenario maior erat quando interfecit Tullium at scriptores tradunt eum tunc fuisse ætate vigentissima: addúntque arreptum ab eo regem medium, elatúmque è curia per gradus datum præcipitem: post quod facinus vigesimoquinto demum anno pulsus est, quando cum Rutulis bellum gerens omnia per se obibat imperatoria munia, quod incredibile est de eo qui nonagenario sex annis sit grandior. exactus etiam regno bellum cū populo Romano gessit annis quatuordecim, ipse, interim ab armis non tēperans:*

r 2 id

id quod in monumenta relatũ fidem de tam grandæuo non inuenit, quem oportebat tunc decimũ supra centũ annum excedere: tam longam autem vitam non est reperire in nostris regionibus. Has absurditates quidam Romani historici aliis absurditatibus diluere conati sunt, pro Tanaquile matrem liberorum substituentes quandam Geganiam, nusquam nominatam in historiis. Certè hoc coniugiũ Tarquinio non conuenit penè octogenario, nec ea ætate liberorum procreatio est credibilis. neq; enim omnino carebat prole, vt eius desiderio teneretur, quippe duarum filiarum pater, idq; nuptarum. quare tot simul impoßibilia reputanti mihi placuit sequi potius autoritatem L. Pisonis Frugi. qui solus non filios fuisse, sed nepotes, scribit in suis Annalibus: nisi forte natura nepotes, adoptione filij regis facti sunt, quod fallere potuit rerum Romanarum scriptores cæteros. Nunc à diuerticulo repetamus institutum narrationis ordinem. Adeptus vicariam reip. administrationem Tullius, pulsa factione Marcia iam securus, regem Tarquinium quasi recens tum ex vulneribus mortuum magnifico funere extulit, monumentóque insigni cõdidit, aliísque ornauit honoribus: ac deinceps regiorum puerorum tutor habitus, simul patrimoniũ eorum curabat, simul negotia reipublicæ. id molestum fuit patritiis indignantibus quòd ipse sibi malitiosis artibus asseruisset potestatem regiam, non à senatu decretam, nec acceptam ritu legitimo. quamobrem sæpe potentiores eius ordinis occultis cœtibus agitauerunt de abrogando illi principatu vt illegitimo: placuítque vt quàm primum Tullius senatum indiceret, cogerent eum fasces & reliqua insignia deponere, ac mox creatis interregibus per illos legitimum regem eligerent. quo cognito Tull

...o Tullius ad promerendum plebis fauorem & sub... andos inopes adiecit animum, vsurus ad dignitatem suam tuendam illorum opera: & productis in concionem pueris ex altiore loco sic populum allocutus est. Magna mihi necessitas incumbit, Quirites, curandi pueros hos teneros. Nam auus eorum Tarquinius orbum me larísque egenum exceptum educauit pariter cum suis liberis, & matrimonio iunxit mihi filiarum alteram, totóque vitæ suæ tempore paternum, vt scitis, affectum erga me obtinuit multis ornans honoribus. tandem post infelicem illum casum, siquid humanum sibi accideret, mihi curam nepotum credidit. quis igitur me diuini humaníue iuris oblitum non diceret, si desererem aut proderem pupillos quibus tam ingentem debeo gratiã? verùm nec meæ fidei deero, nec horum deseram solitudinem, quantum equidem potero. Aequum âutem est vos quoque meminisse beneficiorum ab horum auo collatorum in rem publicam: qui tot Latinorum vrbes antehac æmulas vestro subiecit imperio, sicut Hetruscos quoque vniuersos vicinarum gentium potentissimos, Sabinos etiam imperata coëgit facere: atque hæc omnia confecit nullis laboribus parcẽs aut periculis. quapropter quandiu ipse vixit, illi vos decuit pro beneficiis habere gratiã: nunc verò postquam fato functus est, posteris eius referenda est, ne videamini cum corporibus simul defodere beneficiorũ memoriam. Sic igitur cogitate, quasi vniuersi curatores relicti sitis his pueris, & cõfirmate eis auitum imperium. non enim æquè illis prodesse potest mea vnius tutela, atque commune ciuitatis auxilium. hæc dicere coactus sum, quia sensi conspirasse quosdam vt regnum aliis traderent. Licebit autẽ Quirites & meos labores reuocare vobis in memoriam,

quos nec paruos nec paucos impendi reipublicæ, quos apud scientes vos recensere necesse non habeo: pro his gratiam si qua mihi debetur, istis reponi cupio. non enim mihi regnum astruo, quo tamen indignus non videor: sed Tarquinij posteris opem ferens accepi rerum gubernacula. quamobrem supplex oro ne destituatis pupillos nunc de principatu periclitantes: quòd si primus conatus inimicis successerit, exulaturos etiam in perpetuum. Verùm de his quæ & scitis ipsi, & facietis ita vt facere conuenit, nihil addam amplius. Superest vt audiatis quid excogitauerim in vestrum commodum, cuiúsve rei causa vos in concionem aduocauerim. Quotquot vestrum ære alieno grauati non sunt soluendo propter inopiam, his ego succurrere paratus, quoniam ciues sunt & multos labores exantlarunt pro patria, ne libertatis publicæ propugnatores amittant propriam, de meo pecuniam dabo qua satis fiat creditoribus. Si qui autem in posterum à fœneratoribus mutuum acceperint, eos ob æs in neruum duci non finam: cauebóque lege ne fœneratoribus ius sit in libera corpora, sed contenti sint debitoris facultatibus. Et vt tributorum collationem, propter quæ pauperes ære alieno grauantur, feratis leuius, volo censeri bona omnium, & pro suo quenque censu conferre, sicut in magnis & bene institutis ciuitatibus fieri audio. Iustum enim existimo & reipub. vtile, ut qui multum poßident multum conferant, parum verò qui sunt in re tenui. Placet etiam mihi agrum publicum armis vestris quæsitum non ab impudentißimo quoque, vt nunc fit, occupari, nec gratis acceptum, nec compapatũ pretio: sed eorum esse qui adhuc exortes sunt, ne mercede seruiatis cum sitis liberi, vtque non alienos fundos colatis sed proprios.

prios. ni

acies.nihil enim generosum potest sapere qui quotidiani victus penuria premitur. postremo decreui aequare ius ciuium, vt aequo iure assuescant viuere. quosdam enim tantum sibi arrogare audio, vt non vereantur plebeios contumeliis afficere, & pauperes proscriptis habeant. itaque vt minoribus quoque contra potentiores iure agere liceat, leges feram quae pariter omnibus conueniant prohibentes violentiam & custodes iustitiae: & ipse nunquam hanc aequalitatem tueri desinam. Haec oratio vehementer concioni placuit, aliis fidem eius erga bene meritos laudentibus, aliis benignitatem in pauperes, aliis moderationem & humiliorum patrocinium, omnibus verò iustitiam & aequitatem viri complectentibus atque admirantibus. Dimissa concione, sequentibus diebus obaeratos iußit dare nomina, qui fidem suam liberare nequirent. simulq; ascribi quantum quisque debeat: quibus recognitis mensas in foro posuit & in omnium conspectu debitam pecuniam annumerauit creditoribus. His peractis edictum regium proposuit, vt omnes qui publicum agrum priuatim vsurpassent, intra certam diem eo decederent, & eorum qui nulla praedia rustica haberēt, deferrentur ad se nomina: legesq; Romuli & Numae Pompilij vetustate neglectas in vsum reuocauit, & nouas ipse tulit alias. Hanc eius administrationem molestè ferebant patricij, videntes diminui senatus potentiam statimq; mutauerunt consilium qui enim prius principatum vt illegitimum abrogare illi voluerant, creatisq; interregibus per illos declarare alium regem legitimum, iam cōtenti praesenti statu nil satagendū putabāt amplius. Subibat enim eos cogitatio, si senatus aliquē à se electū admoueret regni gubernaculis, fore vt plebs refragaretur continuo. si verò plebi permitteretur libera

regis electio, Tullium habiturum omnium suffragia, iamq́; futurum regem legitimum. Visum est igitur consultius sinere eum in principatu surreptitio, quem obtineret deceptis magis quàm persuasis ciuibus. Sed nihil profecerunt huiusmodi rationibus: adeo callidis artibus occurrit eis Tullius, vt vel inuitis eis regnare pergeret. Sparsis enim iam antè rumoribus de patritiorum insidiis, mœstus & sordidatus in forum prodiit, comitantibus matre Ocrisia & socru Tanaquile totáque cognatione regia. ad quod inopinatum spectaculum multis confluentibus, conscenso tribunali sic concionatus est. Non de Tarquiniorum puerorum securitate modò agitur Quirites, sed iam mihi ipsi timere cogor, ne triste aliquod iustitiæ feram præmium. Appetor enim patritiorum insidiis, & indicatum est mihi coniurasse aliquot eorum in meam perniciem, nulla vel magna vel parua læsos iniuria, sed quia in plebem fui & esse porrò volo beneficus, id verò eos male habet quasi indignum facinus: fœneratores, quia pauperibus libertatem seruaui incolumẽ: alios qui coacti sunt occupato per se publico agro cedere, quia terram vestro sanguine partam tam iniquo animo relinquunt quàm proprium patrimonium. sunt qui censum ægre ferant, quòd in impensas bellorum posthac contribuendum sit illis pro suis cuique facultatibus. communis autem omnium dolor est quòd iuxta leges scriptas assuescent æquo iure vobiscum viuere, nec tanquam emptitiis abutentur pauperibus, vt nunc faciunt. His de causis communicato consilio coniurauerunt reductis prius exulibus, mox ad Marcij filios regnum deferre: quibus vos ob necatum regem vestrum Tarquinium, virum bonum & amatorem reipublicæ, vt qui conscientia sceleris deserta causa vltroneo sese damnarint exilio, a

[illegible]o, aqua & igni interdixistis. reduxissentque in- tempesta nocte stipatos cateruis externorum militum, nisi maturè fuissent indicio proditi. cætera ipsi vel me silente intelligitis, quòd Marcij si patritiorum auxilio tam facilè rerum potiti fuissent, primum me tutorem regiorum puerorum arripuissent, deinde hosce pueros & cæteros cognatos atque amicos Tarquinij cunctos interfecissent: uxores autem & matres ac filias nostras, reliquásque fœminas, habuissent in mancipiorum numero homines immanes & tyrannico spiritu. Igitur si etiam vobis Quirites placet homicidas illos reductos regno præfici, benefactorum verò vestrorum posteros auito principatu fraudatos eiici, feremus fortunam quamlibet. oramus tamen per quicquid usquam est deorum atque geniorum quibus curæ sunt res mortalium, supplices vobis unà cum uxoribus & liberis, ut pro plurimis Tarquinij puerorum istorum aui officiis quibus vos demereri perpetuo conatus est, proq; non paucis quibus ego ipse quantum mihi fuit virium prodesse laboraui vestris commodis, reponatis nobis unicam hanc gratiam, videlicet indicetis vestram sententiam. Si enim alios quospiam digniores quibus hic honor deferatur quàm nos ducitis, pueri quidem isti & reliqua Tarquiniorum cognatio relicta patria proficiscentur in exilium. cæterùm ego mihi ipse aliter consulam. iam enim satis & ad virtutem & ad gloriam viximus: neque sustinuerim frustratus vestra beneuolentia, qua nihil habeo carius, turpiter apud alios quoscunque viuere. accipite hos fasces, & si ita videtur, date patritiis, ego vobis amplius molestus non ero mea præsentia. Hæc dicentem & de tribunali descendere parantem clamor vndique ingens excipit, mixtæq; lacrymis preces, maneret, rerúmque habenas retineret

timore posito. deinde subornati quidam passim turbæ inserti vociferabantur creandum eum regem, postulantes vocari ad suffragia curias. à quibus initio facto mox plebs vniuersa in eam inclinauit sententiam. Id animaduertens Tullius occasionem oblatam cupidè arripuit, Se verò gratias illis maximas habere professus quòd beneficiorum essent memores, maiora insuper pollicendo si rex ab eis declararetur: simúlque diem indicit comitiis, quibus agrestium quoque multitudinem vniuersam interesse voluit. Fiunt curiata comitia, & distribuuntur calculi. Itaque omnium curiarum consensu dignus regno iudicatus, valere iussis patribus conscriptis, qui nolebant ratam habere plebis voluntatem vt eis mos erat, principatum obtinuit. Ad hunc modum regno potitus, præter alia multa quæ domi præclarè instituit, bellum etiam cum Hetruscis gessit maximum. Sed prius acta eius dicentur quæ ad reip. ordinationem attinent. Mox vt regnum adeptus est, agrum publicum ciuibus ob egestatem mercenariis diuisit, deinde curiatis comitiis leges tulit de contractibus & iniuriis. erant autem L. quas nunc nõ est necesse vt enumerem. vrbi duos colles Viminalem & Esquilinum addidit, singulos iusta oppidi magnitudine: atque ibi loca ciuibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. ipse quoque Esquiliis habitauit loco regionis eius commodissimo. Hic regum vltimus vrbis pomaria protulit, duobus ad quinque colles additis, auspicato & re diuina ritè peracta vt mos fuit. Vlterius non processit eius ambitus, religionibus vt fertur non permittentibus. Suburbia quàm latè patent immunita sunt & hostium incursibus obnoxia: quæ adeo vrbi coniuncta sunt, vt magnitudinem eorum considerantes fallãtur, nec certò discernere queãt vbinam

ea vel

vel incipiat vel desinat. ita urbanis ædificia suburbana perpetuo nexu cohærent, in infinitam longitudinem porrectæ urbis existimationem spectantibus præbentia. quodsi quis mœnia, inuentu difficilia propter vndique coniunctas ædes, vestigiis veteris structuræ perlustrata conferre Athenarum amplitudini voluerit, non multo capacior apparebit Romæ ambitus. Verùm describendæ eius magnitudini ac pulchritudini, quæ nunc est, alius locus erit commodior. Ceterùm Tullius postquam septem colles vno muro complexus est, vrbem in quatuor partes diuisit à collibus cognominatas, Palatinam, Suburranam, Collinam, Esquilinam, & quatuot tribus esse fecit quæ ad id temporis tres fuerant, suosq; cuique tribules ascripsit diuisa habituros munia nec mutaturos domicilium: ita vt in quaque seorsum delectus militum & collationes tributorum fierent: nec iam iuxta tres illas generales tribus, vt antea, sed iuxta has quatuor per locos à se digestas ordinabat militiam tribunis in singulas præpositis. quos iussit scire quam ciuium quisque domum incoleret. deinde per omnia compita mandauit vt viciniæ sacella lignea dedicarent laribus, & quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus. Sacrificis compitalia sacra facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit, quasi hoc gratius esset laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant paucis diebus post Saturnalia cum primis celebre & sumptuosum compitalium appellatione: duratq; mos ille priscus in sacris placandi genios per seruorum ministeria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate mansuetiores redditi dominos cariores habeant, & leuius ferant suæ fortunæ inclementiam. Diuisit & vniuersum agrum,

vt Fab

timore posito. deinde subornati quidam passim turbæ inserti vociferabantur creandum eum regem, postulantes vocari ad suffragia curias. à quibus initio facto mox plebs vniuersa in eam inclinauit sententiam. Id animaduertens Tullius occasionem oblatam cupidè arripuit, Se verò gratias illis maximas habere professus quòd beneficiorum essent memores, maiora insuper pollicendo si rex ab eis declararetur: simúlque diem indicit comitiis, quibus agrestium quoque multitudinem vniuersam interesse voluit. Fiunt curiata comitia, & distribuuntur calculi. Itaque omnium curiarum consensu dignus regno iudicatus, valere iussis patribus conscriptis, qui nolebant ratam habere plebis voluntatem vt eis mos erat, principatum obtinuit. Ad hunc modum regno potitus, præter alia multa quæ domi præclarè instituit, bellum etiam cum Hetruscis gessit maximum. Sed prius acta eius dicentur quæ ad reip. ordinationem attinent. Mox vt regnum adeptus est, agrum publicum ciuibus ob egestatem mercenariis diuisit, deinde curiatis comitiis leges tulit de contractibus & iniuriis. erant autem L. quas nunc nō est necesse vt enumerem. vrbi duos colles Viminalem & Esquilinum addidit, singulos iusta oppidi magnitudine: atque ibi loca ciuibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. ipse quoque Esquiliis habitauit loco regionis eius commodissimo. Hic regum vltimus vrbis pomæria protulit, duobus ad quinque colles additis, auspicato & re diuina ritè peracta vt mos fuit. Vlterius non processit eius ambitus, religionibus vt fertur non permittentibus. Suburbia quàm latè patent immunita sunt & hostium incursibus obnoxia: quæ adeo vrbi coniuncta sunt, vt magnitudinem eorum considerantes fallātur, nec certò discernere queāt vbinam

ea vel

vel incipiat vel desinat. ita vrbanis ædificia subnana perpetuo nexu cohærent, in infinitam longitudinem porrecta vrbis existimationem spectantibus præbentia. quodsi quis mœnia, inuentu difficilia propter vndique coniunctas ædes, vestigiis veteris structuræ perlustrata conferre Athenarum amplitudini voluerit, non multo capacior apparebit Romæ ambitus. Verùm describendæ eius magnitudini ac pulchritudini, quæ nunc est, alius locus erit commodior. Ceterùm Tullius postquam septem colles vno muro complexus est, vrbem in quatuor partes diuisit à collibus cognominatas, Palatinam, Suburranam, Collinam, Esquilinam, & quatuot tribus esse fecit quæ ad id temporis tres fuerant, suosq́; cuique tribules ascripsit diuisa habituros munia nec mutaturos domicilium: ita vt in quaque seorsum delectus militum & collationes tributorum fierent: nec iam iuxta tres illas generales tribus, vt antea, sed iuxta has quatuor per locos à se digestas ordinabat militiam tribunis in singulas præpositis. quos iussit scire quam ciuium quisque domum incoleret. deinde per omnia compita mandauit vt viciniæ sacella lignea dedicarent laribus, & quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus. Sacrificis compitalia sacra facientibus non ingenuos, sed seruos ministrare voluit, quasi hoc gratius esset laribus: quod festum nostra quoque ætate Romani agitant paucis diebus post Saturnalia cum primis celebre & sumptuosum compitalium appellatione: duratq́; mos ille priscus in sacris placandi genios per seruorum ministeria, qui temporaria libertate fruuntur per eos dies, vt hac honorifica humanitate mansuetiores redditi dominos cariores habeant, & leuius ferant suæ fortunæ inclementiam. Diuisit & vniuersum agrum,

vt Fab

vt Fabius autor est, in partes XXVI. *quas ipse t[illegible] bus nominat, ita vt triginta fiant vrbanis qua[illegible]r ad has additis. Cato certè tot eas fuisse dicit iam tum regnante Tullio. Ego libentius accesserim Venonio, qui triginta & vnam tribus numerat. tacito agri partium numero. Cæterùm quotcunque fuerũt, Tullius in montanis & natura munitis tumulis tuta agrestibus parauit refugia, pagósque dixit Græco vocabulo. eò se omnes recipiebant sub aduentum hostium & ibi pernoctabant sæpius. his quóque sui magistratus præerant, ad quorum curam pertinebat scire paganorum nomina, & ex quibus se alerent prædiis: tum quoties opus esset rusticos ad arma vocare, aut tributa viritim exigere, hi delectus habebant & recipiebant pecunias. Vt autem etiam rusticanæ multitudinis facilius iniri posset numerus, per singulos pagos aras iußit dedicari diis tutelaribus, quotannísque ibi conuentum fieri & sacrificium, festum hoc cum primis religiosum constituens vocatum paganalia, simúlque eorum sacrorum ritus, qui nunc quoque seruantur, conscripsit. ad id sacrificium eúmque conuentum omnes paganos iußit in singula capita conferre certũ numismatis genus, sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes quibus cõnumeratis per sacrorũ præsides apparebat hominum numerus per sexus ac ætates distinctus. Tradit L. Piso in primo Annalium, voluisse eum & vrbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam sumerent: statuisséque quanti pretij nummos pro singulis inferre deberent cognati in ærarium Ilithyæ (Romani Iunonem Lucinam vocant) pro nascentibus: in Veneris quæ in luco sita est (ipsi Libitinam appellant) pro defunctis: in Iuuentutis pro togam virilem*

em ſumentibus: vnde poterat noſſe annis ſingulis quantus eſſet in vniuerſum numerus ciuium, tum quam multi ex his eſſent per ætatem idonei militiæ. His ita inſtitutis iuſsit cenſeri bona omnium ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adſcriptis ætatis annis & parentum nominibus, atq; adeo liberorum etiam atq; coniugum: ad hæc quam quiſque regionem vrbis quémve pagum incoleret: ei qui non cenſeretur pœna propoſita, vt bonis in fiſcum redactis, cæſus virgis ſub haſta veneat: diúque lex ea Romanis ſeruata eſt. Peracto cenſu cum ex ſcripto & ipſorum numerũ & opes eorum cognouiſſet, cõmentus eſt inſtitutũ longe prudentiſsimum, & reipublicæ ſaluberrimũ vt res docuit. id fuit tale: vnam ſelectam ex omni numero partẽ, cuius maximus cenſus erat, nec minor centũ minis, in octuaginta centurias digeſtam, arma habere imperauit, clypeum arginum, loricã ex ære galeamq; & ocreas, tela haſtam & gladium. ex his quadraginta centurias fecit iuniorum qui foris bella gererent: totidem ſeniorum qui manerent ad vrbis cuſtodiam. hæc prima claſsis fuit. eius iuuentus primũ ſemper locum tenebat in acie. Secunda claſsis cenſus erat intra decem millia drachmarũ vſq; ad minas ſeptuaginta. ex his conſcriptæ viginti centuriæ: arma geſtare iuſsi eadem, niſi quòd loricæ adempta, & ſcuta data pro clypeis. hic quoq; nati ſuper quadrageſimũ quintum annum à militari ætate diuiſi, centuriæ decem iuniorũ qui ad bella emitterentur, totidem ſeniorum ad ſeruanda mœnia. huic claſsi ſecundus locus dabatur in acie. Tertiæ cenſus vt ad ſepties mille & quingentas drachmas non perueniebat, ita L. minas excedebat. his non ſolum loricæ adempta ſicut proximis, ſed & ocreæ, eundem numerum centuriarum explentibus, diuiſarum æquè in denas ætatis

diſcrim

discrimine. locum in acie tuebantur post secundam classem proximum. ex reliquis rursus [illegible] detraxisset qui minus quinque millibus drachmarum in bonis possiderent, vsque ad viginti minas, quartam classem fecit, aquè viginti constantem centuriis, decem vigentium cum maximè, totidem maturitatem iam egressorum, quemadmodum & priores distinxerat. arma his imperata, scuta, hasta, & gladij, locus assignatus in postrema acie. in quintam classem reiecti sunt quorum facultates censerentur inter vigintiquinque minas & duodecim cum dimidia. triginta erant centuriæ pro ætatis ratione diuisa pariter, quidecim seniorum, iuuenum totidem: his imperatum vt cum fundis & iaculis militarent extra ordines: iussa etiam armatos sequi quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum & machinarum fabricam, totidem cornicinum, tubicinum, quique aliis instrumentis signa canerent. opifices in secunda classe censebantur, ascripta senioribus vna eiusdem ætatis centuria: altera iuniorum stipendia faciebat cum iuuenibus. tubicines & cornicines quartæ classis pars erant, pari ætatis discrimine. centuriones deinde præfecti, vt quisque erat virtutis spectatissimæ, qui centurias imperatis peragendis assuefacerent. Hi ordines fuere tam legionariorum quàm leuis armaturæ peditum. cæterùm equitum delectum habuit ex opulentissimis nobilium. horum octodecim centurias primis illis legionariorum LXXX. centuriis attribuit cum suis præfectis viris illustrissimis. Reliquos ciues quorum census minor fuit duodecim minis cum dimidia, sed numero non cedebant quinque classibus aut superabant etiam, in vnum ordinem congestos immunes fecit à tributis

simul

Simul & militia, Sex classes Romani vocant, quas κλήσεις Græci dicerent, vnde illi detorserunt vocabulum: sicut quod verbum nos imperatiua forma κάλει, ipsi cala proferunt. quin & prisci Græci pro κλήσεις dicebant καλέσεις. Hæ classes continebant CXCIII. centurias. prima XCVIII. annumeratis equitibus. secunda XXII. cum opificibus. tertia XX. quarta XXII. cum cornicinibus & tubicinibus. quinta XXX. vltima pro vna censebatur egenorum centuria. His ita ordinatis delectus militum faciebat per centurias, tributa imperabat pro pecuniarum habitu. quoties enim opus haberet decem aut viginti millibus militum, ita vt populus erat diuisus in centum nonaginta tres centurias, earum quamque sibi competentem numerum præbere iubebat. pecuniam verò quanta opus esset in commeatus & alia bello necessaria, parabat eodem modo per centum nonaginta tres centurias pro ratione census & facultatum à singulis exigens. quo factum est vt ditissimi cum pauciores essent, sed in plures diuisi centurias, nunquam vacarent à militia, & plus pecuniæ contribuerent quàm cæteri: qui verò mediocres aut paruas facultates possiderent, cum viginti centuriis superarentur ab illis, per vices militarent, & parum tributorum conferrent: cæterùm quibus non satis facultatum esset, immunes haberentur ab omnibus oneribus. Nec sine causa hæc ita digessit, sed quia sciebat omnibus hominibus bellorum præmium esse pecunias, & pro his conseruandis omnes fatigari, æquum putauit vt quibus maius esset victoriæ premium, hi plus laborum et pecuniarũ impenderent: econtra quibus minus esse operæ pretium, in vtroq; minus grauarentur. Cæterùm quibus nullum immineret iacturæ periculum, prorsus immu

ſus immunes eſſent, vt qui à tributis liberarentur ob inopiam. neque tunc ſtipendia Romani accipiebant ex ærario, ſed ſuo ſumptu militabant. itaque nec tributi nomine aliquid extorquendum putabat ab his quibus ægrè quotidianus victus ſuppeteret: neque militandum eis quum nihil contribuerent, ne tanquam mercenarij alieno ſumptu in caſtris viuerent. Atque ita toto periculorum ſimul & impendiorum onere diuitibus impoſito, vt vidit eos ægrè ferre, alio modo triſtitiam eorum ſolatus eſt & iram leniit, prærogatiua quadam totius reipublicæ poteſtate illis tradita, ſummotíſque à rerum administratione pauperibus, quod tamen tum à plebe intellectum nõ fuit. ea res ſita erat in comitiis, vbi de maximis negotiis decernit populus. Diximus autem antea quòd iam olim penes populum trium horum erat arbitrium, creandi magiſtratus tam domi quàm militiæ, leges abrogandi vel confirmandi, bellum pacémve decernendi. de his rebus quoties diſceptabatur, curiatim colligebantur ſuffragia, & tantundem valebat pauperrimi quantum ditiſſimi calculus: cúmque pauci eſſent diuites præ pauperum multitudine, vincebãtur ſuffragiis. hoc intelligens Tullius ad diuites vim ſuffragiorum tranſtulit. quando enim magiſtratus creare, aut de lege cognoſcere, aut bellum inferre volebat, pro curiatis centuriata indicebat comitia. primæ ad ſuffragia vocabantur maximi cenſus cẽturiæ XVIII. *equitum,* LXXX. *peditum. hæ quia tribus centuriis plures erant quàm reliquæ, ſi conſentirent vincebant, & definiebatur ſententia. ſin minus,* XXII. *centuriæ ſecundæ claſſis inibant ſuffragia. quod ſi ne tum quidẽ conuenirẽt calculi, tertia claſſis vocabatur, ac deinceps quarta: idq; tamdiu fiebat donec nonagintaſeptem cẽturiarũ conſentirent*

ſuffragia

ſuffragia. id ſi ne poſt quintam quidem vocationem contingeret, centum nonagintaduabus centuriis pari vtrinque numero diuiſis in duas ſententias, tum demum vocabatur vltima inopum centuria immunis à tributis atque militia: & vtricunque parti accederet, eam reddebat potiorẽ altera: quod perrarum erat & penè impoſsibile. plerunque enim prima vocatione abſoluebantur comitia, raro ad quartam perueniebatur: quinta & ſexta erant ſuperuacaneæ. hoc inſtitutum tanto potiores diuitum partes efficiens fefellit plebẽ vt diximus, deceptámque amouit à tractatione Reip. omnes enim putabant ſe æquari, dum viritim ſuffragia ferũt in ſua quiſque centuria. ſed in hoc decipiebantur, quòd non animaduerterent vnum eſſe totius centuriæ ſuffragium, ſiue ea paucos ciues contineret ſiue plurimos: & quòd prima ſuffragia ferrent quæ eſſent cenſus maximi, plures quidem cæteris, ſed minorem habentes hominum numerum: maximè verò quòd pauperes vnicum haberent ſuffragium, qui cum multi eſſent, vocabantur vltimi. Hoc pacto diuites multa inſumentes & in continuis verſantes bellorum periculis æquiore animo id ferebant autoritatem adepti maximam, tranſlata in ſe poteſtate adempta immunibus. pauperes tantillum reliquũ habentes adminiſtrationis publicæ, non grauatim hac parte cedebant, contenti vacationibus & immunitatibus. quin & Reipub. ſatis proſpectum eſt, cùm penes eoſdem eſſent & conſilia publica, & conſiliorum ſua potiſsimum opera atque periculo executio. Is ordo ciuitatis multis ſeruatus eſt ætatibus. noſtra verò tempeſtate per quorũdam violentiam redactus eſt in magis plebeiam ſpeciem, non quòd centuriæ non maneant, ſed quòd à priſca illa ſinceritate nonnihil diſceſſerint, quod mihi ſæpe co-

mitia spectanti est cognitum, verùm de his rebus disserere non est præsentis temporis. Perfecto censu omnes ciues iussi sunt armati adesse in campo Martio. ibi instructos in sua quemque centuria equites, pedites, velites lustrauit rex solitaurilibus. Hostia taurus, aries & hicrus ter circũducta circum exercitum Marti mactata sunt. Hoc modo etiam nostra ætate post censum Romani lustrantur à magistratu sanctissimo, quod lustrum sua voce nominant. Sed illo lustro minus trecentis ciuibus LXXXV. *millia censa reperiuntur in censoriis tabulis. Quin & augendo ciuium numero non mediocriter prospexit, commentus rem à nullo regum animaduersam antea. illi enim quosuis exteros sine natalium conditionisve discrimine in ius ciuitatis recipientes augebant populi frequentiam: Tullius etiam seruis manumissis, nisi mallent redire in patriam, communicauit ius ciuium, iussos enim cum ingenuis bona in censum referre, in quatuor vrbanas tribus distribuit. in quas & nostro tẽpore mos est referri hoc genus ciuium. Libertinos admisit ad omnia plebeiorum munia. Id suum factum cum videret improbari patritiis, aduocata concione mirari se dixit, primum si natura non fortuna putarent seruos differre à liberis: deinde si dignitatem eorum metirentur conditione potius quàm moribus, præsertim cum viderent quàm instabilis & versatilis res sit felicitas: adeo vt nemo quantumuis beatus certò scire valeat quàm diu talis futurus sit, exemplis deinde propositis considerare eos iussit quàm multæ Græcæ barbaræve ciuitates è seruitute in libertatem vindicatæ ac rursum è libertate in seruitutem redactæ sint. addebat stultũ esse quibus libertatem concessissent, eis inuidere ciuitatis ius. aut enim non manumittendos si mali*

videant

videantur: aut si sint boni, non habendos pro exteris. Absurdè verò & imperitè facere eos cum quoslibet exteros admittant ad ius ciuium nil inquirendo in eorum fortunam, nec curiosè scrutādo sint'ne è seruis facti liberi, si eos qui apud se seruissent non eadem dignentur gratia, aut putent mente deteriores cæteris, ac ne id quidem quod vulgo fit considerent vel hebeti perspicuum: fore vt hoc pacto nec heri manumittāt temere, ne facilitate vilescat maximum inter homines beneficium: & serui esse frugi herísque placere magis studeant, si sciant se ipsorum iudicio libertatem meritos asciscendos in ius ciuitatis longè florentissimæ, debituros dominis conduplicatam gratiam. postremo aiebat id ciuitati ipsi vtile, scientes admonens, ignaros docens, vrbi ad imperium & res magnas gerendas aspiranti nulla re æquè opus esse ac ciuium numerosa multitudine, quo possit ad omnia bella domesticis armis sufficere, & non impensis in mercedes conductitiorum multum exhaurire ærarium: & hanc esse causam cur priores reges extero nemini ciuitatis ius negauerint. quod si hanc legem receperint, fore vt in tribus ascribantur multi manumissi iuuenes, nec vnquam ciuitati domestica arma defore, sed habituram sufficientes copias etiamsi bellum suscipere cogeretur cum vniuerso genere hominum. nec publicè tantum id vtile futurum, verum etiam priuatim opulentis ciuibus, si liberti admittantur ad comitia. reportaturos enim ab illis cum in aliis ciuilibus negotiis, tum in ferendis suffragiis qua maximè opus habeant gratiam, & relicturos clientelas etiam posteris. Talia differenti regi permiserunt patritij vt is mos reciperetur in Rempublicam, seruatúsque est vsque ad nostram ætatem æquè ac vlla è sacrosanctis legibus,

Et quia in seruorum mentionem incidimus, necessarium mihi videtur hoc loco dicere de Romanorum institutis circa seruitia, ne vel rex ipse qui primus aggressus est è libertis ciues facere, vel qui hāc legem receperunt, reprehensionem cuiuspiam incurrant, quasi malè collocantes beneficia. Parabantur serui modis iustißimis, aut sub hasta empti è præda publica, aut ab ipsis dominis bello capti & imperatoris permissu detenti cum cæteris militiæ commodis, aut empti ab his qui talibus modis eos sibi comparauerant. Nec inhonestum aut inutile ciuitati putauit Tullius eiúsque institutum secuti, si priuati libertate ac patria, vel à militibus capti, vel de præda empti, ab ipsis heris vtrunque reciperent. assequebantur autem libertatem gratis plurimi, honestatis ac probitatis merito: atque hæc erat manumißionis causa optima: pauci verò mercede persoluta, ex iustis & piis quæsita laboribus. At nō ita nostro tempore sed talis est rerum confusio, & sic ad sordes & ignominiam degenerauit Romanorum probitas, vt nonnulli è latrociniis, parietum perfoßionibus, prostitutionibus, omnibúsq; aliis sceleribus pecunia collecta libertatem redimant: alij cōscij dominis & socij veneficiorum, homicidiorum, facinorúmque tum cōtra deos perpetratorum, tum contra Rempublicam, eam gratiam recipiant: quidam ideo manumittuntur, vt acceptum è publico frumentum menstruum, & si quæ aliæ liberalitates in egenos ciues conferuntur à principibus, dent his à quibus facti sunt liberi: alij per herorum leuitatem, gloriam inde captantium. scio qui tota seruitia testamento libera esse iusserunt, vt benignitatis laudem ferrent post obitum: & funus suum deduceretur magna pileatorum frequentia: in qua pompa quidam erant, vt à scientibus audiui, re-

cen

…ns dimißi è carcere malefici mille supplicia commeriti. istos impuros pileos multi opprobrant urbi cum stomacho, indignum facinus clamitantes, populum rerum dominum, & usurpantem sibi orbis imperium, talibus contaminari ciuibus. Sunt & alia multa reprehensione digna, quibus licet rectè instituta sint à maioribus, nunc vulgus abutitur, ego tamen hanc legẽ non tollendam censeo, ne quod grauius malum Reipub. inde proueniat, corrigendam tamen quantum fieri potest non negauerim, & non dißimulandum tantum dedecorum & macularum ineluibilium in ciuitatem inuehi: quæ cura maximè ad censores attinet, aut certè ad consules. opus enim est magistratu magna potestate prædito, ut eos qui singulis annis manumittuntur examinet, qui sint, qua de causa & quomodo libertatem assequuti sint: quemadmodum in equitum & senatorum mores inquiritur. deinde qui digni ciuitate comperti fuerint, in quibus adscriptos sinant urbem incolere, scelestam verò & impuratam multitudinem honesta specie ablegent aliquò in coloniam. Hæc sunt quæ non iniqua nec ab hoc argumento aliena necesse habui admonere eos quibus morum censura Romæ commissa est. Cæterùm Tullius in constituenda Republica non eo tantum ad plebem fouendam visus est procliuior, quòd senatus atque patritiorum potẽtiam moderatus est, verum etiã quòd de regia potestate detraxit dimidium. cũ enim priores reges ad se reuocarent iudicia omnium litium, & cognitionem criminum tam ad priuatas iniurias quàm ad rem publicam pertinentium, ille separauit hæc, læsæ Reipubli. criminum se faciens iudicem, priuatarum personarum querelas ad alios relegauit indices, legésque ac regulas ipse præscripsit quas sequerentur in iudiciis.

Ordinato statu Reipubli. cupido eum cepit illustri quopiam opere sempiternam sui memoriam transmittere ad posteros. Hæc animo agitans, & considerans priscorum regum monumenta ciuilia, nec Assyriam illam mulierem mactam putauit muris Babyloniis, nec Aegyptios reges pyramidibus Memphiticis, aut si qua alia principis alicuius extabat diuitiarum & operarum multitudinis ostentatio, parua hæc omnia, temporaria, nulláque admiratione digna existimans, non ad vitæ vtilitates inuenta, sed tantum ad conditorum felicitatis prædicationem, & oculorum illecebras. Ille verò laude ac æmulatione digna credens mentis opera, quorum vtilitas ad plurimos manat & longißimo tempore, præ huiusmodi cæteris Græci Amphictyonis inuento delectatus est: qui animaduertens infirmam & finitimorum barbarorum iniuriis obnoxiam gentem Græcorum, conuentum eis instituit de se denominatum Amphyctyonicum, legésque tulit, quæ præter illas cuique ciuitati proprias communes essent omnibus, quas vocant Amphictyonicas, quarum vinculo contineretur amicitia mutua, cognationémque colentes non tam verbis quàm operibus, barbaris essent graues & formidabiles. quorũ exemplum imitati & Iones, qui ex Europa in oram Cariæ demigrauerant, & Dorienses his contigui, templa construxerunt impensis communibus, illi Dianæ Ephesiæ, hi Apollinis in Epitropio. quò conuenientes cum coniugibus & liberis statis temporibus vnà sacris dabant operam & mercimoniis: vbi publico certamine cum equis pernicibus, tum viris viribus artéue musica præcellentibus proponebantur præmia victoriæ, & dii ciuitates dedicabant donaria, peractis spectaculis ac negotiationibus, aliísque festis & publicis hilaritatibus

tibus

tibus, ficui ciuitati fimultes intercedebat cum altera, præsto erant iudices qui litem componerent: tum de bello contra barbaros gerēdo, déque mutua gentis concordia consulebatur in medium. Horum & his similium exempla secutus, animum adiecit ad constituendum velut unum corpus ex Latinorum populis, ne intestinis bellis & dissidiis debilitati subiugarentur à finitimis barbaris. Id postquam apud se statuit, optimates conuocauit è singulis urbibus, denuntians se consultaturum cum eis de magnis rebus & ad communem vtilitatem pertinentibus. quibus in senatum introductis verba fecit de concordia, docens quantopere ciuitates consensus deceat, quámque fœdum visu sit cognatorum inter se dissidium: ostendens infirmas res concordia potentes fieri, cæterùm vel potentissimas pessum ire vbi laboratur inuidia mutua. atque ita docebat eos, oportere, Latinos finitimis imperare utráque reddere, nimirum Græcos barbaris: Romanorum autem principatum esse in reliquo Latio, ut qui habeant urbē magnitudine ac rebus gestis præcipuam, & à diis magis propitiis ad tantum claritatis prouecti sint. In hanc sententiam longa oratione suasit eis ut templum cum inuiolabili refugio communi sumptu Romæ construerent, quò conuenientes ciuitates quotannis priuatim simul & publicè sacra facerent, exercerént que forum rerū venalium certis temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter sacra deorum conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio. Hæc & alia multa cōmoda proponens quæ consequerentur ex communi concilio, omnibus persuasit qui tum aderant. collatis deinde oppidatim pecuniis Dianæ templum ædificauit in Auentino eminentissimo vrbis tumulo, & fœderis leges conscripsit ciuitatibus, ritúsque ce-

lebrandi festi atque fori constituit. Et ne vlla iniuria temporum abolerentur, in area columna incidit decreta concilij, & ciuitates eius conuentus participes. ea columna permansit vsque nostram ætatē in Dianæ templo dedicata, inscripta literarū characteribus Græcanicis, qualibus olim vtebatur Græcia: quod & ipsum non leue argumentum est, Romam non esse conditam à barbaris. nunquam enim vsi fuissent Græcis literis si fuissent barbari. Hæc præcipua memorantur quæ hic rex domi gessit in constituenda Republica. Bello cum vna Hetruscorum gente conflictatus est, de quo nunc narraturus sum: Defuncto Tarquinio ciuitates quæ se illius imperio submiserant, nolebant amplius stare fœderis conditionibus, dedignatæ parere Tullio homini obscuris orto natalibus, & sublatæ ad nouas spes patritiorum cū rege dissidio. Initium defectionis à Veientibus ortum est. hi legatis à Tullio missis responderunt, nihil sibi esse cum illius imperio, nihil cū societate & amicitia. hos Caretani & Tarquinienses secuti sunt, postremo in armis fuit vniuersa Hetruria. Hoc bellum continuatū est annis XX. vtriq; non semel alterorum agrum inuaserūt cum exercitu, sæpenumero collatis signis pugnatū est. Tullius in omnibus prœliis superior quotiescunq; vel cum singulis ciuitatibus, vel cum tota gente dimicatum est, tribus clarissimis triumphis honoratus, tandē coëgit eos vel inuitos imperij frenum accipere. vigesimo demū anno in gentis concilio XII. ciuitates consumptis bello tum viris tum pecuniis decreuerunt Romanis se dedere eisdem quibus antea conditionibus: moxq; ab omnibus populis legati venerūt supplices, committentes se & sua in fidem Tullij, deprecantesq; ne in se sæuius consuleret. Respondit Rex, illos quidem ob vesaniam & contemptum

ptum

ptum deorum, quos testes nil veriti violassent fœderũ, multas & magnas pœnas cõmeritos: verũ ob Romanorum æquitatem ac clementiam, quandoquidẽ agnito errore cum supplicum insigniis iram deprecaturi venissent, nihil passuros grauius. His dictis pacem eis dat, aliis quidẽ impunè vt oblitus iniuriarum omniũ, permissis suo iure viuere & suis agris frui, saluis Tarquinij conditionibus: tribus verò populis qui primi defecerant, cæterosq; ad bellũ Romanum concitauerant, parte agri mulctatis, quem his diuisit qui recens tum ciuitatem adepti fuerãt. His pace belloq; gestis, & duobus templis conditis, altero Bonæ fortunæ, ob perpetuũ eius fauorem, in foro boario, altero Fortunæ virilis, sicut hodieq; cognominatur, in ripa Tiberis, prouectus iam ætate propinquusq; naturæ termino, insidiis Tarquinij generi filiæq; suæ periit: quas narraturus, rem paulo altius repetã. Erant Tullio duæ filiæ ex vxore Tarquinia, quã ei rex ipse in matrimoniũ collocauerat. Has puellas iam nuptiis maturas iunxit cõsobrinis earum, Tarquinij nepotibus, maiorem maiori, iuniorem iuniori, bene ita comparatos existimans: sed fortè fortuna vterque gener moribus suis dissimilẽ nactus est. Lucio enim natu maiori, audaci, arroganti, naturaq; tyrãnico proba, modesta, & erga patrem pia vxor cõtigit: contrà Arunti iuniori, miti & bono ingenio prædito, scelesta, infensa patri, nihil non ausura fœmina. vtrunque maritum ab innatis moribus vxor traducebat in contrarios. alter ferox socerum regno pellere cupiens, & nihil non contra eum moliens, flectebatur vxoris precibus & lacrymis. alter mitis, nunquam læsurus socerum, sed expectaturus eius è vita exitum, fratris quoque scelestos impetus cohibens, à nefaria muliere in contraria solicitabatur, hortante vt vir esset, quoti-

dianóque iurgio exprobrante ignauiã. cúmque nec modestæ illius preces quicquam proficerent ad honesta consilia reuocantis iniustum mariti animum: nec alterius scelestæ hortatus, ad sceleratum facinus virum natura non malum hortantis: sed vterque obsequeretur suo genio, molestéque ferret dissentientem coniugem. illa quidem dolenter ferebat suum infortunium. cæterũ altera ferox indignabatur, & quærebat quomodo se liberaret à molesto coniuge. tandem furiis & naturæ peruersitate in desperationem acta, & putans sororis virum maximè conuenire suis moribus, accersit eum in colloquium quasi de rebus necessariis. qui vbi venit, semotis arbitris vt sola cum solo colloqueretur: Ecquid, inquit, Tarquini liberè mihi licet tutóque proloqui omnia quæ sentio de communibus nostris commodis? Continebísne audita, an tacere præstat, nec proferre silenda consilia? illo iubente quicquid vellet eloqui, & in ipsius verba iurato de fide silentij, mulier ad cũ posito iam pudore, quousque Tarquini fraudatum te regno ferre cogitas? an quia humilibus & obscuris natus es parentibus. ideo non vis de teipso sentire magnificè? atqui omnibus notum est, maiores vestros Græci generis & à florentissimo illo Hercule oriundi dominatos Corinthijs aliquot vt audio seculis auus verò tuus Tarquinius translato ex Hetruscis in hanc vrbem domicilio regnum virtute quæsiit. cuius non bonorum tantum, verum etiam regni tibi debetur hæreditas, cum sis nepotum alter natu grandior. an fortè deformem te & inualidũ corpus paruum, felix destituit obeundis regiis munijs? atqui & robur tibi eximium superest, & forma regiis digna natalibus. an fortè horum neutrũ. sed iuuentas immatura consiliis te retrahit ab administr

ministratione reipublicæ? cum sis quadragenario maior, quæ ætas in hominibus est optima. At fortè iste qui nunc regno potitur homo nobilis & apud proceres gratiosus à nouandis rebus te absterret utroque nomine. atqui utrunque deest ei, quod ne ipse quidem non intelligit. Sed & audacia periculorúmque contemptus inest tuis moribus, regnaturo cum primis necessarius. adest diuitiarum & amicorum satis, aliaq; occasiones multæ ac magnæ, quæ te inuitent ad aggrediendum negotium. Quid igitur cunctaris, & tempus expectas quod tibi otioso regnum in manus afferat? post obitum Tullij scilicet. quasi verò fortuna expectare soleat procrastinationes hominum, aut obitus contingant naturæ ac ætatis ordine, & non in incerto sint omnémque coniecturam effugiant cunctæ res mortalium. dicam liberè, etiam si temeritatis nota incurrenda sit, quid mihi videatur omnem tibi ambitionem & gloriæ cupiditatem eximere. uxor tecum degit prorsus moribus tuis dissimilis, quæ te emolliuit suis incantamentis & illecebris: ita fiet vt te imprudentem ex viro reddat hominem nihili: quemadmodum mihi quoque vir est nihil virile habens & timidus, qui me deprimit ampla fortuna dignissimam, & florentem corpore, nisi quòd tabescit ipsius tædio. quòd si tibi liceret me uxorē ducere, mihíque te habere maritum, non tam diu vixissemus vitam priuatorum hominum. quin igitur nosmetipsi erratum fortunæ corrigimus permutato coniugio, & tu vitam uxori adimis? ego verò mox pari modo maritum meum tractauero. quibus extinctis coniuncti, securè conficiemus quod superest, è medio sublatis, tam molestis obstaculis. etenim etiamsi in aliis rebus iustitiam colere libeat, certè regni causa audēda sunt omnia.

omnia. His auditis libenter conditionem accepit Tarquinius, datáque vtrinque fide, & delibato incestarum nuptiarum fructu, abiit. nec ita multo post eodem fato maior Tullia minórque Tarquinius absumpti sunt. Hîc rursum reprehendendus mihi venit Fabius, non satis diligens supputator temporum. deductus enim narrationis ordine ad Aruntis interitum, non in vno tantum lapsus est. de quo antè monui, prodens Aruntem Tarquinij fuisse filium: sed & alterum erratum addidit, sepultum à matre Tanaquile, quam consentaneum non est superfuisse illo tempore, ostendimus enim à principio exactum ei annum septuagesimumquintum, quando fato concessit rex Tarquinius. quod si ad L X X V. *addas* X L. *alios, quandoquidem in annalibus inuenimus quadragesimo Tullij regni anno defunctum Aruntem, erit Tanaquil annorum* C X V. *adeo parum laboris hic scriptor impendit perquirendæ veritati historicæ. Tarquinius deinde sine mora duxit Tulliam, ipsius tantum voluntate, nec patre nec matre probantibus. vt verò coniuncta sunt ingenia duo nefaria natáque paricidiis, regno pellere Tullium, si sponte cedere nollet, machinati sunt, factionem asciscentes patritiorũ quos administratio popularis à rege alienauerat. & è plebe quenque egentissimum, nullo respectu iuris redimentes talium operam, & hæc facientes propalam. Horum Tullius non nescius molestè quidem ferebat etiam sibi timens ne imparatum opprimerent: caterùm vehementer indignum videbatur cum genero & filia bellum suscipere, & pœnas quasi de inimicis sumere. Itaque sæpe coram amicis accitum in colloquium Tarquinium incusando, monendo, dehortando ab iniuria, cum nihil proficeret, illo dicente velle se in senatu causam suam agere: conu*

re: conuocato senatu, Patres, inquit, conscripti Tarquinius cum sua factione deprehensus est velle me regno pellere. volo igitur omnibus vobis præsentibus ex ipso cognoscere, ob quam meam iniuriam, vel in se priuatim admissam, vel in rempublicam, moliatur in me talia. Responde Tarquini iam nihil dissimulans, quid habes quod me incuses? quandoquidem ab his te audiri postulas. Ad hac Tarquinius: Pauca Tulli & iusta dicturus, ideo coram his eloqui volui. Tarquinius meus auus Romæ regnum adeptus est multis & magnis laboribus exhaustis pro republica, eius defuncti ego successor sum iure communi omnium tam Græcarum quàm barbararum gentium. & sicut reliquorum bonorum hæreditatem adij omnium, ita non modo pecuniarum, verumetiam regni me hæredem esse conuenit. Tu verò bonis mihi quæ ab illo relicta sunt redditis, regno me fraudas, idq; iniustè occupatum tam longo iam tempore detines. nam neque interreges te regem declarauerunt, neque senatus suffragiis creatus es: neque legitimis comitiis potestatem hanc consecutus es, sicut auus meus, & omnes reges qui eum præcesserunt tempore, Sed mercede cōducta, modísque omnibus corrupta inopum, vagorum, obæratorum bonísue mulctatorum multitudine, nihil rempublicam curantium, ac ne professus quidem tibi ipsi te potestatem quærere, sed nobis seruaturum fingens pupillis & paruulis, ad gubernationem rerum Romanarum admissus es, prius omnibus audientibus pollicitus, quamprimum virilem ætatem attigerimus, traditurum te principatum mihi ætatis merito, vt qui fratre essem natu grandior. Debueras igitur si voluisses iusti viri fungi officio, cum auitis facultatibus etiam regnū mihi reddere, honestorum tutorum exemplo, qui regiis

pupillis

pupillis sibi à patribus commendatis mox ætate adulta rectè ac iustè principatus tradiderũt, successuris in parentum & progenitorum suorum potentiam, quod si tum nondum maturus videbar curis publicis, & ob iuuenilem ætatem impar rerum tantarum regimini, saltem quãdo perueni ad corporis robur & vim animi, iam trigenario cum filia nupta oportebat te vrbis administrationem committere. ea certè ætate ipse procurationem domus nostræ suscepisti, simúlque curas regias. quod si fecisses, primum pij iustique viri laudẽ tulisses. deinde omnium consiliorũ & honorum mihi particeps, benefactoris, parentis, seruatoris, aliásque honestissimas, quæ pro egregiis meritis retribui solent, appellationes audisses, non fraudatoris qui me iam quadragesimumquartum annum à mea hæreditate arceat, nec mente vitiosum nec corpore. Et postea rogare audes, cur te accusem, quáve tua culpa pro inimico habeam? Immo tu mihi responde Tulli, cur indignum tibi videtur me in auitos honores heredem succedere? aut quam decentem fraudationis causam potes vel fingere? an me germanam illius prolem non putas, sed adulterinam & supposititiam? cur igitur procurabas res alieni à familia, & adulto facultates non dubitasti reddere? an tibi etiam nunc pupillus & puer reipublicæ curandæ parum idoneus videor iam pene quinquagenarius? Mitte istas interrogationes impudentes ac ludicras, & iam tandem improbus esse desine: & si quod ius habes contra hæc quæ diximus, paratus sum rem committere horum iudicio, quibus nõ potes alios meliores viros in hac vrbe ostendere. alioqui si hos fugiens, vt tibi mos est, ad obnoxiam tibi turbam voles confugere, non patiar. paratus sum enim vel iure causam meam agere, vel si hoc persuadere

ſuadere non dabitur, quod iuſtum erit facere. Eius orationem ſic excepit Tullius, Apparet P. C. omnia expectanda eſſe homini quantumuis incredibilia, nihilque abſurdum putandum, quando Tarquinius iſte regno me parat pellere: quem ego paruulum in tutelam receptum, & inſidiis inimicorum appetitum ſeruaui, & alui, educatúmque à me poſtquam ætas maturuit, affinitate dignatus optaui generum, & ſiquid humanitus accideret mihi ſucceſſorem deſtinaueram. nunc quoniã opinione falſus ſum, & iniuriarum poſtulor, aliás tempus erit deplorandi meum infortunium: nunc de iure contendendum eſt. Ego tutelam veſtrûm Tarquini ætate pupillari patre orbatorum ſuſcepi, non ſponte, ſed neceſſitate coactus. auum enim veſtrum affectatores regni propalam occiderant: vobis verò & aliis eius cognatis dicebatur clam inſidias ſtruere: confeſſúmque erat apud omnes veſtros amicos, ſi illi rerum potirentur ne ſcintillam quidem relinquendam Tarquiniorum generis. qui vos curaret ac ſeruaret nemo alius erat niſi vna mulier paterna auia veſtra, quæ propter ſenium ipſa potius opus habebat curatoribus. Supereram ego ſolus deſtitutorum cuſtos, quem nunc alienum vocas nulla vobis coniunctum neceſſitudine: qui tamen rerum adminiſtrationi adhibitus de aui veſtri interfectoribus ſumpſi ſupplicium, vos ad virilem ætatem eduxi; & carens prole maſcula, rerum mearum dominos facere decreueram. Habes tutelæ rationem Tarquini, nec dices me hic quicquam fingere. cæterùm de regno, quando id criminaris, audi quomodo eo potitus ſim, cúrve nec vobis nec cuiquam volo cedere. Quo tempore ſuſcepi curam reipublicæ, cum ſenſiſſem parari mihi inſidias, volebam adminiſtrationem populo reddere, & pro con-

cione

cione deponebam principatum, inuidiosa hac & plus molestiæ quàm voluptatis habente potestate securam quietem permutaturus. Non tulerunt id Romani, nec voluerunt alium reipublicæ creare principem, sed me retinuerunt, suísque suffragiis dederunt mihi regnum, id quod ipsorũ ius est, non vestrum Tarquini: quemadmodum & auo vestro commiserant rerum habenas, extero & prorsus alieno à cognatione regis cui successor ipse datus est: quamuis liberos mares Ancus Marcius rex reliquerit ætate florentes, non nepotes & paruulos, sicut vos Tarquinius. quòd si communis omnium lex esset, eos qui succedunt in defunctorum regum bona & familiam, simul etiam regnum accipere, non accepisset id Tarquinius vester auus post Anci obitum, sed alter filiorum natu grandior. verùm populus Romanus non patris hæredem, sed virum principatu dignum reipublicæ moderandæ præposuit sic existimans, pecuniam deberi propriis dominis, regnum verò non nisi probatis suo iudicio: & illas vbi quid earum dominis humanitus acciderit, testamento migrare ad hæredẽ familiæ, regni verò ius ad eos redire qui regnum olim dederant, nisi fortè huiusmodi rationem afferre potes, auum vestrum accepisse regnum certis conditionibus, vt & ipse nunquam eo priuari posset, & integrum ei esset vobis posteris id relinquere, nec populo liberum fuisse ablatum vobis id mihi tradere. quod si tale quid habes, quin profers eas conditiones in medium? Sed non facies. Quod si non bono modo id assecutus sum, nec à senatu electus nec ab interregibus, nec alioqui legitimè, his fit iniuria non tibi, & horum est à me principatum reposcere, non tuum. Sed nec his, nec aliis fit iniuria. quòd verò iustè & tunc acceperim hanc potestatem, & nunc

nunc habeam, testantur anni quadraginta: quo temporis spatio nemo Romanus de me questus est: nec vnquam vel plebs vel senatus cogitauit me regno pellere. Verùm vt his omißis ad tua verba respondeam, si te auito deposito fraudaui, & præter omne humanum ius regnum tuum occupaui, debueras adire eos qui mihi hanc potestatem dederunt, & indignabundus accusare, tum me qui aliena occupem, tum largitores ipsos, qui non de suo liberales fuerint. facile enim eis persuasisses, si quid iuris pro te potuisses afferre. quòd si in tali ratione non habebas fiduciam, attamen existimabas me non regnare legitimè, téque administrandæ reip. magis idoneum, debueras potius propositis & examinatis meis erratis, enumeratísque tuis præclaris facinoribus, iudicio mecum contendere: quorum neutrum fecisti, sed tanto post tempore, quasi è diuturna crapula experrectus, nunc demum accusatum me venis, ac ne nunc quidem vbi oportuit. non enim tuum est hoc loco talia verba facere. quod dico P.C. boni consulite. non vobis cognitionem hanc adimo, sed huius refello calumniam, cui pollicitus sum accusandi mei pro concione copiam. verùm quoniam tu tergiuersaris, ipse populum cognitorem nostræ causæ iudicémque faciam, vter nostrũ hoc regno sit dignior: & quod omnes hi de nobis statuerint, id facturus sum. atque hæc dixisse sufficiat. quoties enim res est cum iniquis aduersariis, perinde est vel multa vel pauca dicere, quandoquidem non patiuntur se corrigi. Vestrum autem P.C. demiror si qui sunt, qui me priuatum quàm regem malentes cũ isto consentiãt. libenter enim scirem qua in re læsi infensi mihi sint quídve in me displiceat. Súntne conscij multos me regnãte indemnatos perditos, aut mulctatos iniquo iudicio? an nihil tam

tyrannicum possunt obiicere, sed illusam matronarum pudicitiam & constupratas filias virgines, aliáve flagitia non toleranda ingenuis? Si quid tale admissum est, non deprecor vitam cum regno perdere. At superbus sum & morosus neminique ferendus ob insignem arrogantiam: immo quis regum ante me tam moderatè vsus est potentia? quis tam comiter versatus est in populo? non secus quàm pater inter filios quippe qui ne potestatem quidem à superiorum temporum regibus per successionem ad me deuolutam integram retinere volui: sed legibus latis quas ipsi ratas fecistis, ex earum præscripto reddi iura institui, quibus me primum subieci & hactenus parui quasi vnus è priuatorum ciuium numero. criminum quoque non omnium vsurpaui iudicium, sed priuatas causas ad vestram cognitionem relegaui, quod nemo regum ante me. Fortasse nihil horum quosdam male habet, sed erga plebem beneficentia, licet immerito, cuius rei non semel est reddita ratio. Sed quid opus est nunc uerbis pluribus? Si Tarquinius videtur melius prospecturus reipublicæ, non inuideo populo Romano potiorem principem. Honore à quibus accepi reddito, in priuatorum ordinem redactus declarabo scire me & bene regere, & modestè ferre imperium. Hæc locutus incussa patribus magna sui reuerentia senatum dimisit. deinde per præcones iussit tota vrbe vocari in concionem populum: cúmque in comitium factus esset concursus multitudinis, progressus in tribunal longa oratione mouebat affectus populo, enumerans egregia sua facinora quæ vel viuo Tarquinio vel mortuo diuersis bellis ediderat, simúlque instituta sua singula quibus plurimum rempublicam adiuuerat. cúmque ad singula fermè plauderetur affatim,

omnib

omnibus scire cupientibus quorsum ea tenderent, tandem ait à Tarquinio se accusari. quòd regnum iniuste occuparet illi magis debitum. auum enim morientem ei reliquisse principatum vnà cum priuatis opibus, nec populo ius esse aliena donare alteri. exclamante autem præ indignatione populo, postquam silentium eis imperauit, postulabat ne tumultuarentur: sed si quod ius pro se haberet Tarquinius, vocato eo causaque cognita, siue affectus iniuria, siue principatu dignior videretur, regimen vrbis illi traderent. Se enim regnum deponere, ipsisq; reddere à quibus acceperit. Post hæc verba descendere à tribunali paranti acclamatum est vndique cum precibus & lacrymis ne cui cederet: nec deerant qui clamarent, feri Tarquinium. ille metuens ne res ad manus veniret, domum refugit cum sociis. Tullium plebs vniuersa gaudens ac plaudens domum deduxit cum faustis acclamationibus. Postquam hic quoque conatus parum successit Tarquinio, anxius destitutum se à senatu in quo plurimum habuerat fiduciæ, aliquantisper domi se continuit, amicos tantum admittens: deinde consulente vxore non esse molliter ac frigidè agendum amplius, sed omissis verbis aggrediendum ad opera, conciliato prius per amicos Tullio, quo minus vt amicum iam caueret, probauit eius monita: simulánsque pœnitentiam, multis precibus per amicos petebat peccati veniam. Itaque reconciliatus viro natura facili, & abhorrenti ab inimicitiis exercendis cum filia & genero, obseruato suo tempore, cum plebs passim per agros intenta esset colligendis frugibus, prodiit cum amicis tela sub veste occultantibus, præcedentibus cum fascibus famulis, ipse ornatus amictu regio, cæterísque principatus insigniis. vt ventum est in comitium, ante

curiam, iußit patres in senatum vocari à praeconibus. & iam ante praeparati aderant in foro conscij patrandi facinoris, nonnullíque è patritiis adhortantes ad rem gerendam intrepidè. interim senatores conueniebāt in curiam. Tullio verò domi tum agenti quispiam renuntiat, Tarquinium progressum cum veste regia senatum cogere. ille admiratus eius audaciam procurrit celerius quàm prudentius, comitatus paucis aliquot. in curia deinde videns Tarquinium in solio sedentem ornatu regio, magna voce, Quis, inquit, scelestißime hominum hunc ornatum te permisit sumere? Ille contrà, tua Tulli audacia & impudentia, qui cū ne ingenuus quidem sis, sed seruus seruáque natus, quam meus auus emit captiuam, ausus es teipse Romanorum regem facere. His verbis Tullius exacerbatus plus aequo, impetum in eum fecit deturbaturus solio. Tarquinius occasione laetus prosilit, senémque corripit vociferantem & frustra opem famulorum inuocantem: ac mox è curia protractum multo aetate viribúsque validior medium arripit, & per gradus in comitium ferentes deiicit. senex cum aegrè surrexisset semianimis, vt vidit circumquaque plena omnia Tarquinij fautoribus, circa se magnam amicorum solitudinem, abiit gemens, deducentibus paucis & cruentatum ac toto corpore miserè afflictum sustentantibus. Post haec graue auditu impiae filiae facinus traditur. cognito enim patrem iuisse in curiam, de euentu solicita, carpento in forum inuecta est. ibi rem totam resciuit, conspicatáque stantem in summis curiae gradibus Tarquinium, prima regem salutauit, deos precata vt regnum eius faustum ac felix vellent esse reipublicae. consalutatum deinde à caeteris quorum opera in asserenda regia dignitate vsus est seorsum abducens, Primus, inquit,

quit,

quit, Tarquini conatus successit sicut debuit: cæterùm non prius firmum habebis principatum quàm sublato Tullio. concitabit enim denuo suis concionibus in te populum, si hodie quocúnque modo euaserit: & scis quàm apud totam plebem gratiosus sit. At tu prius quàm domum se recipiat tolle ipsum immissis percussoribus. His dictis rursum conscenso carpento abiit. Tarquinius ratus hoc quoque rectè monere scelestam coniugem mittit sicarios: qui magna celeritate præuentum in via non procul regia iugulant. recenti cadaueri & adhuc palpitanti superuenit filia: & quòd vicus angustus erat qua transuehenda fuit, mulis territis auriga quoque ad tam miserabile spectaculum resistens oculos reflexit in dominam: illáque sciscitante quin pergeret: non vides, inquit, Tullia patrem tuum iacentem mortuum, nec alium nisi per cadauer patere transitum? mulier irata scabello pedum arrepto petit aurigam inclamans, Non ages sceleste iumenta vel per mortuum? ille iussa facit, grauius quã ictu affectus eo spectaculo. is vicus Cyprius tum dictus ex eo diro casu sceleratus est vocatus mutato nomine. Hic finis Tullij post exactum in regno annum quartum supra quadragesimũ. Romani hunc primum regnum præter mores publicos quæsisse dicunt, non ex consensu senatus populique, vt ante illum reges cæteri, sed fauore solius plebis corruptæ illectæq; munificentia & cæteris ambitiosis artibus, quibus facilè capiuntur inopes. nec falsum id crimen est: nam superiore tempore mos erat defuncto rege senatum à populo accipere potestatem constituendæ ad quam placeret formam reipublicæ, senatus interreges creabat. illi virum eligebant optimum nullo ciuium, sociorúmve, exterorúmve discrimine, quem regem constituerent. in quem si se-

natus populique consentirent suffragia, & addicerent auspicia, assumebat imperium. quod si horum trium aliquid deesset, alter nominabatur, & post hunc tertius, nisi secundus ille probaretur deorum hominúmque iudiciis. Tullius verò primum regij tutoris assumpta persona, vt iã antè diximus, deinde fauore plebis redempto liberalitatibus, per illam rex creatus est. factus deinde vir aequus atque modestus pristinam parum seruatarum legum inuidiam aboleuit actis posterioribus, adeò vt opinionẽ post se relinqueret, ni praeuentus fuisset intestino scelere, voluisse deposito regno libertatem populo & reipublicae curam reddere: & hac de causa praecipuè aduersates ei quosdam patritios: qui cum alioqui essent impares, assumpsisse in consiliorum societatem Tarquinium, eíque principatum parasse, vt premeretur plebs cuius vires sub Tullio non mediocriter creuerant, ipsíq; dignitatem pristinam reciperent. Interempto rege cum magnus tumultus vrbem haberet omnibus ferè mortem eius lamentātibus, veritus Tarquinius ne si per forum funus duceretur, vt mos Romanis est, regia pompa solennibúsque ceremoniis, plebs forte impetum in se faceret nondum satis confirmata potentia, consuetos sepulturae ritus adhiberi non passus est. Noctu paucis amicis prosequentibus vxor eum extulit Tarquinij Prisci filia, & cum multis lamentis dirísque in generum atq; filiam imprecationibus sepeliit. à monumento domum reuersa, vnam non amplius diem superstes funeri, sequenti nocte obiit, incertum quo lethi genere, quibusdam dicentibus illlam tedio vitae manus sibi intulisse; aliis extinctam à genero & filia, quòd immoderatiùs ferret mariti obitũ. atque his de causis monumento fraudatus Tullius, operibus tamen suis sempiternã con-

secutus est memoriam. quin & prodigio charum superis fuisse apparuit, quod etiam natalium eius fabulam quam diximus, credibiliorem reddidit. In templo Fortunæ ab ipso condito dedicata eius effigies inaurata lignea sola incendio superfuit integra absumptis intus reliquis omnibus: & hodiéque templum & quicquid inest instauratum post incendium apparet esse noui artificij, statua qualis prius antiqui est operis. durat enim adhuc & à Romanis colitur. Atque hæc de Tullio produntur ab autoribus. Ad L. Tarquinium deinde regnum peruenit per vim non legitime anno quarto sexagesimæ primæ Olympiadis, qua in stadio vicit Agatharchus, principe Athenis Heraclio. Hic contempta plebe simul & patritiis per quos ad regnum prouectus fuit, confusisque legibus ac moribus patriis & omni decoro corrupto quo ciuitas sub prioribus regibus floruerat, principatum in manifestam vertit tyrannidem. ac primum satellitio se stipauit audacissimorum hominum, gladios & lanceas gestantium, exterorum & ciuium: qui noctu excubantes circa regiam, interdiu comitantes eum per vias, tutum reddebant ab insidiis. deinde progrediebatur non sæpe nec statis temporibus, sed ex improuiso & raro: tum negotia publica domi plerunque tractabat cum amicis intimis, pauca verò in foro: nec admittebatur quisquam nisi vocatus ab ipso. ac ne his quidem comem ac mitem se præbuit, sed tyrannico more iracundum & grauem, vultu ad terrorem magis quàm hilaritatem composito: controuersias quoque litium non ex iure dirimebat, sed ex suis moribus; unde Superbus vulgo cognominatus est. Græci ὑπερήφανον dicerent. auus verò eius Priscus vocatus est, nostratibus diceretur προςετέςερος.

 alioquin

quin vtrunque nomen cum iuniore commune habuit. in principatu deinde confirmatus nequißimo quoque sodalium subornato, eorum opera multos illustres viros inuoluit criminibus capitalibus, primùm inimicos & agrè ferentes casum Tullij, pòst etiam alios quibus putabat molestam mutationem status publici, præcipuè diuites. at delatores arripiendo alium post alium falsis criminibus, maxime insidiarum in caput regium, accusabant eos apud ipsum iudicem. ille alios morte damnabat, alios exilio, tam occisorum quàm pulsorum bona occupans, vnde paruam quandam portionem decidebat accusatoribus, maiorem sibi retinens. quapropter multi potentiores priusquam calumniis opprimerentur, non ignari cur appeterentur insidiis, sponte vrbem tyranno relinquebant, quorum maior quàm reliquorum fuit numerus. Fuerunt & qui ab eo clam interficerentur, arrepti in villis & domibus viri non contemnendi, quorum ne cadauera quidem vsquam reperta sunt, ita sublata per mortes exiliáque parte senatus maxima, senatum alium ipse constituit, amicis suis in vacua loca suppositis. ac ne his quidem permisit quicquam iniussu suo vel facere vel dicere. Ergo quotquot supererant ex allectis in senatum sub Tullio, cum prius simultatem exercuissent cum plebe, sperantes mutationem reipublicæ futuram suo commodo (sic eos Tarquinius suis pollicitationibus lactauerat) tum demum sentientes se amotos à republica, & vnà cum plebeiis libertate exutos, dolebant quidem & grauiora etiam suspicabantur in posterum, cogebantur tamen præsentem statum boni consulere, quòd vires ad vetandum non supneterent. Id videntes plebeij existimabant hæc eos pati merito, & stultè gaudebant alieno infortunio.

tunio, quasi illis solis tyrannide pressis ipsi futuri extra periculum. superuenerunt tamen & his paulo post mala grauiora etiam. nam leges à Tullio scriptas, quæ ius æquum faciebant utriq; ordini. nec sinebant à patritiis (ut ante) plebeios circumueniri in contractibus: omnes sustulit: ac ne tabulas quidem quibus erant inscriptæ reliquit. sed & has foro summotas aboleuit. deinde antiquatis iuxta censum tributis, veterem eorum morem restituit: & quoties opus esset ei pecuniis, tantundem conferebant diues & pauperrimus. id institutum vehementer afflixit plebeiam multitudinem, prima statim exactione coactis denas drachmas in singula capita pendere. præterea cœtus omnes, paganorum, curialium, vicinorum, vel in agris vel in urbe antea sacrorum causa fieri solitos uno edicto in posterum vetuit, ne multis in unum locum conuenientibus occultæ conspirationes contra tyrannidem fierent. habebat autem passim speculatores & inquisitores tam dictorum quàm factorum occultos plerosq;. qui mixti confabulantibus, & interdum tyranno male loquentes, pertentabant animos singulorum ciuium: deinde quos sensissent præsentem rerum statum molestè ferre, deferebant ad principem. conuicti autem pœnas dabant acerbas & ineuitabiles. Nec his contentus plebem vexare, selectis ex tota multitudine fidis & idoneis militiæ, reliquos cogebat ad opera publica, ratus nihil esse monarcharum potentiæ periculosius quàm si vilis & egena ciuium turba sinatur in otio viuere: cupiens etiam opera, semiperfecta à suo auo relicta, in principatu suo absoluere, cloacasq; ab eo inchoatas usq; ad fluuium perducere: circum vero maximum, qui nihil præter gradus habebat, circumdare tectis porticibus.

Hæc omnia peragebantur labore pauperum, modico frumento ab ipso adiutorum: quorum pars cædebat materiem, pars onera subuehebant humeris, pars subterraneos fodiebant cuniculos, ædificando in eis fornices, & alibi excitando porticus; opificibusque in opere versantibus subministrando. nam ferrarij, materiarij, cæmentarij, abstracti à priuatis officinis detinebantur in opere publico. his laboribus attrito vulgo nulla concedebatur requies, ita vt patritij suas & alienas calamitates intuentes, vel gauderent nonnihil, vel propriorum malorum obliuiscerentur interim: neutri tamen conabantur resistere, iniuriásque repellere. Cæterum Tarquinius cogitans vi non iure partam potentiam opus habere non solum domestico, verum etiam externo præsidio, illustrißimum Latinorum & potentißimum sibi iunxit amicitia, filia data in matrimonium. is vocabatur Octauius Mamilius, oriundus à Telegono Vlyxis & Circes filio, Tusculum incolens, & peritißimus rei militaris imperator habitus. per hunc conciliatis oppidatim procerum res publicas tractantium animis eorum societate fretus, tum demum copias in Sabinos ausus est educere, detrectantes imperium, & Tullij morte liberatos se putantes ab icto cum eo fœdere. prius tamen per nuntios in diem certam Latinis ad forum Ferentinum indixit concilium, quasi de communibus & arduis tractaturus negotiis. Conuenere cæteri, solus Tarquinius non adfuit in tempore: cumq́; diu expectatus esset, plerisq́; factum hoc in suam contumeliam interpretantibus, Turnus Hardonius à Coriola opibus pollens & amicitiis, vir militaris, ciuili tamen facundia præditus, Mamilio per ambitionem semper æmulus, eoque infensus Tarquinio, quòd in affinitate alteri esset posthabitus, ferociter

in

in absentem inuectus est, enumeratis cum aliis eius factis plenis superbiæ, tum quòd conuocator eius concilij cæteris præsentibus solus non compareat. Cæterùm excusante Manilio, & moras imputante necessariis quibusdam causis, postulantéque in crastinum diem differri concilium, persuaderi sibi passi sunt Latinorũ præsides. Postera die Tarquinius affuit, paucaq; de sua tardatione præfatus, cœpit principatum verbis sibi asserere, iure quo Tarquinius ipsius auus eum bello victor acquisierit: cúmque multa disseruisset de suo iure déque fœderibus, quorum etiam singillatim proferebat formulas, vt cum quaque ciuitate icta fuerant: postremò ingentia pollicendò si manserint in officio, in belli contra Sabinos gerendi societatem eos pertrahere conatus est. Eius orationem Turnus excipiens, multisque serum eius aduentum calumniatus, non sinebat præsides principatum illi concedere, qui nullo ei iure competeret, nec esse in rem Latinorum publicam, vtrunque confirmans multis rationibus. nam fœdus post traditum principatum cum auo eius ictum iam cessare irritum post illius obitum, quandoquidem nõ adscriptũ sit conditionibus, eandem gratiam deberi etiam Tarquinij posteris. quod si auitas gratias postularet esse hæreditarias, id verò & iniquissimum aiebat & impudentissimum. Artes deinde recensendo quibus Romæ regnum affecutus sit, multisq; ac grauibus in eum congestis criminibus, docuit ne regnum quidem legitimè accepisse à volentibus, sicut reges ante eum cæteri, sed extortum armis & violentia: idq; mox versum in dominationem tyrannicam, ciues partim interfici, partim pelli patria, partim exui facultatibus, omnibus ita libertatem ademptam, vt ne mutire quidem audeant. neminem nisi fatuum, mẽteq; mulctatum

à sup

à superis. sperare posse quicquam benignitatis aut beneficentiæ ab ingenio sæuo & impio, nec expectaturum vt sibi parcat, qui ne coniunctissimis quidem necessitudinibus pepercerit. monebátque vt priusquam seruitutis frenum receptum sit, repugnent ne recipiant, quid ipsis immineat coniicientes ex aliorum calamitatibus. Ad hanc inuectionem Turni vehementer commotis multorum animis, Tarquinius impetrata in sequentem diem respondendi copia, post dimissum consistorium accitis amicorum intimis vnà consultabat quid opus facto sit. illi rationes quibus se contra criminationem defenderet suppeditabant, & modos excogitabant quibus conciliaret sibi Latinorum beneuolentiam. ipse verò nihil istis opus esse aiebat, suam præferens sententiam, non diluenda crimina, sed accusatorem tollendum potius. omnibus consilium probantibus & operas offerentibus, ita ex composito rem aggressus est, vt nulla humana præcaueri posset prouidentia. exquisitos enim seruos nequissimos ex his penes quos cura erat iumentorum Herdonij corrupit auro, vt noctu acceptorum à se gladiorum magnam vim inferrent in eius diuersorium, & inter impedimentorum sarcinas abderent. Sequenti deinde luce in concilium progressus. ait sibi breuem defensionem sat fore, nec se vel ipsum accusatorem refugere iudicem. Quamuis, inquit, non potest vos latere proceres, iam tum me absolutũ istius Turni indicio, cum filiam meam ambiebat coniugem. qua spe frustratus: quis enim sanus Mamilio potentissimo Latinorum nobilißimoq; repulso istum asciret generum, qui ne tritauum quidem nominare potest: nunc præ indignatione accusatum me aduenit. Atqui si talem me sciebat, qualem nunc haberi vult, debuerat meam affinitatem non expetere.

quod

quòd si tum ei vir probus visus sum, ne nunc quidem accusari debeo. atq; hæc pro me dicta sint. Vobis verò proceres in summo vestro discrimine non de me considerandum est, bonus an malus sim: id enim etiam postea licebit facere: sed de vestra incolumitate, deq; libertate patriæ. nam egregius iste concionator molitur insidias principibus ciuitatum & rectoribus, paratus occiso nobilissimo quoq; inuadere Latinorum imperium: & in hoc aduenit. Nec coniectura est quod dico, sed exactè rem teneo, hac nocte cõpertam indicio coniuratorum vnius. argumentum veritatis repræsentabo vobis indubium, modo sequi velitis ad eius diuersorium, occulta inde arma perferens. Territi omnes conclamant poscentes indicium, nec verbis credituri amplius. Turnus ignarus doli se verò libenter inquisitionem ait admittere, vltro proceres prouocans ad perscrutandum diuersorium, & è duobus alterum postulans, vt aut ipse necaretur si inuenirentur apud eum arma præter viatoria, aut in falsorum delatoris caput ea pœna verteret. Placuit hoc omnibus: confestimq; missi ad diuersorium deprehendunt inter sarcinas abditos à seruis illis gladios: ac mox Turnus non permissus amplius pro se dicere, in voraginem quandam proiectus viuus terra est obrutus. Tarquinium collaudatum in concilio, quasi seruatis tot optimatibus de cunctis populis bene meritum, Latinorum principem faciunt, cum ea potestate qua quondam auum ipsius Tarquinium fecerant ac deinde Tullium: incisoq; in columnas fœdere, & iureiurando addito, solutum est concilium. Tarquinius gentis imperio potitus legatos misit ad Volscos & Hernicos, eorum quoque amicitiam & societatem expetens. Volscorum duo tantum populi assenserunt, Ecetrani & Antiates: Hernici

vniuersi

vniuersi societatem decreuerunt. Et vt sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit designare commune fanum Romanorum, Latinorũ, Hernicorum, Volscorum duntaxat in societatem receptorum, quò ad mercatum conuenientes quotannis vnà epularentur, fruerenturq́; sacris communibus. gratum id fuit omnibus: locus conuentui præstitutus est in meditullio fermè harum gentium, mons altus Albanis imminens vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio propter loci religionem legemq́; de hoc latam ab omni vi temperarent omnes, sacráque communiter Ioui Latiali facerent & vacarent epulis, constituto prius quantum quisque populus in ea sacra præbere, quãtámve portionem recipere debeat. earum feriarum atque sacrificij participes fuerunt tribus minus L. populi: quas nostra quoque ætate Romani agitant Latinas vocatas: conferuntq́; in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima est taurus vnus, communis omnium, de cuius visceribus cuiq; populo sua certa portio tribuitur. Sacrificatur autem pro omnibus, & Romani præsunt sacrificio. Post constabilitum regnum etiam his societatibus, rex in Sabinos decreuit exercitum ducere. habito Romanorum ciuium delectu quibus tutò posset arma committere non admodum libertatis appetentibus. his longè maiores sociales copias cum adiunxisset peruastato hostico & profligatis qui ausi sunt acie congredi, contra Pomptinos duxit: qui Suessam incolebant tunc omnium vicinorum populorum florentissimi, eóque molesti cæteris. belli causa fuit, quòd legatis res repetentibus superbè responderant: & erant parati hostem armis excipere. Hos circa fines agri victos acie, magnáque clade

affectos

affectos & compulsos intra vrbem cum videret non amplius prodire, obsessos fossa & vallo cingebat, crebris interim assultibus tentans mœnia, oppidanis aliquandiu fortiter oppugnationem sustinentibus. Sed commeatu deficiente viribus quoque destituti, & nemine succurrente fessi ne noctu quidem intermissis laboribus vi expugnati sunt. Potitus vrbe armatos occidit, vxores eorum cum liberis, & eos qui maluerunt se dedere. mancipiorumq; ingentem numerum in prædam permisit militi: cætera quoque bona quantum cuique obtingeret vel ex vrbe vel ex agris ferre & agere: argentum etiam aurúmque quod inueniri potuit vnum in locum collatum, decimis in templi fabricam sepositis, reliquum diuisit victoribus. Tantum autem argenti auriq; repertum est, ut quinæ argenti minæ obuenirent singulis: sacratæ verò decimæ explerent quadringentorum argenti talentorum numerum. Nondum Suessa discesserat cum ei nuntiatum est Sabinorum lectam iuuentutem fines egressam duobus agminibus latè populato Romano agro prædas agere, & alteram manum ad Heretũ castra metatam, ad Fidenas alteram: actum esse de illa regione ni maturè eatur obuiam. His auditis reliquit Suessæ modicam partem exercitus ad prædæ impedimentorumq; custodiam. cæteras copias expeditas raptim duxit ad hostes tẽdentes prope Heretum, & non longè inde castra loco edito muniit. Cumq; Sabinis ducibus visum esset acceitis suis à Fidenis sequenti mane decernere prælio, Tarquinius hoc cognito ex interceptis literis quibus illi accersebantur, ex re nata consilium sumpsit huiusmodi. Bifariam diuiso exercitu, alteram partem sub noctem clam hoste misit in eam viam quæ Fidenas fert: alteram diluculo instructam è castris produxit

in aciem. Sabini audenter processerunt obuiam contempta paucitate hostium, expectantes suos iamiam à Fidenis adfore. collatis signis æquo Marte diu pugnatum est, donec noctu à Tarquinio præmissi, conuerso itinere Sabinis à tergo se ostenderent. quibus visis & ex armorum habitu signisq; agnitis amentes metu abiectis scutis conabantur fuga salutem quærere: sed nullum ab hoste circumuentis patebat effugium: nam Romanus equitatus eis imminebat vndiq; quo factum est vt perpauci incolumes ex tanta clade euaserint, aut deditione sibi consuluerint. ac ne castra quidem retineri potuere: sed primo impetu vallum expugnatum est: vbi præter Sabinorum bona, captiui etiam Romani cum cætera præda recepti sunt adhuc integra. hoc primo successu Tarquinius alacris militem ducit in eam Sabinorum manum quæ ad Fidenas castra habebat, etiam tum cladis suorum inscios. & forte fortuna illi quoq; iam progressi erant in itinere. vt verò ex propinquo viderunt hastis præfixa ducum suorum capita, quæ Romani præferebant ad terrorem hostium, cognita internecione alterius exercitus, ne ipsi quidem armis experiri ausi, ad supplices potius deprecationes versi deditionem fecerunt. Itaq; ignominiose amisso vtroq; exercitu Sabini ad res angustas redacti, & timentes expugnationem vrbium, legatos de pace miserunt, qui se ac sua Tarquinio dederent, tributaq; in posterum pendenda promitterent. Pace his data, receptisq; in fidem qua dixi conditione populis. Suessam reuersus est: inde assumpto præsidio quod reliquerat, prædaq; cum impedimentis aliis, Romam ditatũ exercitum reduxit. Fecit & alias post in Volscos expeditiones, tunc contentus magnam prædam abegisse immissa in eorum agrum parte exercitus. Ita magnis

gnis successibus aucto bellum natum est finitimum, quod septem continuis annis gestum est: cuius initij causas, & quomodo vaframento militarique ducis arte confectum sit, dicemus breuiter. Vrbs erat Latini nominis, Albanorũ colonia Gabij, via Praenestina ad centesimum à Roma stadium: nunc tantum ea parte habitatur quae ad publicam viam obuersa frequentatur diuersoriis, tunc populosa & nulli secunda magnitudine, sicut coniecturam sumere licet è ruinis adhũc passim extantibus & moenium ambitu, quae hodiéque supersunt parte sui maxima. eò confluxerant quidam è Suessa Pomptina profugi, quo tempore Tarquinius eam vastauerat, praeterq; hos multi Romani exules. Hi Gabinos orando obtestandóque vt vlciscerentur suas iniurias, multáque pollicitando si ope ipsorum restituerentur in patriam, faciléque opprimi Tyrannum posse ostendentes vrbanis quoque libenter consociaturis secum operam, tandem persuaserunt vt arma sumerent, promptis ad id etiam Volscorum animis, qui & ipsi per legatos inuitauerant eos ad societatem bellúmque inferendum Tarquinio. Post haec factae sunt multae vtrinque incursiones in solũ hosticum, nunc praedatoria manu, nunc totis exercitibus, fortuna saepe variante, dum modò Gabini Romanos fugatos vsque ad portas persequuntur, multisq; captis agros populantur intrepidè: modò vice versa Gabini profligati & in vrbem suam compulsi, captiuos & praedas ex agris suis abactas spectare coguntur è moenibus: quod cum sine intermissione fieret, necesse habuerunt vtrique locis opportunis communitis per agros praesidia disponere ad agrestium refugia: vnde si quos praedones obseruassent, aut milites à reliquo exercitu auulsos palantesq; securè vt fit in populationibus, inuasos repentè con

trucidabant. idem metus vtrosque coëgit si qua parte mœnia viderentur hostibus esse obnoxia facilè per scalas ad summum euasuris, altius attollere, fossámque circunducere. occupatior tamen in hoc negotio fuit Tarquinius, & partem vrbis ad Gabios vergentem contracta operarum multitudine muniit fossa latiore reddita murísq; altioribus, additis per intestitia modica propugnaculis: quòd ea pars videretur infirmior, reliquis satis tutis & inaccessibilibus, itaque quod in diuturnis bellis solet tum quoque accidit, vt dum continuis vastationibus ager incultus deseritur, ambo populi laborarent annonæ penuria, nec in futurum spes esset melior. maior tamẽ caritas Romæ fuit quàm Gabiis, & pauperes ea maximè pressi clamitabant, opus esse pacem cum Gabinis componere, & bellum finire quibuscunque conditionibus. quamobrem cum anxius Tarquinius, & neque ignominiosam pacem neque belli moras sustinens, multa commenta tentaret, dolósque versaret varios, Sextus natorum eius maximus communicato cum solo patre consilio, quamuis videretur conatus periculosus & audax sed qui posset succedere, impetrato tamen eius consensu, fingit se offendisse patrem quòd ipse bellum finiendum contenderet: cæsusq; virgis publicè, & aliis affectus contumeliis, quo latius se fama spargeret. primùm fidißimos amicorum ad Gabinos mittit, qui clàm indicarent velle eum contra patrem bellum gerere, si fidem ab illis acciperet sicut cæteri Romani exules, eos nunquam in Tarquinij potestatem ipsum adituros, respectu pacis & vtilitatis propriæ. Pergratum id Gabinis fuit: ac mox certior factus eos paratos seruare iura quæ debentur hospiti & supplici, venit magnum amicorum & clientum transfugarum post se

trahens

trahens numerum, quo facilius crederetur verè à patre defecisse, & insuper multum argenti auriq; afferens: confluebántque etiam postea multi ex vrbe, simulantes se fugere tyrannidem, ita vt breui circa se haberet manum validam. Tum verò Gabini crediderunt magnam accessionem suis rebus contigisse tā multis ad se conuenientibus, breuique Romam in potestate fore sperabant, eam spem alente patris desertore, qui quotidianarum excursionū magna referebat pretia. nam pater ex composito loca quæ ille petiturus erat, nudabat præsidiis, & obiiciebat ei trucidandos selectos è ciuibus, vt quisq; fuit suspectissimus, atque ita ab omnibus amicus fidus & dux egregius habitus, redemptis etiam nōnullorum fauoribus, imperator Gabinorum eligitur. Ea potestate per dolos & præstigias potitus vnum è famulis occultè ad patrem mittit, sciscitatū quid se facere vellet, quandoquidem ipse quod vellet posset. Hunc famulum quia rex nolebat sua iussa scire, eo comite in hortum ædium trāsiit. ibi inambulās inter matura papauera, eminētiora cæteris capita decutiebat baculo quo facto quamuis sæpius interrogatus sine responso remisit nuntium. Thrasybulum Milesium vt mihi videtur imitatus. nam & ille olim à Periandro Corinthiorum tyranno per nuntium rogatus, quomodo firmissimum tenere posset imperium, nihil voce respondit, tantùm hominem qui ab eo venerat sequi se iussit per maturas segetes, & eminentiores spicas decerptas conterere. ex simili Tarquinij facto Sextus mente patris tum intellecta, iuberi se præminentiores Gabinorum tollere, concionem aduocat. ibi præfatus receptum se in fidem vna cum amicis in periculo esse ne à quibusdam comprehensus patri dedatur, ait se paratum deponere imperiū, & abire priusquam

patiatur aliquid grauius: simúlque lacrymabatur sortem suam miserans, non aliter quàm qui verè in extremo capitis versantur discrimine. ita concitata multitudine sciscitantibus quinam essent illi proditores, illustrißimum Gabinorum Antistium Petronem nominat, virum bello paceq́; notæ in Republi. industriæ. inficiante illo, & vt erat libera cõscientia ad omnem inquisitionem sese præbente, ait se velle ædes eius perscrutari per quosdam, atque interim manere cum illo in concione, donec perscrutatores reuerterentur. & iam subornauerat pecunia corruptos quosdam eius seruos, qui obsignatas à patre suo literas domi deponerent, quibus Petroni parabatur pernicies. mißi ad ædes quibus id consentiente earum domino mandatum fuit, repertas vbi reposita erant in cõcionem protulerunt literas. erant autem obsignatæ epistolæ multæ, & in his vna inscripta Antistio. hanc Sextus aperuit, dicens se patris sigillum agnoscere, & scribæ publico recitandas tradidit. continebantur in ea mandata, vt viuum, si posset, filium in potestatem suã redigeret: sin minus, certè caput eius abscisum mitteret. id si perfectum sibi redderet, tum verò daturum se ipsi eiúsque adiutoribus præter alias mercedes iam antè promissas, ciuitatem Romanam, ascripturúmque omnes ordini patritio, additurum domos, agros, aliáque multa & magna munera. His lectis irritati Gabini Antistium inopinato casu attonitum ac ne verbum quidem valentem dicere coniectis in eum lapidibus obruunt: in consilijs socios inquisitionem & animaduersionem Sexto committunt. ille amicis tradita portarum custodia, ne qui reorum possent effugere, mißis ad illustriorum domos satellitibus multos bonos viros de medio sustulit. Interim tumultu, vt par erat, ex oc-

to Gabiis, Tarquinius per literas monitus iter ingressus est cum exercitu, & cum intempesta nocte peruenisset ad mœnia, paratos inuenit qui apertis portis se admitterent, atque ita sine labore vrbe potitus est. Id vbi cognitum est, deplorantibus suam vicem omnibus, cadésque & captiuitates atque reliqua mala vt in capta à tyranno vrbe expectantibus, vel si optimè res caderet, seruitutem, bonorũ direptionem similiáque animo præcipientibus. Tarquinius nihil horum quæ metuebant fecit, sæuus alioqui & in puniendis inimicis implacabilis. neminem enim Gabinum interfecit aut expulit patria, neminem pecuniis mulctauit aut honoribus: sed vocato in concionem populo regem non tyrannum agens, ait se & ciuitatem eis reddere, & omnia bona habenda permittere, vt posthac in sua dignitate ac potestate tuenda uteretur ipsorum opera, quos arbitraretur donatæ salutis, receptarúmque facultatum beneficio deuinctos, fidos sui custodes fore suæq; familiæ. Et ne soliciti essent beneficium id fortasse non fore proprium ac perpetuum, ad tollendam omnem dubitationem ex eorum animis, scriptis legibus quibus in fidem reciperentur & amicitiam, fœdus id inibi pro concione iureiurando super ardentes in aris victimas sanciit. éstque huius fœderis monumentum Romæ dedicatum in templo Iouis fidei præsidis (Sangũ ipsi nominant) clypeus ligneus inductus eius bouis corio qui tum mactatus est, in eóque antiquis formis inscriptæ literæ continentes leges fœderis. His ita gestis, Sextoq; rege Gabinis imposito, reduxit exercitum. Sic bellum Gabinum finitũ est. Post hæc Tarquinius à bellis vnà cum populo quiescens vertit se ad templorum fabricam, vt aui sui vota persolueret. nam ille vltimò bello cum Sabinis dimicans, si vinceret,

Ioui, Iunoni, Mineruæq; templa vouerat: & rupem quidem destinatã sacro ædificio ingenti sumptu aggeribus in areæ formam complanauerat, vt superiore volumine dictum est, cæterùm structuram templorum præuentus morte non potuit absoluere. Hoc opus Tarquinius ex decimis Suessanæ prædæ perficere cogitans, omnis generis artifices ad operandum adhibuit: quo tempore fertur mirum quoddam extitisse prodigium: fundamentis opera fossorum ad magnam profunditatem perductis inuentum caput modò occisi hominis, facie integra viuo persimile, & calido etiam tum recentiq; manans sanguine. Hoc viso Tarquinius operas iussit fossionem intermittere, accitísque regionis eius vatibus, sciscitabatur quid sibi vellet hoc prodigium. quibus nihil explicantibus, & ad Hetruscos eius scientiæ professores regem relegantibus, percontatus ex eis quisnam apud Hetruscos vates esset præcipui nominis, vbi id didicit, legatos ad eum mittit ciuium lectissimos, his ad eius domum venientibus fortè fortuna pro foribus adolescens quidam fit obuiam: qui rogantibus vt se Romanos legatos vatem conuenire cupientes ad ipsum deduceret: Pater, inquit, meus est quem quæritis, nunc occupatus nonnihil: licebit vobis post modicam dilationem eum accedere. interim mihi qua de causa venitis dicite. ita fiet vt à me præmoniti caueatis, ne quid in rogando peccetis per imperitiam. est enim non minima pars nostræ artis recta interrogatio. Placuit id legatis, & indicauerũt prodigium. ille interposito breui silentio, Audite, inquit, Romani. Prodigium hoc pater vobis interpretabitur nihil mentiens. id enim vati nefas est. cæterùm quomodo ad interrogata rectè absque mendacio respondendum sit (id enim vestra interest)

ex me discite. Post denarratum prodigiũ dicens se non satis percipere quid dicatis, circumscribet certum terræ spatium baculo, deinde dicet: hic est Tarpeius tumulus, hæc orientalis eius pars, hæc occidentalis, hæc septentrionalis, hæc opposita, singulas ostendens baculo. sciscitabitur deinde ex vobis, in quanam harum partium caput inuentum sit. Quid igitur vos respondere moneo? In nullo earum locorum, quos ille interrogans indicarit baculo inuentum caput, sed Romæ visum apud vos in Tarpeio tumulo. hanc responsionem si seruaueritis, nec ab illo seducti fueritis, intelligens quòd fata transferre non licet, quid sibi velit prodigium interpretabitur vobis nihil dissimulans. hæc edocti legati, postquam ad iam otiosum accersiti sunt, introgressi exposuerunt vati quale visum sit prodigium. illo verò describente in terra circulares lineas, ac rursus rectas alias, & per singulas regiones astute de inuentione rogante, nihil perturbati legati eodem modo respondebant, vt erant à vatis filio præmoniti, semper nominantes Romam & Tarpeium tumulum, & postulantes ne interpres sibi vsurpet id signum, sed bene ac iustè dicat omnia. Tum vates non valens signum interuertere, & sibi vsurpare augurium, sic eis locutus est. Referte Romani vestris ciuibus, esse in fatis vt locus in quo id caput inuentum est, fiat caput totius Italiæ. ex illo tempore vocatur Capitoliũ ab inuento ibi capite, caput enim est Romanis quæ Græcis κεφαλή. His ex legatis cognitis Tarquinius structuræ adhibuit opifices, magnámque templi partem perfecit, sed totum opus absoluere non potuit præuentus exilio. tertio demum consulatu libera iam ciuitas operi supremam manum imposuit. Situm est & fundatum in alta crepidine octo

iugerum ambitu, ducentis fermè pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine atque latitudine, vix quindecim pedum differentia: nunc in eisdem fundamentis ætate patrum instauratum est post incendium, nisi quòd maiore luxu quàm fuerat conditum. frons eius meridiem spectans porticum habet cum triplici columnarum ordine: in lateribus ordo duplex est: tres ædes pares communibus continentur lateribus, media Iouis, hinc & inde Iunonis & Mineruæ, sub eodem tecto & pinnaculo. Quin & alia Tarquinio regnante miranda felicitas vrbi contigit, siue deorum alicuius siue dæmonum munere, non temporario, sed in omne æuum seruatura eam è grauissimis periculis. Venit ad tyrannum externa quadam mulier, nouem libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: cúmque Tarquinius nollet eos tanti emere quanti illa indicauerat, abiit & tres exussit ex eo numero: nec multo pòst reliquos relatos tantidem obtulit: derisáq; pro delira, quòd tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere nõ potuerat, rursum discedens reliquorum cremauit dimidium: relatísque tribus auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium accersiuit augures: réque denarrata quid faciendum eos consuluit. illi auguriis quibusdam edocti, aspernatum eum rem missam diuinitus, & piaculũ graue admissum quòd non omnes libros emerit, iusserunt numerari mulieri auri quantum peteret, & reliquum oraculorum redimi. mulier datis libris diligenter eos seruari monuit, nec posthac vsquam visa est inter homines. Tarquinius duũuiros creauit ex numero nobilium, hisq; addidit duos ministros publicos, & per hos custodiri libros voluit. Duumuirorum alterũ M. Atilium, visum non bona

fide

fide rem gerere, & ab uno ministrorum delatū parricidij, in culeum insutum proiecit in mare. Expulsis postea regibus Sibyllinorum cura deuenit ad populum: is nobilissimos viros custodes eorum creauit, qui per totū vitæ tempus fungantur eo munere, liberi alioqui ab omnibus militaribus atque ciuilibus muniis: hósque libros publicè accipiunt, nec sine his cuiquam licet eos inspicere & vt compendio dicā, nullam rem, ne sacram quidem Romani tam diligenter quàm Sibyllina oracula custodiunt. Vtūtur autem eis ex senatusconsulto, siquādo seditionibus turbatur status Reipub. aut in bello insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quæpiam dubia magnúmque aliquid portendentia nuntiata sunt, vt plerunque fit. Hi libri manserunt incolumes vsque ad bellum Marsicum, in tēpli Capitolini cella subterranea, inclusi arca lapidea, asseruati à decemuiris. post exactam verò tertiam supra centesimam & quinquagesimam Olympiadem cremato Capitolio, siue de industria, vt quidam autumant, siue fortuito incēdio, cum aliis donariis Iouis hi quoque igne assumpti sunt. nam qui nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex aliis vrbibus etiam à priuatis hominibus descripti, in quibus inueniuntur quædam supposititia, cæterùm deprehenduntur acrostichidum quas vocant discrimine. Sequor autem hîc Terentij Varronis opinionem quæ habetur in eius commentariis theologicis. Hæc sunt quæ bello pacéque gessit Tarquinius, prætereà deduxit duas colonias, Signiam casu fortuito, cùm in eo campo milites hibernantes castra in modum oppidi cōmunissent: Circeios verò data opera, quòd in Pomptino campo totius Latij maximo

locus is opportunè ad mare situs sit. est autem terrenus tumulus infero mari imminens, vbi Circe habitasse fertur Solis filia. Has ambas cum duobus filiis vt conditoribus dicasset, Circeios Arunti, Tito Signiam, securus iam de regno, ob violatã à Sexto natorum maximo matronæ pudicitiam vrbe simul & regno pulsus est, diuinitus de domestico infortunio præmonitus, cum aliis prodigiis, tum vltimo hoc. par aquilarum non longè à regia verno tempore nidum construxerant in proceræ palmæ cacumine. hunc vultures magno agmine aduolantes disturbauerunt, pullósque etiam tum implumes enecauerunt: ipsas aquilas à pastu redeuntes à palma abegerunt rostris & crebro alarum verbere. Hoc auspicio animaduerso Tarquinius tametsi magnopere sibi caueret, fatum tamen fuit potentius, vt conspiratione patritiorum, adiuuante eos & plebe, regno tyrannus excideret. qui autem fuerint eius tumultus autores, & quomodo ad summum magistratum euaserint, dicetur quantum potero breuiter. cum Rutulis Ardeam incolentibus bellum gerebat Tarquinius, causam prætexens, quòd Romanos exules exceptos conarentur reducere in patriam: sed re vera inhiabat eorum diuitiis, quòd essent omnium Italorum fortunatissimi. cúmque hostis fortiter resisteret, inter obsidionis moras pariter & in castris militi laborum tedium, & vrbanis subuehendorum commeatuum subiit: spectabátque res ad defectionem, si modo quis praberet initium. Interea Sex. Tarquinius à patre missus Collatiam ob eius belli vsum aliquem, diuertit ad cognatum suum L. Tarquinium Collatinum. Hunc Fabius prodit Egerij filium, eius qui supra nobis dictus est Tarquinij Prisci fratris fuisse filius, & ab eo Collatiæ

præfectus

præfectus Collatini cognomen accepit à domicilio, quod mox demanauit & ad posteros. Ergo hunc quoque nepotem Egerij crediderim, quando æqualis fuit Tarquinij liberis, vel ipsius Fabij testimonio, vel multorum aliorũ quibus curæ fuit res Romanas mandare memoriæ: & hanc meam coniecturam confirmat ratio temporum. Aberat tum domo Collatinus agens in castris ad Ardeam. Vxor eius, Lucretij nobilis Romani filia, hominem vt viri cognatum excepit benignissime. huius mulieris eximia forma spectatáque pudicitia præditæ per vim vitiandæ mala libido Sextum iam ante ceperat apud cognatum diuersari solitum, sed tum videbatur oblata occasio. post cœnam deductus cubitũ tantisper se lecto continuit dum sopitos omnes putaret: deinde nemine sentiente obrepsit ad Lucretiæ cubile in manu habens gladium. cúmque mulier ad strepitũ experrecta scitaretur quisnam esset, Tace, inquit, Sex. Tarquinius sum. moriere si vocem emiseris, aut fugere volueris. Sic perterritæ fœminæ optionem proposuit, vtrum mallet turpiter mori, an feliciter viuere. nam si sustinueris, inquit, tui corporis copiam mihi facere, in legitimum thalamum recepta mecum regnabis. nunc enim cuius pater iussit vrbis sum dominus: post eius verò obitum, Romanorum simul & Latinorũ atque Hetruscorũ cæterorúmque vt ille habebo imperiũ. Scio me in paternum regnũ successurũ ætatis priuilegio. quanta autẽ sit regũ felicitas, quæ tibi mecum communis erit, quid opus est apud non ignarã dicere? quòd si amore castitatis reluctari volueris, interficiam te, iugulatóque vno è famulis cõponam vestra corpora, & fingam in stupro deprehensos pœnas dedisse non ferenti gentilis iniuriã, vt post exitiũ infame sepulturæ quoque & funebriũ iacturam

faciat.

faciat. ita precibus ac minis iureiurando addito, omnia se loqui serio, effecit vt Lucretia metu ignominiosæ mortis territa coacta sit cedere perferréque quæ illi patrare libuit. iuuenis exsatiata perniciosa cupidine mane ad exercitum abiit. At Lucretia casum hunc moleste ferens, confestim carpento conscenso Romam properabat amictu atro & sub veste cultrum habens abditum, obiter nec alloquens appellantes, nec respondens quicquam causam trepidationis sciscitantibus, mœsta interim & vultu demisso lacrymis suffusa oculos. vt verò in paternas ædes ventum est (& forte aderant cognati aliquot) genua patris complexa diu fleuit tacita: tandem ab ipso subleuata quærente quid acciderit: Supplex, inquit, venio pater, indignis modis tractata, vt vlciscaris illatam mihi iniuriam, neque despicias morte grauiora passam filiam. mirantibus omnibus, et quodnā iniuriæ genus, quísve autor, percontantibus: Audies, inquit, meas calamitates pater in tempore. sed primùm mi pater cōcede mihi hanc gratiam, conuoca quotquot potes amicos & cognatos, vt ex meipsa quid perpessa sim audiant, non ex aliis. vbi verò didiceris ad quàm indignam necessitatem adacta sim, deliberabis cum eis quonam modo vindicanda sit mea tuáque iniuria. postquam vocati conuenerunt propere viri nobilissimi ita vt postulauerat, attrocitatē rei denarrat ordine: deinde complexa prius patrem, multísque tum ipsum obtestata tum cæteros, comprecatáque deos & dæmonas vt se cito è vita eximant, stricto cultro præcordia vno ictu traiicit. coorto deinde clamore ac eiulatu planctúque muliebri totis ædibus, pater moribundam complexus vocabat nomine, medicamina poscens quasi recollectura se ex vulnere. illa verò in vlnis eius palpitans lu-

ctantem

stantem emisit animam. id verò omnibus qui aderant tam graue ac miserandum visum est, ut uno ore vociferarentur, satius esse pro libertate vel milies emori, quàm tales à tyrannis dissimulanter perferre iniurias. in his erat P. Valerius, ab vno Sabinorum qui cum Tatio Romam venerant oriundus, vir prudens & industrius. Is ad exercitum ab eis mittitur, indicaturus viro casum Lucretiæ, & cum illo ad defectionem à tyranno solicitaturus militarem multitudinem, huic portam exeunti casu quodam Collatinus fit obuiam à castris vrbem repetens domesticæ calamitatis inscius, cum eóque L. Iunius cognomine Brutus, quod in Græcā linguam versum sonat ἠλίθιον: de quo paucis, priusquam reliquum narrationis attexamus, dicendū est, quando ad hunc potissimum autorem Romani libertatem suam referunt, quis fuerit quóve genere, & quomodo appellationem à moribus suis tam alienam nactus sit. Pater ei fuit M. Iunius ab vno Aeneæ sociorum oriundus, inter nobilissimos Romanorum ob virtutem habitus: mater verò Tarquinia Prisci filia. ipse eleganter institutus, omnibus vrbanis disciplinis excultus erat, ingenio ad nullas non artes honestas facili. Verum postquam occiso Tullio Tarquinius inter alios multos & bonos ciues patrem quoque illius occultè de medio sustulit, non ob delictum ullum sed diuitiarum cupidine, quas antiquæ ac opulentæ familiæ hæres à maioribus congestas sibique relictas acceperat: cum eóque filiorum natu grandiorem, quòd iuuenis generosus non inultum laturus videretur patris interitum: Brutus etiā tum adolescens, destitutúsque cognatorum auxilio, rem aggressus est prudentissimā, fatui speciem fictitiā assumere, eámq; ex illo tempore constanter retinuit, expectans opportunitatē temporis.

ris, fatuum interim agens, suóque respondens cognomini. idq; vnicum remedium fuit contrà tyranni sæuitiam debacchantis in multos ciues optimos. Tarquinius enim verè non fictè stultum existimans contempsit hominem, spoliatúmque patrimonio, vt parentibus orbatū & curatore egentē apud se sustentabat exiguū quiddam in alimenta quotidiana suppeditans, versaríque inter liberos suos patiebatur, non honoris causa vt videri voluit, quasi cognatum: sed vt ridiculis dictis factísque oblectamento esset adolescentibus, quemadmodum solent veri fatui. Eo quoque tempore quando ignotū pestilentiæ genus per ditionem eius grassabatur, quòd in pueros maximè sæuiebat & virgines, sed prægnantibus perniciosissimū, matres vnà cum ipso fœtu passim sternens per vias, profecturis ad Delphicum oraculum Arunti & Tito filiis qui deum de mali fine consulerent, comitē illum addidit, gratificatus adulescentibus, vt haberent cui iuueniliter verbis & rebus illuderent. qui accepto responso deum venerati donariis, multū riserunt Brutum quòd baculum ligneum obtulisset Apollini. at ille excauato in modum fistulæ aurum indiderat conscio nemine. priuatim deinde rogauerunt deum, quemnam fata destinarent Romanis futurū principem. responsum est, eum qui primus matrem osculatus fuerit. adolescentes non percipientes sensum oraculi, pacti sunt inter se vt simul matrem oscularentur, cōmunibus auspiciis regnum administraturi. at Brutus intelligens quid deus vellet significare, quamprimū Italiam contigit, prolapsus terrā osculatus est, quòd hæc sit communis mater omniū. Et ad id quidem temporis talis fuerat. Tunc vero vt ex Valerio cognouit casum & necem Lucretiæ, protensis ad cælum manibus: Iupiter, exclamat, diíque

diíque omnes quibus cordi sunt res mortalium, hoccine tempus illud nunc aduenit, expectatum mihi sub hoc fictitio habitu? hoccine fatale est Romam meis auspiciis meáque opera liberari ab infanda tyrannide? His dictis cum Collatino simul & Valerio properat. vt intra ædes peruentum est, Collatinus conspicatus Lucretiam iacentem in medio, patrémque complexum exanimam, ingenti gemitu edito in cadauer irruit, complexúsque osculabatur nomine ciens mortuam, nec aliter quàm viuam alloquens, mentis impos præ dolore nimio. qui dum ita cum patre totáque familia fletu ac lamentis occupatus est, Brutus: Alias, inquit, Lucreti, túque Collatine, vósque cæteri mulieris necessarij, satis temporis ad deflendum habebitis, nunc de vindicta cogitandum est. nam id præsens tempus postulat. Visus est rectè monere, ac mox soli confidentes, semota turba seruorum & familiarium, consultabant quid agendum sit. Ibi primus Brutus præfatus de seipso quam non veram præ se tulisset stultitiam, quibúsque causis ad simulandum adactus sit, postquam apparuit hominem esse longe prudentissimum, prosequens orationem hortatus est vt vna nimes consociata opera Tarquinium & filios vrbe pellerent, multa locutus in eam sententiam ad persuadendum efficacia: animaduertens deinde neminem non promptum: Non verbis, inquit, nec pollicitis, sed factis hic opus est, siquid volumus proficere: séq; dixit facturum initium. ac mox accedens ad cadauer, quod etiamnum propalam iacebat spectaculum miserabile, cruento cultro imposito desuper, iurauit Martem deósque cæteros, se quacunque vi possit Tarquinium exacturum, & neque tyrannos Romæ regnare, neq; quenquam ciuium id permittere, passurum: sed amicos

eorum

eorum pro hostibus habiturum: & vsque ad mortem cum tyrannis eorúmque factione bellum gesturum. quod si iusiurandum violaret, talē sibi suísque liberis exitum vitæ imprecatus est, qualis miseræ illi contigisset. idem deinde iusiurandum exegit à cæteris. illi incunctanter surrexerunt, & cultrum per manus tradentes iurabant alius post aliū: móxque iurati iam quærebant modum aggrediendi negotium. Bruti hæc fuit sententia. Ante omnia custodias portis adhibeamus, ne quid eorumque in vrbe dicuntur aguntúrve contra tyrannidem Tarquinius sentiat priusquam res nostræ paratæ sint. deinde prolato in forum cruore fœdato sic vt est mulieris corpore, Lucretius atque Collatinus progressi in medium deplorent suum infortunium, & rem exponant ordine. reliqui deinde alius post aliū accedens accusent tyrannidem, populúmque ad libertatem prouocent. erit hoc ciuibus exoptatissimum, videre à nobis patritiis initiū libertatis fieri. multa enim à Tarquinio passi sunt & grauia, & satis illis erit vel modica occasio. vbi verò multitudinem aduersus tyrannos concitatam habuerimus, abrogato regno Tarquinio, plebiscitum super hoc quantocyus transmittamus ad exercitum. etenim si armati cognouerint vrbem à tyrannis alienatam, studebunt libertati patriæ, ne largitionibus quidem deuincti. Tum Valerius interloquens. Reliqua, inquit, rectè monere videris Iuni: cæterū de comitiis scire velim, quis indicet ea legitimè, suffragiáque curiarum colliget? magistratus enim est hoc officiū, & nostrum nemo vllum magistratum obtinet, ad hoc ille. Ego Valeri. Sum enim sacrificorum princeps: licétque mihi per leges quandocūque in comitium vocare populum. hunc enim honorū omnium maximū Tarquinius mihi dedit vt fatuo, & neq;

intell

intelligenti eius potestatem, neque vsuro ea si intelligerem, quin & contra tyrannum primus perorare paratus sum. Id ab omnibus collaudatum est vt honestum ac legitimum. Brutus iussus pergere: Quando, inquit, hæc ita videntur, dispiciamus item quis magistratus remp. post expulsos reges curaturus est, & à quo creatus: imo prius etiam qualis erit status reipublicæ quē inducere paramus in locum tyrannidis. Præstat enim omnia consulta habere priusquam aggrediamur tantum facinus, & præconsideratis omnibus nihil inexcussum relinquere. dicat super his vestrum quisque suam sententiam. Variatum est deinde nonnihil. quibusdā placebat regem denuo creare, enumerātibus quantā in rempublicam beneficia superiores reges contulerint. alij negabant vnius potestati amplius concredendam rem Romanā, permoti iniuriis, quibus & alij reges multi, & postremo Tarquinius, ciues suos affecerant: malebántque penes senatū summā potestatem esse sicut in plerísque Græcis ciuitatibus. Aliis neutrū horum placebat, popularē gubernationem qualis Atheniensium præferentibus, & commemorantibus quo pacto paucorū potentia premi humiliores soleant, motísque seditionibus contra illos vicißim insurgere: prædicantibúsque nihil esse libertate & æquato iure ciuium vel tutius vel honestius. cúmq; difficilis electio videretur omnibus, quòd nullus ex his status careret suis vitiis, vbi ventum est ad Brutum sic locutus est. At ego Lucreti túque Collatine & cæteri quotquot adestis boni viri boníque progeniti, nihil nunc de reip. forma statuendū censeo. nam & tempus hoc angustum est præ negotiis, nec ad corrigendū rerum ordinem sufficiens: & vt optimam excogitemus mutationis rationem, non carebit tamen periculo. cæte-

Ioui, Iunoni, Mineruæq; templa vouerat: & rupem quidem destinatã sacro ædificio ingenti sumptu aggeribus in areæ formam complanauerat, vt superiore volumine dictum est, cæterùm structuram templorum præuentus morte non potuit absoluere. Hoc opus Tarquinius ex decimis Suessanæ prædæ perficere cogitans, omnis generis artifices ad operandum adhibuit: quo tempore fertur mirum quoddam extitisse prodigium: fundamentis operà fossorum ad magnam profunditatem perductis inuentum caput modò occisi hominis, facie integra viuo persimile, & calido etiam tum recentiq; manans sanguine. Hoc viso Tarquinius operas iußit foßionem intermittere, accitísque regionis eius vatibus, sciscitabatur quid sibi vellet hoc prodigium. quibus nihil explicantibus, & ad Hetruscos eius scientiæ professores regem relegantibus, percontatus ex eis quisnam apud Hetruscos vates esset præcipui nominis, vbi id didicit, legatos ad eum mittit ciuium lectißimos, his ad eius domum venientibus fortè fortuna pro foribus adolescens quidam fit obuiam: qui rogantibus vt se Romanos legatos vatem conuenire cupientes ad ipsum deduceret: Pater, inquit, meus est quem quæritis, nunc occupatus nonnihil: licebit vobis post modicam dilationem eum accedere. interim mihi qua de causa venitis dicite. ita fiet vt à me præmoniti caueatis, ne quid in rogando peccetis per imperitiam. est enim non minima pars nostræ artis recta interrogatio. Placuit id legatis, & indicauerunt prodigium. ille interposito breui silentio, Audite, inquit, Romani. Prodigium hoc pater vobis interpretabitur nihil mentiens. id enim vati nefas est. cæterùm quomodo ad interrogata rectè absque mendacio respondendum sit (id enim vestra interest)

ex me discite. Post denarratum prodigiũ dicens se non satis percipere quid dicatis, circumscribet certum terræ spatium baculo, deinde dicet: hic est Tarpeius tumulus, hæc orientalis eius pars, hæc occidentalis, hæc septentrionalis, hæc opposita, singulas ostendens baculo. sciscitabitur deinde ex vobis, in quanam harum partium caput inuentum sit. Quid igitur vos respondere moneo? In nullo eorum locorum, quos ille interrogans indicarit baculo inuentum caput, sed Romæ visum apud vos in Tarpeio tumulo. hanc responsionem si seruaueritis, nec ab illo seducti fueritis, intelligens quòd fata transferre non licet, quid sibi velit prodigium interpretabitur vobis nihil dissimulans. hæc edocti legati, postquam ad iam otiosum accersiti sunt, intregressi exposuerunt vati quale visum sit prodigium. illo verò describente in terra circulares lineas, ac rursus rectas alias, & per singulas regiones astute de inuentione rogante, nihil perturbati legati eodem modo respondebant, vt erant à vatis filio præmoniti, semper nominantes Romam & Tarpeium tumulum, & postulantes ne interpres sibi vsurpet id signum, sed bene ac iustè dicat omnia. Tum vates non valens signum interuertere, & sibi vsurpare augurium, sic eis locutus est. Referte Romani vestris ciuibus, esse in fatis vt locus in quo id caput inuentum est, fiat caput totius Italiæ. ex illo tempore vocatur Capitoliũ ab inuento ibi capite, caput enim est Romanis quę Græcis κεφαλή. His ex legatis cognitis Tarquinius structuræ adhibuit opifices, magnámque eius pl. partem perfecit, sed totum opus absoluere non potuit præuentus exilio. tertio demum consulatu libera iam ciuitas operi supremam manum imposuit. Situm est & fundatum in alta crepidine octo

iugerum ambitu, ducentis fermè pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine atque latitudine, vix quindecim pedum differentia: nunc in eisdem fundamentis ætate patrum instauratum est post incendium, nisi quòd maiore luxu quàm fuerat conditum. frons eius meridiem spectans porticum habet cum triplici columnarum ordine: in lateribus ordo duplex est: tres ædes pares communibus continentur lateribus, media Iouis, hinc & inde Iunonis & Mineruæ, sub eodem tecto & pinnaculo. Quin & alia Tarquinio regnante miranda felicitas vrbi contigit, siue deorum alicuius siue dæmonum munere, non temporario, sed in omne æuum seruatura eam è grauissimis periculis. Venit ad tyrannum externa quædam mulier, nouem libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: cúmque Tarquinius nollet eos tanti emere quanti illa indicauerat, abiit & tres exussit ex eo numero: nec multo pòst reliquos relatos tantidem obtulit: derisáq; pro delira, quòd tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere nõ potuerat, rursum discedens reliquorum cremauit dimidium: relatísque tribus auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium accersiuit augures: réque denarrata quid faciendum eos consuluit. illi auguriis quibusdam edocti, asperatum eum rem missam diuinitus, & piaculũ graue admissum quòd non omnes libros emerit, iusserunt numerari mulieri auri quantum peteret, & reliquum oraculorum redimi. mulier datis libris diligenter eos seruari monuit, nec posthac vsquam visa est inter homines. Tarquinius duũuiros creauit ex numero nobilium, hisq; addidit duos ministros publicos, & per hos custodiri libros voluit. Duumuirorum alterũ M. Atilium, visum non bona

fide rem gerere, & ab vno ministrorum delatū parricidij, in culeum insutum proiecit in mare. Expulsis postea regibus Sibyllinorum cura deuenit ad populum: is nobilissimos viros custodes eorum creauit, qui per totū vitæ tempus fungantur eo munere, liberi alioqui ab omnibus militaribus atque ciuilibus muniis: hósque libros publicè accipiunt, nec sine his cuiquam licet eos inspicere & vt compendio dicā, nullam rem, ne sacram quidem Romani tam diligenter quàm Sibyllina oracula custodiunt. Vtūtur autem eis ex senatusconsulto, siquādo seditionibus turbatur status Reipub. aut in bello insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quæpiam dubia magnúmque aliquid portendentia nuntiata sunt, vt plerunque fit. Hi libri manserunt incolumes vsque ad bellum Marsicum, in tēpli Capitolini cella subterranea, inclusi arca lapidea, asseruati à decemuiris. post exactam verò tertiam supra centesimam & quinquagesimam Olympiadem cremato Capitolio, siue de industria, vt quidam autumant, siue fortuito incēdio, cum aliis donariis Iouis hi quoque igne assumpti sunt. nam qui nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim ex aliis vrbibus etiam à priuatis hominibus descripti, in quibus inueniuntur quædam suppositítia, cæterùm deprehenduntur acrostichidum quas vocant discrimine. Sequor autem hîc Terentij Varronis opinionem quæ habetur in eius commentariis theologicis.
Hæc sunt quæ bello pacéque gessit Tarquinius, præterq; deduxit duas colonias, Signiam casu fortuito, cum in eo campo milites hibernantes castra in modum oppidi cōmunissent: Circeios verò data opera, quòd in Pomptino campo totius Latij maximè

locus is opportunè ad mare situs sit. est autem terrenus tumulus infero mari imminens, vbi Circe habitasse fertur Solis filia. Has ambas cum duobus filiis vt conditoribus dicasset, Circeios Arunti, Tito Signiam, securus iam de regno, ob violatã à Sexto natorum maximo matronæ pudicitiam vrbe simul & regno pulsus est, diuinitus de domestico infortunio præmonitus, cum aliis prodigiis, tum vltimo hoc. par aquilarum non longè à regia verno tempore nidum construxerant in proceræ palmæ cacumine. hunc vultures magno agmine aduolantes disturbauerunt, pullósque etiam tum implumes enecauerunt: ipsas aquilas à pastu redeuntes à palma abegerunt rostris & crebro alarum verbere. Hoc auspicio animaduerso Tarquinius tametsi magnopere sibi caueret, fatum tamen fuit potentius, vt conspiratione patritiorum, adiuuante eos & plebe, regno tyrannus excideret. qui autem fuerint eius tumultus autores, & quomodo ad summum magistratum euaserint, dicetur quantum potero breuiter. cum Rutulis Ardeam incolentibus bellum gerebat Tarquinius, causam prætexens, quòd Romanos exules exceptos conarentur reducere in patriam: sed re vera inhiabat eorum diuitiis, quòd essent omnium Italorum fortunatissimi. cúmque hostis fortiter resisteret, inter obsidionis moras pariter & in castris militi laborum tedium, & vrbanis subuehendorum commeatuum subiit: spectabátque res ad defectionem, si modo quis præberet initium. Interea Sex. Tarquinius à patre missus Collatiam ob eius belli vsum aliquem, diuertit ad cognatum suum L. Tarquinium Collatinum. Hunc Fabius prodit Egerij filium, eius qui supra nobis dictus est Tarquinij Prisci fratris fuisse filius, & ab eo Collatiæ

præfectus

præfectus Collatini cognomen accepit à domicilio, quod mox demanauit & ad posteros. Ergo hunc quoque nepotem Egerij crediderim, quando æqualis fuit Tarquinij liberis, vel ipsius Fabij testimonio, vel multorum aliorũ quibus curæ fuit res Romanas mandare memoriæ: & hanc meam coniecturam confirmat ratio temporum. Aberat tum domo Collatinus agens in castris ad Ardeam. Vxor eius, Lucretij nobilis Romani filia, hominem vt viri cognatum excepit benignißime. huius mulieris eximia forma spectatáque pudicitia præditæ per vim vitiandæ mala libido Sextum iam ante ceperat apud cognatum diuersari solitum, sed tum videbatur oblata occasio. post cœnam deductus cubitũ tantisper se lecto continuit dum sopitos omnes putaret: deinde nemine sentiente obrepsit ad Lucretiæ cubile in manu habens gladium. cúmque mulier ad strepitũ experrecta scitaretur quisnam esset, Tace, inquit, Sex. Tarquinius sum. moriere si vocem emiseris, aut fugere volueris. Sic perterritæ fœminæ optionem proposuit, vtrum mallet turpiter mori, an feliciter viuere. nam si sustinueris, inquit, tui corporis copiam mihi facere, in legitimum thalamum recepta mecum regnabis. nunc enim cuius pater iußit vrbis sum dominus: post eius verò obitum, Romanorum simul & Latinorũ atque Hetruscorũ cæterorúmque vt ille habebo imperiũ. Scio me in paternum regnũ successurũ ætatis priuilegio, quanta autẽ sit regũ felicitas, quæ tibi mecum communis erit, quid opus est apud non ignarã dicere? quòd si amore castitatis reluctari volueris, interficiam te, iugulatóq; vno è famulis cõponam vestra corpora, & fingam in stupro deprehensos pœnas dedisse non ferenti gentilis iniuriã, vt post exitiũ infame sepulturæ quoq; & funebriũ iacturam

facias.

facias. ita precibus ac minis iureiurando addito, omnia se loqui serio, effecit vt Lucretia metu ignominiosæ mortis territa coacta sit cedere perferréque quæ illi patrare libuit. iuuenis exsatiata perniciosa cupidine mane ad exercitum abiit. At Lucretia casum hunc moleste ferens, confestim carpento conscenso Romam properabat amictu atro & sub veste cultrum habens abditum, obiter nec alloquens appellantes, nec respondens quicquam causam trepidationis sciscitantibus, mæsta interim & vultu demisso lacrymis suffusa oculos. vt verò in paternas ædes ventum est (& forte aderant cognati aliquot) genua patris complexa diu fleuit tacita: tandem ab ipso subleuata quærente quid acciderit: Supplex, inquit, venio pater, indignis modis tractata, vt vlciscaris illatam mihi iniuriam, neque despicias morte grauiora passam filiam. mirantibus omnibus, et quodnā iniuriæ genus, quísue autor, percontantibus: Audies, inquit, meas calamitates pater in tempore. sed primùm mi pater cōcede mihi hanc gratiam, conuoca quotquot potes amicos & cognatos, vt ex meipsa quid perpessa sim audiant, non ex aliis. vbi verò didiceris ad quàm indignam necessitatem adacta sim, deliberabis cum eis quonam modo vindicanda sit mea tuáque iniuria. postquam vocati conuenerunt propere viri nobilissimi ita vt postulauerat, attrocitatē rei dénarrat ordine: deinde complexa prius patrem, multísque tum ipsum obtestata tum cæteros, comprecatáque deos & dæmonas vt se cito è vita eximant, stricto cultro præcordia vno ictu traiicit. coorto deinde clamore ac eiulatu planctúque muliebri totis ædibus, pater moribundam complexus vocabat nomine, medicamina poscens quasi recollectura se ex vulnere. illa verò in vlnis eius palpitans luctantem

stantem emisit animam. id verò omnibus qui aderant tam graue ac miserandum visum est, ut vno ore vociferarentur, satius esse pro libertate vel milies emori, quàm tales à tyrannis dissimulanter perferre iniurias. in his erat P. Valerius, ab vno Sabinorum qui cum Tatio Romam venerant oriundus, vir prudens & industrius. Is ad exercitum ab eis mittitur, indicaturus viro casum Lucretiæ, & cum illo ad defectionem à tyranno solicitaturus militarem multitudinem, huic portam exeunti casu quodam Collatinus fit obuiam à castris urbem repetens domesticæ calamitatis inscius, cum eóque L. Iunius cognomine Brutus, quod in Græcā linguam versum sonat ἠλίθιον: de quo paucis, priusquam reliquum narrationis attexamus, dicendū est, quando ad hunc potissimum autorem Romani libertatem suam referunt, quis fuerit quóve genere, & quomodo appellationem à moribus suis tam alienam nactus sit. Pater ei fuit M. Iunius ab vno Aeneæ sociorum oriundus, inter nobilissimos Romanorum ob virtutem habitus: mater verò Tarquinia Prisci filia. ipse eleganter institutus, omnibus vrbanis disciplinis excultus erat, ingenio ad nullas non artes honestas facili. Verum postquam occiso Tullio Tarquinius inter alios multos & bonos ciues patrem quoque illius occultè de medio sustulit, non ob delictum vllum sed diuitiarum cupidine, quas antiquæ ac opulentæ familiæ hæres à maioribus congestas sibique relictas acceperat: cum eóque filiorum natu grandiorem, quòd iuuenis generosus non inultum laturus videretur patris interitum: Brutus etiā tum adolescens, destitutúsque cognatorum auxilio, rem aggressus est prudentissimā, fatui speciem fictitiā assumere, eámq; ex illo tempore constanter retinuit, expectans opportunitatē temporis.

ris, fatuum interim agens, suóque respondens cognomini. idq; unicum remedium fuit contrà tyranni sæuitiam debacchantis in multos ciues optimos. Tarquinius enim verè non fictè stultum existimans contempsit hominem, spoliatúmque patrimonio, vt parentibus orbatū & curatore egentē apud se sustentabat exiguū quiddam in alimenta quotidiana suppeditans, versaríque inter liberos suos patiebatur, non honoris causa vt videri voluit, quasi cognatum: sed vt ridiculis dictis factísque oblectamento esset adolescentibus, quemadmodum solent veri fatui. Eo quoque tempore quando ignotū pestilentiæ genus per ditionem eius grassabatur, quòd in pueros maximè sæuiebat & virgines, sed prægnantibus perniciosissimū, matres vnà cum ipso fœtu passim sternens per vias, profecturis ad Delphicum oraculum Arunti & Tito filiis qui deum de mali fine consulerent, comitē illum addidit, gratificatus adulescentibus, vt haberent cui iuueniliter verbis & rebus illuderent. qui accepto responso deum venerati donariis, multū riserunt Brutum quòd baculum ligneum obtulisset Apollini. at ille excauato in modum fistulæ aurum indiderat conscio nemine. priuatim deinde rogauerunt deum, quemnam fata destinarent Romanis futurū principem. responsum est, eum qui primus matrem osculatus fuerit. adolescentes non percipientes sensum oraculi, pacti sunt inter se vt simul matrem oscularentur, cōmunibus auspiciis regnum administraturi. at Brutus intelligens quid deus vellet significare, quamprimū Italiam contigit, prolapsus terrā osculatus est, quòd hæc sit communis mater omniū. Et ad id quidem temporis talis fuerat. Tunc verò vt ex Valerio cognouit casum & necem Lucretiæ, protensis ad cælum manibus: Iupiter, exclamat,

diíque

diíque omnes quibus cordi sunt res mortalium, hoccine tempus illud nunc aduenit, expectatum mihi sub hoc fictitio habitu? hoccine fatale est Romam meis auspiciis meáque opera liberari ab infanda tyrannide? His dictis cum Collatino simul & Valerio properat, vt intra ædes peruentum est. Collatinus conspicatus Lucretiam iacentem in medio, patrémque complexum exanimam, ingenti gemitu edito in cadauer irruit, complexúsque osculabatur nomine ciens mortuam, nec aliter quàm viuam alloquens, mentis impos præ dolore nimio. qui dum ita cum patre totáque familia fletu ac lamentis occupatus est, Brutus: Altàs, inquit, Lucreti, túque Collatine, vósque cæteri mulieris necessarij, satis temporis ad deflendum habebitis, nunc de vindicta cogitandum est. nam id præsens tempus postulat. Visus est rectè monere, ac mox soli confidentes, semota turba seruorum & familiarium, consultabant quid agendum sit. Ibi primus Brutus præfatus de seipso quam non veram præ se tulisset stultitiam, quibúsque causis ad simulandum adactus sit, postquam apparuit hominem esse longe prudentissimum, prosequens orationem hortatus est vt vna omnes consociata opera Tarquinium & filios vrbe pellerent, multa locutus in eam sententiam ad persuadendum efficacia: animaduertens deinde neminem non promptum: Non verbis, inquit, nec pollicitis, sed factis hic opus est, siquid volumus proficere: seq; dixit facturum initium. ac mox accedens ad cadauer, quod etiamnum propalam iacebat spectaculum miserabile, cruento cultro imposito desuper, iurauit Martem deósque cæteros, se quacunque vi posit Tarquinium exacturum, & neque tyrannos Romæ regnare, neq; quenquam ciuium id permittere, passurum: sed amicos

eorum

eorum pro hostibus habiturum: & vsque ad mortem cum tyrannis eorúmque factione bellum gesturum. quod si iusiurandum violaret, talē sibi suísque liberis exitum vitæ imprecatus est, qualis miseræ illi contigisset. idem deinde iusiurandum exegit à cæteris. illi incunctanter surrexerunt, & cultrum per manus tradentes iurabant alius post aliū: móxque iurati iam quærebant modum aggrediendi negotium. Bruti hæc fuit sententia. Ante omnia custodias portis adhibeamus, nequid eorumque in vrbe dicuntur aguntúrve contra tyrannidem Tarquinius sentiát priusquam res nostra paratæ sint. deinde prolato in forum cruore fœdato sic vt est mulieris corpore, Lucretius atque Collatinus progressi in medium deplorent suum infortunium, & rem exponant ordine. reliqui deinde alius post aliū accedens accusent tyrannidem, populúmque ad libertatem prouocent. erit hoc ciuibus exoptatissimum, videre à nobis patritiis initiū libertatis fieri. multa enim à Tarquinio passi sunt & grauia, & satis illis erit vel modica occasio. vbi verò multitudinem aduersus tyrannos concitatam habuerimus, abrogato regno Tarquinio, plebiscitum super hoc quantocyus transmittamus ad exercitum. etenim si armati cognouerint vrbem à tyrannis alienatam, studebunt libertati patriæ, ne largitionibus quidem deuincti. Tum Valerius interloquens, Reliqua, inquit, rectè monere videris Iuni: cæterū de comitiis scire velim, quis indicet ea legitimè, suffragiáque curiarum colliget? magistratus enim est hoc officiū, & nostrum nemo vllum magistratum obtinet, ad hoc ille. Ego Valeri. Sum enim sacrificorum princeps: licétque mihi per leges quandocūque in comitium vocare populum. hunc enim honorū omnium maximū Tarquinius mihi dedit vt fatuo, & neq́

intell

intelligenti eius potestatem, neque vsuro ea si intelligerem, quin & contra tyrannum primus perorare paratus sum. Id ab omnibus collaudatum est vt honestum ac legitimum. Brutus iussus pergere: Quando, inquit, hæc ita videntur, dispiciamus item quis magistratus remp. post expulsos reges curaturus est, & à quo creatus: imo prius etiam qualis erit status reipublicæ quē inducere paramus in locum tyrannidis. Præstat enim omnia consulta habere priusquam aggrediamur tantum facinus, & præconsideratis omnibus nihil inexcussum relinquere. dicat super his vestrum quisque suam sententiam. Variatum est deinde nonnihil. quibusdā placebat regem denuo creare, enumerātibus quanta in rempublicam beneficia superiores reges contulerint. alij negabant vnius potestati amplius concredendam rem Romanā, permoti iniuriis, quibus & alij reges multi, & postremo Tarquinius, ciues suos affecerant: malebantque penes senatū summā potestatem esse sic vt in plerisque Græcis ciuitatibus. Aliis neutrū horum placebat, popularē gubernationem qualis Atheniensium præferentibus, & commemorantibus quo pacto paucorū potentia premi humiliores soleant, motisque seditionibus contra illos vicissim insurgere: prædicantibusque nihil esse libertate & æquato iure ciuium vel tutius vel honestius. cúmq; difficilis electio videretur omnibus, quòd nullus ex his status careret suis vitiis, vbi ventum est ad Brutum sic locutus est. At ego Lucreti túque Collatine & cæteri quotquot adestis boni viri boníque progeniti, nihil nunc de reip. forma statuendū censeo. nam & tempus hoc angustum est præ negotiis, nec ad corrigendū rerum ordinem sufficiens: & vt optimam excogitemus mutationis rationem, non carebit tamen periculo. cæte-

rùm postquam à tyrannide liberati fuerimus, maiorem facultatem & plus otij habebimus de communi consilio reformandi Remp. in melius. si quid tamen melius est eo statu, quem Romulus, Pompilius, aliique pòst reges nobis tradiderunt, sub quorum administratione continuata felicitate magna latéque populis imperitans nostra fuit ciuitas. Incommoda autem propter quæ regnum facilè in sæuitiam tyrannicam degenerat, & quæ regiam potestatem inuisam omnibus faciunt, ea & nunc corrigenda, & in posterum cauenda moneo. ecquæ nam illa? primum quoniam multi spectant rerum nomina, & ex his æstimatione facta res ipsas aliquando vel noxias expetunt, vel utiles fugiunt, inter quas est & regnum, nomen in Republica eius mutandum arbitror: vt quorum curæ posthac committetur ciuitatis incolumitas, non reges neque monarchæ vocentur, sed alio quopiam modestiore magísque populari vocabulo. deinde non constituendam vnam potestatē penes quā sint omnia, sed duobus viris permittendum regium imperium, sicut Lacedæmonios audio facere iam multis ætatibus. ideóque hanc formam Reip. inter omnes Græcos maximè florere legibus & opibus. minus enim iniuriosi erunt & molesti diuisa potestate bifariam, ambobus eandem vim obtinentibus: & alter alterum reuerebitur ac vicißim reuocabit à licentia: æmulatio quoque ad virtutis opinionem ex potestate æquata maximè nascitur. Præterea è tam multis regiis insigniis si quæ sunt inuidiosa & molesta populo, vel moderari opus est, vel in totum tolli: sceptra ista dico & coronas aureas, & purpureas auro intertextas trabeas, nisi statis festis & in pompis triumphalibus, assumantur honoris deorum gratia. rarus enim horum vsus inuidiosus non erit. cæte-

rùm

rum sella eburnea in qua sedentes ius reddant populo, relinquenda est vnà cum prætexta candida & lictoribus duodecim secures præferentibus per vias. Superest vnū ad retinendos in officio summos magistratus omnium quæ hactenus memoraui vtilissimum, vt perpetuum non sit & cum vita demum finiendum imperium. prægrauis enim est omnibus magistratus cui nullum certum tempus præfinitum est, eóque ratione m reposcitur à nemine, vnde tyrannis nascitur. contrahenda igitur potestas exēplo Atheniensium intra tempus annuū. imperandi enim parendique vicißitudo, & potestas antequam corrumpat animum relinquenda, reprimit ingenia fastuosa, nec sinit inebriari licentia nimia. In hunc modum constitutis rebus fruemini bonis gubernationis regiæ, absque agnatis illi incommodis. Et vt nomen regium auspicato in hanc ciuitatē receptū seruetur religionis causa vt sacrū, creetur semper rex cui honor hic sit perpetuus, & immunitas à militia, nec aliud negotium habeat quàm curam sacrorum quæ per reges factitabantur antea. Nunc audite quomodo cōficiemus singula. Ego indicam comitia, quando vt ostendi concessum hoc est mihi legibus: rogabóque populū iubeántne exulare Tarquiniū cum vxore atq; liberis: arceríque vrbe ac ditione Romana in perpetuū cum omni posterorum progenie. quæ rogatio vbi approbata fuerit suffragiis ciuiū, indicata prius ratione Reip. quam cogitamus instituere, interregem creabo qui designet magistratus populi, & ipse deponā honorem quem à rege acceptū nunc gero. tum interrex centuriatis comitiis nominet magistratus, designandos in locum regium, expectaturus suffragia ciuium. quòd si pluribus centuriis placuerit ratam esse electionem, simulq; aues addixerint, tū assumptis fa-

scibus cum reliquis regia potestatis insigniis, dent operam vt libera habeamus hanc patriam, néve unquam reditus in eã Tarquiniis pateat. Tentabunt enim vel persuaso populo, vel vi, vel dolo vel quauis arte alia dominationem recipere, nisi ab eis nobis cauerimus. Hæc sunt præcipua quæ in rem præsentem admonendos vos duximus. Reliqua nec pauca nec disquisitioni nostræ propter temporis angustias facilia, præstat committere futuris magistratibus. Sed hos oportet omnia ex senatus consulto decernere, quemadmodum mos erat regibus, & nihil sine nobis agere, & senatus placita referre ad populum, sicut maiores nostri solebant, nec in re vlla eius pristinam autoritatem diminuere nam hoc pacto honestissimè se habebit magistratus summus, eritque tutissimus. Omnes laudarunt Iunij Bruti sententiam, ac post modicam de magistratibus futuris consultationem decreuerunt interregem dicere Sp. Lucretium patrem eius quæ se interfecerat, & ab eo designari magistratus cum potestate regia L. Iunium Brutum, L. Tarquinium Collatinum. eos magistratus placuit nominari ipsorum lingua consules, quos Græca voce interpretari licet συμβόλυς siue προβόλυς. nam consilia Romani vocant, quas nostrates συμβόλυς. Græci tamen procedente tempore ὑπάτυς appellare maluerunt à potestatis præcellentia, quòd rerum imperium, summumque inter reliquos Reipublicæ Romanæ magistratus locum obtineant. nam quod præcellens & summum est, prisci Græci vocabant ὕπατον. His ita statutis, diisque in vota vocatis vt iusta piáque capta secundarent, in comitium prodeunt, sequentibus famulis in atrata lectica ferentibus incuratum cruentatúmq; cadauer Lucretiæ: qua ante curiam in loco sublimi & conspicuo posita

conuocabatur populus. cúmque non solum forensis turba, sed excitus tota vrbe per pracones populus confluxissent, Brutus conscenso loco vnde concionanari mos erat, astantibus patritiis, in hunc modum locutus est. De necessariis & praclaris rebus verba facturus apud vos Quirites, de meipso primum paucis praloquar. Fortaßis enim quibusdam, imò dubio procul multis insanire videbor, quòd vir mentis non integra, de maximis rebus dicere aggrediar, cui curatore opus sit. Volo igitur vos scire falsam fuisse opinionem de me publicam, cuius tamen autor nemo fuit prater me. vt autem neque pro ingenio meo, neque pro decoro viuerem, sed prout Tarquinio libuit, & mihi visum est vtile, in causa fuit metus & vita periculum. Regem enim qui principatus initio patrem meum occiderat, vt opes eius luculentas inuaderet: & maiorem fratrem vltorem paterna necis futurum si licuisset, cade clancularia de medio sustulerat: satis apparebat non parciturum nec mihi destituto carißimis necessitudinibus, nisi egissem morionem fictitium. hoc me figmentum creditum à tyranno & è familiari clade eripuit, & huic incolumem seruauit tempori: quod postquam exoptatum mihi aduenit, nunc denique per vigintiquinque annos gestatã personam libet deponere. Et hac quidem de me dixisse sufficiat. Caterùm de Republica cuius causa conuocati frequentes adestis, hoc aio, Tarquinium neque legitimè patrióue more assumpsisse principatum: neq; posteaquam eum quibuscunq; artibus adeptus est, honestè gesisse aut regiè, sed per maiorem vniuersi iuris & aequi contemptum quàm vllus vnquam tyrannus in omni memoria. Eum de communi sententia nos patritij regno priuare decreuimus, quod vtinam dudum factum esset: nunc verò opportuni-

tatem nacti vos Quirites conuocauerimus, vt indicata voluntate nostra, vestram opem precibus expetamus in asserenda libertate patria, cuius nec antè nobis occasio contigit ex quo principatum occupauit Tarquinius, nec posthac, nisi nunc fortes viri fuerimus, vnquam dabitur. Quod si temporis quantum opus esset haberem, aut cum nesciis agerem, omnia tyranni enumerarem scelera, quibus non vnum supplicium commeruit. Verum quoniam tēporis angustia id non patitur, quod pauca dicta, multa facta postulat, & ad non ignaros verba facio, pauca tantum cōmemorabo sed pracipua eius facinora, adeo manifestaria, vt nullam excusationem admittant, nullius quantumuis diserti sceleratus ille subleuari possit patrocinio. Hic est ille Tarquinius Quirites, qui nondum princeps fratrē germanum, quia malus esse nolebat, veneno sustulit, assumpta ipsius vxore in societatem eius sceleris sua coniugis germana, quam diis iratis adulterio iam antè corruperat. Hic vxorem pudicam matronam & communium liberorum parentem eodem veneno eodem tempore necauit, ac ne paululum quidem lugubri specie dissimulauit vtrunque veneficium. sed confestim post perpetrata egregia hac facinora, fumantibus etiam tum rogis qui misera illa corpora exceperant, ipse amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidam sponsam in sororis thalamū ex pacto nefario, primus ac solus inducēs in hāc vrbem morem impium & apud omnes Gracas simul atque barbaras nationes abominabilem. Quale porrò fuit illud facinus Quirites, quàm dirum & infame, quod perpetrauit in soceros? iugulato enim propalam Seruio Tullio regum omnium aquissimo, optiméque de vobis merito, cuius ne corpus quidem sepultura dignatus est: Tarquiniam

tius coniugem, quam ipsius merito debuerat matris loco vt materteram colere, ante persoluta marito luctus & inferiarum extrema officia necauit laqueo miseram: atque ita tractauit eos à quibus ipse seruatus & educatus fuerat, hæres etiam atque successor futurus si paulum expectasset naturalem eorum obitum. Sed quid his obiurgandis immoror, cum præter domestica in cognatos & soceros facinora tot iniquitates accusandas habeam, admissas in nos omnes communémque patriam? si tamen iniquitates dicendæ sunt, ac non potius piacula & abominationes omnium nationum & gentium. primò regnum, vt hinc incipiam, quomodo adeptus est? num ita vt antè reges alij? minime. immo plurimum interest. nam illi omnes à nobis ad principatum prouecti sunt ritu moréque patrio, primùm ex senatus consulto, cuius primæ partes sunt in omnibus publicis consiliis: deinde per electos à senatu interreges, penes quos est iudicium quis regno sit idoneus: postremo suffragante in comitiis populo, cui confirmandi ius est in rebus maximis, accedunt huc auspicia, litationes, cæteraq; diuinitus signa felicia, sine quibus nihil humana consilia proficiunt. agedum quis vestrum scit obseruatum horum aliquid quando Tarquinius assumpsit imperium? quod senatus consultum? quod interregum iudicium? quæ populi suffragia? quæ auspicia addictoria? non dico hæc omnia, tametsi in recta creatione nihil prætermitti debuisset legitimũ: sed si quis vnum quoduis horum tunc obseruatum potest ostendere, non recuso notam calumniæ. Quomodo igitur principatum assecutus est? armis & vi, malorúmque hominum conspirationibus, vt tyrannis mos est, nobis inuitis & indignè ferẽtibus. Sed forte regnum quomodocunq; quæsitum admi-

ſtrauit regiè, ad ſuperiorum regum exemplum, qui nihil non dixerunt atque fecerunt quo fortunatiorem & maiorem hanc ciuitatem ſucceſſoribus traderent, quã ipſi accepiſſent à ſuis maioribus. Ecquis ſanus hoc diceret? qui modò videret quàm miſeris modis omnes accepti ſimus ab eo. taceo iniurias noſtri ordinis patritij, quas ne hoſtis quidem audiret abſque lacrymis, quando pauci è multis ſuperſumus. è magnis facti humiles, ad paupertatem atq; adeo egeſtatem redacti ereptis ingentibus opibus, ut illi præclari viri, graues & magnifici, per quos olim inclyta fuit hæc noſtra ciuitas, partim perierunt, partim exulant. Quid res veſtra plebeij, quomodo ſe habent? an non leges vobis abſtulit? an non interdixit omni conuentu ſacrorum gratia? an non comitia, ſuffragia, concionéſque ſuſtulit? quin & corporibus veſtris haud ſecus quàm mancipiorum emptitiorum ad varios labores abutitur, cogens materiem cædere, onera humeris ſubuehere, in profundis & voraginoſis foſſis conteri ſine intermiſſione, ne minima quidem conceſſa requie. quis igitur erit harum calamitatum finis? quouſq; hæc pati ſuſtinebimus? vſque ad obitum Tarquinij. Ita per Iouem. Ecquid tum nobis erit melius? immo quid non deterius? tres enim ex vno prognatos habebimus Tarquinios patre ipſo ſceleratiores. nam quando iſte ex priuato factus tyrannus, & ſero malitiam exercere aggreſſus, in omnibus tyrannicis vitiis eſt abſolutiſſimus, qualem oportet exiſtimare euaſuram eius ſobolem, malo genere natam, maléque educatam, quibus nunquam aliquod eius moderatum aut ciuile factum videre vel audire licuit? & ne diuinare opus ſit vobis de execrando ipſorum ingenio, vtq; pernoſcatis quales catuli ſuboleſcant in Tarquinij tyrannide,

nide. en factum unius eorum natu maximi. Hac est Sp. Lucretij filia, quem tyrannus discedens urbi præfectum reliquit, uxor Tarquinij Collatini tyrannorum gentilis, multis laboribus præclarè de ipsis meriti: quæ pudica amansque mariti mulier, cum ex officio bonæ matronæ propter cognationem Sextum domi excepisset hospitio, præterita nocte absente Collatino & in castris agente, indomitam tyranni libidinem effugere non potuit, sed quasi bello capta pertulit quæ nefas est offerre liberæ fœminæ. quam iniuriam indignè ferens ut intolerabilem, postquam patri cæterisque cognatis suum denarrauit infortunium, multum precata obtestataque ut ultores eius calamitatis fierent, stricto cultro quem sub veste celauerat, patre inspectante Quirites, ferrum demersit in viscera. ô admirandam mactámque nobilis propositi fœminam. Abiisti, periisti, non ferens tyrannicam libidinem, contemptis omnibus vitæ voluptatibus, nequid posses posthac pati simile. Et postea cũ tu Lucretia nata mulier generosi viri mentem habueris, nos quos natura viros esse voluit, virtute vincemur à fœminis? Et tu quidẽ unius noctis tyrannide spoliata per vim impolluta pudicitia, mortem vita existimasti beatiorem: nos verò non idem credemus? quibus Tarquinius non una die, sed per continuos iam vigintiquinque annos oppressis, adempta libertate simul spes omnes abstulit, non est vitalis Quirites hæc vita tot miseriis inuoluta nobis illorum virorum posteris, qui digni etiam exteris iura reddere, tam periculosa pro imperio gloriáque subiuerunt certamina: alterutrum eligendum est, aut mors gloriosa, aut vita libera. Venit tempus quod optauimus, abest Tarquinius, duces ad audendum sunt patritij: nihil nobis deerit, si rem alacriter aggrediamur. non

viri, non pecuniæ, non arma, non duces, non aliud quicquam quod ad apparandum bellum attinet. referta est urbs his rebus omnibus: & turpe est in Volscos ac Sabinos, multósque præter hos imperium affectantibus, ipsos domi seruire aliis: gestísque tot bellis pro ambitione Tarquinij, nullum pro libertate propria suscipere. At quibus facultatibus fretos, quibúsve auxiliis? hoc enim dicendum superest. In primis deorum immortalium, quorum sacra, fana, arásque Tarquinius manibus cruentis ciuilique cæde consceleratis polluit, dum sacrificiis præest ac libaminibus. deinde [illegible] ipsorum ope, nec paucorum nec imbel[illegible] artium militarium: sociorum quoque, qui à vobis non vocati, nihil amplius e[illegible] sin viderint virtutis memores, liben[illegible] societatem venient. tyrannis enim [illegible] est omnibus libertatem amātibus. Quòd si [illegible] ciues timent qui cum Tarquinio [illegible] stent contra nos, eorum timor [illegible] illi premuntur ty[illegible] est omnibus mortalibus liber[illegible] & [illegible] labores perferentibus [illegible] videbitur idonea: [illegible] patria ferendam vo[illegible] retineri apud ty[illegible] aut vio[illegible] & ut [illegible] vel mala [illegible] tyrannicam, [illegible], vel [illegible] parti[illegible] coram [illegible] pignora. [illegible] vincti,

facile


facile à tyrannis eos alienabimus. Ergo in tam ampla spe fortiter Quirites bellum suscipite, omnium ad hanc ætatem honestissimum. Dij patrij terræ huius boni præsides, vósque genij quorum cultus maioribus nostris obtigit, vestra sacratéque patria diis carissima, in qua nati sumus & educati, tuebimur tota mente, dictis factísque, etiam animas impendere si opus sit parati, patique quicquid fors fatúmque tulerit, auguror tamen bene cepta felicem habitura exitum. Dij faxint vt pari fortitudine vnanimes omnes seruemus, seruemúrque inuicem. Concionanti Bruto frequenter acclamatum est ad singula, magna significatione alacritatis omnium, vltro etiam ad audendum accedentium. non paucis ad tam mirificam & inexpectatam orationem lacrymantibus præ gaudio, affectis variè multitudinis animis. mixtum enim erat mœrori gaudium consideratione præteritorum malorum, futurorumq; bonorum spe: & audacia metumq; alternantibus, nunc tedio malorum contemnebatur securitas. nunc difficultatis in tollenda tyrannide reputatio retardabat impetus. vt verò dicere desiit, velut vno ore omnes exclamauerunt, arma sibi traderet. Tum Brutus lætus, Ita, inquit, si prius cognita senatus voluntate, vestris eam suffragiis ratam feceritis. Placet enim nobis exulare Tarquinios vrbe Romana, totiúsque imperij finibus cum tota progenie: nec cuiquam vllo modo licere pro eorum reditu vel dicere aliquid vel facere: esséque capitalem si quis contra fecerit. hanc sententiam si ratum esse vultis, curiatim ferte suffragia. id esto vestræ libertatis initium. Factum est ita, omniúmque curiarum calculis decretum tyrannorum exilium. Tum Brutus: Quoniam quod erat primum omnium ratum fecistis ita vt debuistis, audite reliqua quæ

in remp.

in remp. consuluimus. Nobis considerantibus quanam rerum gubernatio sit potior, non placet regiam in posterum constitui, sed duobus viris magistratum committi annuũ cum potestate regia, quoscunque vos centuriatis comitiis designaueritis. Id si vobis quoque ita videtur, ferte suffragia. Et hac sententia comprobata est omnibus ad vnum calculis, quo facto Brutus more patrio dixit interregem comitiorum causa Sp. Lucretium. Ille concione dimissa iussit omnes cum armis adesse in campum Martiũ, vbi mos est legitimis comitiis magistratus eligi. eò postquam ventum est, duos viros nominauit habituros potestatem regiam, Brutum & Collatinum. his populus eum honorem ratum fecit collectis centuriatim suffragiis. Dum hæc in vrbe geruntur, Tarquinius rex vbi ex primis nuntiis, qui per vrbis portas priusquam clauderentur euaserant, hoc solum cognouit, Brutum concionantem vocare ad libertatem populum, re nemini communicata, filiis tantum & amicorum fidissimo quoque comitatus admissis equis properat, immaturam defectionem præuenire cupiens, cumque portas clausas reperisset, refertaque armatis mœnia, quantocyus repetebat castra gemens sèque affligens obiter. Sed illic quoque superuenit rebus iam perditis. Consules enim præuidentes animo aduentum eius celerem, diuersis itineribus literas ad milites in castra miserant, hortantes eos vt à Tyranno deficerent, & certiores facientes de decretis populi. Has receptas præfecti castrorum à tyranno relicti, T. Herminius & M. Horatius pro concione legerunt: perquisitáque per singulas centurias sententia militum, quid opus facto sit, cum vniuersi censerent approbanda decreta vrbanorum ciuium, noluerunt amplius Tarquinium venientem admittere. atque ita hac

quoq

quoque spe frustratus rex fugit cum paucis Gabios, vbi regem filiorum maximum Sextum ab eo relictum diximus, iam canus ipse, viginti quinque annis exactis in imperio. Herminius & Horatius in quindecim annos inducias cum hoste pacti abduxerunt exercitum ab Ardea. Regnatum est Romæ à condita vrbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor.



DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatũ siue Originum Romanarum,

LIBER V.

Continet regibus eiectis mutationem reip. & res deinceps sub COSS. gestas ab Olympiade sexagesimaoctaua vsque ad septuagesimamprimam, tempus duodecim omnino annorum.



EGNANTE *Roma vltimo rege cum iustum ac legitimum regnum versum esset in tyrannidem, per quos diximus viros liberata est patria, initio sexagesimæ octauæ Olympiadis, qua in stadio vicit Ischomachus Crotoniensis, gerẽte Athenis annuum principatum Isagro. Quadrimestres consules L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus*

tinus, quem magistratum lingua ipsorum à consulendo appellatum diximus, assumptis in societatem multis post inducias & exercitus ab Ardea reditum, paulo post quàm pulsus est Tarquinius vocatum in concionem populum multis verbis ad concordiam hortati, effecerunt vt nouo plebiscito prius illud decretum confirmaretur de perpetuo Tarquiniorum exilio. Post hæc lustrata vrbe, cæsisque victimis, primi ipsi super eis stantes iurarunt nunquam se reducturos ab exilio regem Tarquinium, neque eius filios, neque ex illis prognitos: regem Romæ posthac creaturos neminem neque creari passuros. atque hæc pro se proq; suis liberis ac posteris iurauerunt. Sed quoniam multa magna beneficia collata videbantur in remp. à regibus, volentes hoc nomen in vrbe seruari perpetuo, iusserunt vt pontifices & augures designarent vnum aliquem è senioribus ad hoc idoneum, qui sacris tantum præesset, immunis à militia, vocaretúrque rex sacrificulus, primusq; hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius vir patritius, quietis amantissimus. His ita constitutis, veriti opinor falsam vulgi opinionem de innouata rep. quasi pro vno duobus factis regibus, vtrunque consulem præeuntibus duodecim securibus, sicut antè mos regum fuerat, decreuerunt ciuium terrorem tollere, & potestatis inuidiam minuere, instituto vt alterum consulum duodecim secures præcederent, alterum duodecim lictores cum solis fascibus, atque etiam cum furcis, vt à quibusdam est proditum: secures singulis mensibus collegæ sibi vicissim traderent. hoc institutum humilem plebem obsequentem in officio retinuit, sicut & alia quædam similia non pauca. Leges enim Tullij de contractibus humanas admodum & populares, quas in vniuersum Tarquinius

sustulerat, reuocauerunt in vsum: & cœtus sacrorum causa tam in vrbe quam in agris fieri solitos, per paganos & tribules diligenter celebrari iusserunt quemadmodum Tullij temporibus. reducta sunt & comitia suffragiaq; de rebus maximis, cæteraq; instituta veterum gaudente populo post diuturnam seruitutem ex insperato restitutum se libertati pristinæ. Non defuerunt tamen stulti quidam quos licentiæ desiderium teneret: cui sub dominatione tyrannica assueuerant, viri non ignobiles: qui coniuratione facta polliciti sunt vrbe prodita Tarquinios ab exilio reducere, consulesq; interficere. Horum quinam duces fuerint, & quàm insperato casu indicati sint, cum se putarent fallere omnium conscientiam, dicam nunc rem paulo altius repetens. Pulsus regno Tarquinius aliquantulum Gabiis substitit, conuenientes ex vrbe colligens quotquot libertati præferebant tyrānidem, sperán sque reducendum se in patriam opibus Latini nominis. Sed cum preces eius negligerent hi populi, nec vellent ipsius causa Romanos bello impetere, desperato auxilio in Hetruscam vrbem se recepit, vnde materno genere ducebat originem. ibi conciliatis sibi per munificentiā animis Tarquiniensium, in concionem ab eis productus renouauit cognationē quæ sibi intercedebat cum eo populo: enumeratisq; beneficiis quæ auus ipsius in vniuersam Hetruriam contulerat fœderis etiam mentionem fecit. quod inter eos & illum ictum fuerat. postremo questus est de suo infortunio, qui vna die magnis euersus opibus, erro et inops cum trib. filiis coactus sit ad suos olim subditos cōfugere. orationi per se miserabili additis etiam lacrymis commotus est populus adeo ut legatos Romam mitteret qui cōditiones pacis offerrent. et spes erat nō defore proceres aliquot Romanos qui

scibus cum reliquis regia potestatis insigniis, dent operam vt libera habeamus hanc patriam, néve vnquam reditus in eā Tarquiniis pateat. Tentabunt enim vel persuaso populo, vel vi, vel dolo vel quauis arte alia dominationem recipere, nisi ab eis nobis cauerimus. Hæc sunt præcipua quæ in rem præsentem admonendos vos duximus. Reliqua nec pauca nec disquisitioni nostra propter temporis angustias facilia, præstat committere futuris magistratibus. Sed hos oportet omnia ex senatus consulto decernere, quemadmodum mos erat regibus, & nihil sine nobis agere, & senatus placita referre ad populum, sicut maiores nostri solebant, nec in re vlla eius pristinam autoritatem diminuere nam hoc pacto honestissimè se habebit magistratus summus, eritque tutissimus. Omnes laudarunt Iunij Bruti sententiam, ac post modicam de magistratibus futuris consultationem decreuerunt interregem dicere Sp. Lucretium patrem eius quæ se interfecerat, & ab eo designari magistratus cum potestate regia L. Iunium Brutum, L. Tarquinium Collatinum. eos magistratus placuit nominari ipsorum lingua consules, quos Græca voce interpretari licet συμβόλους siue προβόλους. nam consilia Romani vocant, quas nostrates συμβουλάς. Græci tamen procedente tempore ὑπάτους appellare maluerunt à potestatis præcellentia, quòd rerum imperium, summumque inter reliquos Reipublicæ Romanæ magistratus locum obtineant. nam quod præcellens & summum est, prisci Græci vocabant ὕπατον. His ita statutis, diisque in vota vocatis vt iusta piáque cœpta secundarent, in comitium prodeunt, sequentibus famulis in atrata lectica ferentibus incuratum cruentatúmq; cadauer Lucretiæ: quæ ante curiam in loco sublimi & conspicuo posita

conuoc

conuocabatur populus. cúmque non solum forensis turba, sed excitus tota urbe per pręcones populus confluxissent, Brutus conscenso loco vnde concionanari mos erat, astantibus patritiis, in hunc modum locutus est. De necessariis & pręclaris rebus verba facturus apud vos Quirites, de meipso primum paucis pręloquar. Fortaßis enim quibusdam, imò dubio procul multis insanire videbor, quòd vir mentis non integrę, de maximis rebus dicere aggrediar, cui curatore opus sit. Volo igitur vos scire falsam fuisse opinionem de me publicam, cuius tamen autor nemo fuit prater me. vt autem neque pro ingenio meo, neque pro decoro viuerem, sed prout Tarquinio libuit, & mihi visum est utile, in causa fuit metus & vitę periculum. Regem enim qui principatus initio patrem meum occiderat, vt opes eius luculentas inuaderet: & maiorem fratrem vltorem paternę necis futurum si licuisset, cęde clancularia de medio sustulerat: satis apparebat non parciturum nec mihi destituto carißimis necessitudinibus, nisi egissem morionem fictitium. hoc me figmentum creditum à tyranno & è familiari clade eripuit, & huic incolumem seruauit tempori: quod postquam exoptatum mihi aduenit, nunc denique per viginti quinque annos gestatã personam libet deponere. Et hęc quidem de me dixisse sufficiat. Cęterùm de Republica cuius causa conuocati frequentes adestis, hoc aio, Tarquinium neque legitimè patrióue more assumpsisse principatum: neq; posteaquam eum quibuscunq; artibus adeptus est, honestè gessisse aut regiè, sed per maiorem vniuersi iuris & ęqui contemptum quàm vllus vnquam tyrannus in omni memoria. Eum de communi sententia nos patritij regno priuare decreuimus, quod vtinam dudum factum esset: nunc verò opportuni-

tatem nacti vos Quirites conuocauerimus, vt indicata voluntate nostra, vestram opem precibus expetamus in asserenda libertate patria, cuius nec antè nobis occasio contigit ex quo principatum occupauit Tarquinius, nec posthac, nisi nunc fortes viri fuerimus, vnquam dabitur. Quod si temporis quantum opus esset haberem, aut cum nescus agerem, omnia tyranni enumerarem scelera, quibus non vnum supplicium commeruit. Verum quoniam tẽporis angustia id non patitur, quod pauca dicta, multa facta postulat, & ad non ignaros verba facio, pauca tantum cõmemorabo sed præcipua eius facinora, adeo manifestaria, vt nullam excusationem admittant, nullius quantumuis diserti sceleratus ille subleuari posit patrocinio. Hic est ille Tarquinius Quirites, qui nondum princeps fratrẽ germanum, quia malus esse nolebat, veneno sustulit, assumpta ipsius vxore in societatem eius sceleris suæ coniugis germana, quam diis iratis adulterio iam antè corruperat. Hic vxorem pudicam matronam & communium liberorum parentem eodem veneno eodem tempore necauit, ac ne paululum quidem lugubri specie dissimulauit vtrunque veneficium. sed confestim post perpetrata egregia hac facinora, fumantibus etiam tum rogis qui misera illa corpora exceperant, ipse amicos excipiebat nuptiali epulo, ducens viricidam sponsam in sororis thalamũ ex pacto nefario, primus ac solus inducẽs in hãc vrbem morem impium & apud omnes Gracas simul atque barbaras nationes abominabilem. Quale porrò fuit illud facinus Quirites, quàm dirum & infame, quod perpetrauit in soceros? iugulato enim propalam Seruio Tullio regum omnium æquissimo, optiméque de vobis merito, cuius ne corpus quidem sepultura dignatus est: Tarquiniam

eius

eius coniugem, quam ipsius merito debuerat matris loco vt marterteram colere, ante persoluta marito luctus & inferiarum extrema officia necauit laqueo miseram: atque ita tractauit eos à quibus ipse seruatus & educatus fuerat, hæres etiam atque successor futurus si paulum expectasset naturalem eorum obitum. Sed quid his obiurgandis immoror, cum præter domestica in cognatos & soceros facinora tot iniquitates accusandas habeam, admissas in nos omnes communémque patriam? si tamen iniquitates dicendæ sunt, ac non potius piacula & abominationes omnium nationum & gentium: primò regnum, vt hinc incipiam, quomodo adeptus est? num ita vt antè reges alij? minime. immo plurimum interest. nam illi omnes à nobis ad principatum prouecti sunt ritu moréque patrio; primùm ex senatus consulto, cuius primæ partes sunt in omnibus publicis consiliis: deinde per electos à senatu interreges, penes quos est iudicium quis regno sit idoneus: postremo suffragante in comitiis populo, cui confirmandi ius est in rebus maximis, accedunt huc auspicia, litationes, cæteraq; diuinitus signa felicia, sine quibus nihil humana consilia proficiunt. agedum quis vestrum scit obseruatum horum aliquid quando Tarquinius assumpsit imperium? quod senatus consultum? quod interregum iudicium? quæ populi suffragia? quæ auspicia addictoria? non dico hæc omnia, tametsi in recta creatione nihil prætermitti debuisset legitimũ: sed si quis vnum quoduis horum tunc obseruatum potest ostendere, non recuso notam calumniæ. Quomodo igitur principatum assecutus est? armis & vi, malorúmque hominum conspirationibus, vt tyrannis mos est, nobis inuitis & indignè ferẽtibus. Sed forte regnum quomodocunq; quæsitum admi-

 nistra

strauit regiè, ad superiorum regum exemplum, qui nihil non dixerunt atque fecerunt quo fortunatiorem & maiorem hanc ciuitatem successoribus traderent, quã ipsi accepissent à suis maioribus. Ecquis sanus hoc diceret? qui modò videret quàm miseris modis omnes accepti simus ab eo. taceo iniurias nostri ordinis patritij, quas ne hostis quidem audiret absque lacrymis, quando pauci è multis superfumus. è magnis facti humiles, ad paupertatem atq; adeo egestatem redacti ereptis ingentibus opibus, ut illi praclari viri, graues & magnifici, per quos olim inclyta fuit hac nostra ciuitas, partim perierunt, partim exulant. Quid res vestra plebeij, quomodo se habent? an non leges vobis abstulit? an non interdixit omni conuentu sacrorum gratia? an non comitia, suffragia, concionésque sustulit? quin & corporibus vestris haud secus quàm mancipiorum emptitiorum ad varios labores abutitur, cogens materiem cadere, onera humeris subuehere, in profundis & voraginosis fossis conteri sine intermißione, ne minima quidem concessa requie. quis igitur erit harum calamitatum finis? quousq; hac pati sustinebimus? vsque ad obitum Tarquinij. Ita per Iouem. Ecquid tum nobis erit melius? immo quid non deterius? tres enim ex uno prognatos habebimus Tarquinios patre ipso sceleratiores. nam quando iste ex priuato factus tyrannus, & sero malitiam exercere aggressus, in omnibus tyrannicis vitiis est absolutißimus, qualem oportet existimare euasuram eius sobolem, malo genere natam, maléque educatam, quibus nunquam aliquod eius moderatum aut ciuile factum videre vel audire licuit? & ne diuinare opus sit vobis de execrando ipsorum ingenio, utq; pernoscatis quales catuli subolescant in Tarquinij tyrannide,

nide. en factum unius eorum natu maximi Hac est Sp. Lucretij filia, quem tyrannus discedens urbi praefectum reliquit, uxor Tarquinij Collatini tyrannorum gentilis, multis laboribus praeclarè de ipsis meriti: quae pudica amansq; mariti mulier, cum ex officio bonae matronae propter cognationem Sextum domi excepisset hospitio, praeterita nocte absente Collatino & in castris agente, indomitam tyranni libidinem effugere non potuit, sed quasi bello capta pertulit quae nefas est offerre liberae foeminae. quam iniuriam indignè ferens ut intolerabilem postquam patri caeterisque cognatis suum denarrauit infortunium, multum precata obtestataq; ut ultores eius calamitatis fierent, stricto cultro quem sub veste celauerat, patre inspectante Quirites, ferrum demersit in viscera. ô admirandam mactámque nobilis propositi foeminam. Abiisti, periisti, non ferens tyrannicam libidinem, contemptis omnibus vitae voluptatibus, nequid posses posthac pati simile. Et postea cũ tu Lucretia nata mulier generosi viri mentem habueris, nos quos natura viros esse voluit, virtute vincemur à foeminis? Et tu quidẽ unius noctis tyrannide spoliata per vim impolluta pudicitia, mortem vita existimasti beatiorem: nos verò non idem credemus? quibus Tarquinius non una die, sed per continuos iam vigintiquinq; annos oppressis, adempta libertate simul spes omnes abstulit, non est vitalis Quirites haec vita tot miseriis inuoluta nobis illorum virorum posteris, qui digni etiam exteris iura reddere, tam periculosa pro imperio gloriáque subiuerunt certamina: alterutrum eligendum est, aut mors gloriosa, aut vita libera. Venit tempus quod optauimus, abest Tarquinius, duces ad audendum sunt patritij: nihil nobis deerit si rem alacriter aggrediamur, non

viri, non pecunia, non arma, non duces, non aliud quicquam quod ad apparandum bellum attinet. referta est vrbs his rebus omnibus: & turpe est in Volscos ac Sabinos, multósque prӕter hos imperium affectantibus, ipsos domi seruire aliis: gestísque tot bellis pro ambitione Tarquinij, nullum pro libertate propria suscipere. At quibus facultatibus fretos, quibúsve auxiliis? hoc enim dicendum superest. In primis deorum immortalium, quorum sacra, fana, arásque Tarquinius manibus cruentis ciuilíque cӕde conscceleratis polluit, dum sacrificiis prӕest ac libaminibus. deinde vestramet ipsorum ope, nec paucorum nec imbellium imperitorúmve artium militarium: sociorum quoque, qui à nobis non vocati, nihil amplius erunt soliciti: sin viderint virtutis memores, libenter in huius belli societatem venient. tyrannis enim res inuisa est omnibus libertatem amãtibus. Quòd si aliqui vestrum ciues timent qui cum Tarquinio militant, ne forte pro illo stent contra nos, eorum timor vanus est. nec enim leuiore illi premuntur tyrannide, & innatum est omnibus mortalibus libertatis desiderium, & inuitis labores perferentibus vel leuis occasio ad res nouandas videbitur idonea: quos si vestro decreto ad opem patriӕ ferendam vocaueritis, non metu, non gratia retineri apud tyrannos poterunt, nec quacunque suasione aut violentia, quibus à recto dedu i solent homines & vt sint aliquot qui vel peruersitate ingenij vel mala educatione trahantur in factionem tyrannicam, eos quoque, licet non multi sint medius fidius, vel inuitos cogemus adhӕrere bonorum virorum partibus. obsides enim habemus in vrbe coniuges eorum & liberos atque parentes, vita ipsa cariora pignora. Hӕc recepturos simul q́ veniam erratorum polliciti,


facile

facile à tyrannis eos alienabimus. Ergo in tam ampla spe fortiter Quirites bellum suscipite, omnium ad hanc ætatem honestissimum. Dij patrij terræ huius boni præsides, vósque genij quorum cultus maioribus nostris obtigit, vestra sacratéque patria dijs carissima, in qua nati sumus & educati, tuebimur tota mente, dictis factísque, etiam animas impendere si opus sit parati, patique quicquid fors fatúmque tulerit, auguror tamen bene cœpta felicem habitura exitum. Dij faxint vt pari fortitudine vnanimes omnes seruemus, struemúrque inuicem. Concionanti Bruto frequenter acclamatum est ad singula, magna significatione alacritatis omnium, vltro etiam ad audendum accedentium. non paucis ad tam mirificam & inexpectatam orationem lacrymantibus præ gaudio, affectis variè multitudinis animis. mixtum enim erat mœrori gaudium consideratione præteritorum malorum, futurorumq; bonorum spe: & audacia metumq; alternantibus, nunc tedio malorum contemnebatur securitas. nunc difficultatis in tollenda tyrannide reputatio retardabat impetus. vt verò dicere desiit, velut vno ore omnes exclamauerunt, arma sibi traderet. Tum Brutus lætus, Ita, inquit, si prius cognita senatus voluntate, vestris eam suffragiis ratam feceritis. Placet enim nobis exulare Tarquinios vrbe Romana, totiúsque imperij finibus cum tota progenie: nec cuiquam vllo modo licere pro eorum reditu vel dicere aliquid vel facere: esséque capitalem siquis contra fecerit. hanc sententiam si ratum esse vultis, curiatim ferte suffragia. id esto vestræ libertatis initium. Factum est ita, omniúmque curiarum calculis decretum tyrannorum exilium. Tum Brutus: Quoniam quod erat primum omnium ratum fecistis ita vt debuistis, audite reliqua quæ in remp.

in remp. consuluimus. Nobis considerantibus quanam rerum gubernatio sit potior, non placet regiam in posterum constitui, sed duobus viris magistratum comitti annuũ cum potestate regia, quoscunq; vos centuriatis comitiis designaueritis. Id si vobis quoque ita videtur, ferte suffragia. Et hæc sententia comprobata est omnibus ad vnum calculis, quo facto Brutus more patrio dixit interregem comitiorum causa Sp. Lucretium. Ille concione dimissa iussit omnes cum armis adesse in campum Martiũ, vbi mos est legitimis comitiis magistratus eligi. eò postquam ventum est, duos viros nominauit habituros potestatem regiam, Brutum & Collatinum. his populus eum honorem ratum fecit collectis centuriatim suffragiis. Dum hæc in vrbe geruntur, Tarquinius rex vbi ex primis nuntiis, qui per vrbis portas priusquam clauderentur euaserant, hoc solum cognouit, Brutum concionantem vocare ad libertatem populum, re nemini communicata, filiis tantum & amicorum fidissimo quoq; comitatus admissis equis properat, immaturam defectionem præuenire cupiens. cumq; portas clausas reperisset, refertaq; armatis mœnia. quantocyus repetebat castra gemens seque afflictans obiter. Sed illic quoq; superuenit rebus iam perditis. Consules enim præuidentes animo aduentum eius celerem, diuersis itineribus literas ad milites in castra miserant, hortantes eos vt à Tyranno deficerent, & certiores facientes de decretis populi. Has receptas præfecti castrorum à tyranno relicti, T. Herminius & M. Horatius pro concione legerunt: perquisitáque per singulas centurias sententia militum, quid opus facto sit, cum vniuersi censerent approbanda decreta vrbanorum ciuium, noluerunt amplius Tarquinium venientem admittere. atque ita hac

quoq

quoque spe frustratus rex fugit cum paucis Gabios, vbi regem filiorum maximum Sextum ab eo relictum diximus, iam canus ipse, vigintiquinque annis exactis in imperio. Herminius & Horatius in quindecim annos inducias cum hoste pacti abduxerunt exercitum ab Ardea. Regnatum est Romæ à condita vrbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor.



DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatū siue Originum Romanarum,

LIBER V.

Continet regibus eiectis mutationem reip. & res deinceps sub COSS. gestas ab Olympiade sexagesimaoctaua vsque ad septuagesimamprimam, tempus duodecim omnino annorum.



EGNANTE *Romæ vltimo rege cum iustum ac legitimum regnum versum esset in tyrannidem, per quos diximus viros liberata est patria, initio sexagesimæ octauæ Olympiadis, qua in stadio vicit Ischomachus Crotonienſis, gerēte Athenis annuum principatum Isagro. Quadrimestres consules L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus*

tinus. quem magistratum lingua ipsorum à consulendo appellatum diximus, assumptis in societatem multis post inducias & exercitus ab Ardea reditum, paulo post quàm pulsus est Tarquinius vocatum in concionem populum multis verbis ad concordiam hortati, effecerunt vt nouo plebiscito prius illud decretum confirmaretur de perpetuo Tarquiniorum exilio. Post hæc lustrata vrbe, cæsisque victimis, primi ipsi super eis stantes iurarunt nunquam se reducturos ab exilio regem Tarquinium, neque eius filios, neque ex illis progenitos: regem Romæ posthac creaturos neminem neque creari passuros. atque hæc pro se proq; suis liberis ac posteris iurauerunt. Sed quoniam multa magna beneficia collata videbantur in remp. à regibus, volentes hoc nomen in vrbe seruari perpetuo, iusserunt vt pontifices & augures designarent vnum aliquem è senioribus ad hoc idoneum, qui sacris tantum præesset, immunis à militia, vocaretúrque rex sacrificulus, primusq; hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius vir patritius, quietis amantissimus. His ita constitutis, veriti opinor falsam vulgi opinionem de innouata rep. quasi pro vno duobus factis regibus, vtrunque consulem præeuntibus duodecim securibus, sicut antè mos regum fuerat, decreuerunt ciuium terrorem tollere, & potestatis inuidiam minuere, instituto vt alterum consulum duodecim secures præcederent, alterum duodecim lictores cum solis fascibus, atque etiam cum furcis, vt à quibusdam est proditum: secures singulis mensibus collegæ sibi vicissim traderent. hoc institutum humilem plebem obsequentem in officio retinuit, sicut & alia quædam similia non pauca. Leges enim Tullij de contractibus humanas admodum & populares, quas in vniuersum Tarquinius

sustuler

sustulerat, reuocauerunt in vsum: & cœtus sacrorum causa tam in vrbe quam in agris fieri solitos, per paganos & tribules diligenter celebrari iusserunt quemadmodum Tullij temporibus. reducta sunt & comitia suffragiaq; de rebus maximis, cæteraq; instituta veterum gaudente populo post diuturnam seruitutem ex insperato restitutum se libertati pristinæ. Non defuerunt tamen stulti quidam quos licentiæ desiderium teneret: cui sub dominatione tyrannica assueuerant, viri non ignobiles: qui coniuratione facta polliciti sunt vrbe prodita Tarquinios ab exilio reducere, consulesq; interficere. Horum quinam duces fuerint, & quàm insperato casu indicati sint, cum se putarent fallere omnium conscientiam, dicam nunc rem paulo altius repetens. Pulsus regno Tarquinius aliquantulum Gabiis substitit, conuenientes ex vrbe colligens quotquot libertati præferebant tyrãnidem, sperãnsque reducendum se in patriam opibus Latini nominis. Sed cum preces eius negligerent hi populi, nec vellent ipsius causa Romanos bello impetere, desperato auxilio in Hetruscam vrbem se recepit, vnde materno genere ducebat originem. ibi conciliatis sibi per munificentiã animis Tarquiniensium, in concionem ab eis productus renouauit cognationẽ quæ sibi intercedebat cum eo populo: enumeratisq; beneficiis quæ auus ipsius in vniuersam Hetruriam contulerat fœderis etiam mentionem fecit. quod inter eos & illum ictum fuerat. postremo questus est de suo infortunio, qui vna die magnis euersus opibus, erro et inops cum trib. filiis coactus sit ad suos olim subditos cõfugere. orationi per se miserabili additis etiam lacrymis commotus est populus adeo ut legatos Romam mitteret qui cõditiones pacis offerrent. et spes erat nõ deesse proceres aliquot Romanos qui

fauerent

fauerent regis reditui. His legatis ipsius electis arbitrio, præter mandata quid dicere faceréue debeāt, literas etiam dedit scriptas ab exilij socius ad amicos & domesticos, addidit & auri nonnihil. qui postquam Romam peruenerunt admissi à patribus aiebant postulare Tarquinium, vt ipsi venire senatúmque ita vt æquum est accedere liceat: & si patres permiserint, tum etiam pro concione plebi rationem reddere omnium quæ gessisset toto regni tempore, subiréque iudicium totius Romani populi. vbi verò causam suam probauerit immerito se eiectum ex patria, siquidem certis conditionibus regnum sibi ciues restituerint, regnaturum vt antea: sin maluerint mutato reip. statu carere regibus, mansurum in patria contentum domesticis facultatibus, vsurumque iure æquato cum cæteris ciuibus. exilium tantum deprecari vitámque vagam diuersis erroribus. His mandatis expositis orabant senatum primum per commune ius omnium gentiū, quod neminem vetat causam suam dicere, vt nec illi hoc pernegetur, cuius ipsi futuri sint iudices. quòd si ipsum indignum existiment hac gratia, saltem ciuitati pro eo deprecanti gratificentur. & missa obstinatione tantum honoris habeant, quantum habere possint nullo suo incommodo: vtq; homines cum sint, non supra humanam conditionem sapiāt, nec immortales iras gerant in corporibus mortalibus: sed vel præter animi sententiam ad æquitatem se demittant in deprecatorum gratiam, cogitantes prudentium virorum esse officium amicorum causa inimicis offensas remittere, contrà barbarorum & insipientium nullum inter amicos & inimicos discrimen facere. Ad hæc Brutus assurgens ita respondit. Quod ad Tarquiniorum in hanc vrbem reditum attinet, desinite Hetrusci verba facere.

cere. Iam enim decretum est perpetuum eorũ exilium, & per omnia sacra iurauimus, nec reducturos nos tyrannos, nec reduci passuros ab aliis, quòd si quid aliud non iniquum petitis, quod nec iusiurandum nec leges vetent nos facere, dicite. Tum legati. Præter omnem expectationem nobis hoc contigit. Agentes enim pro supplice parato rationem vobis reddere, ius commune omnium gentium ad priuatam gratiam impetrare non valuimus. sed quoniam ita vobis videtur, de reditu Tarquinium amplius molesti non erimus. Aliud quiddam non iniustum petimus ex mandato patriæ, quod lex nulla nullum iusiurandum vos vetat facere: vt restituatis regi bona, quorum absque violentia nemine vestrum defraudato olim ipsius auus fuit dominus, hæreditate ad se deuolutorum post patris obitum, cum quibus migrans in vrbem vestrã receptus est. Satis enim erit ei suis rebus receptis alibi beatè viuere, nullo vestra quietis periculo. His dictis legati curiam egressi sunt. Consulum alter Brutus bona retinenda censuit mulctæ nomine, quòd tyranni rempublicam grauibus affecissent iniuriis: tũ vtilitatis publicæ gratia, ne habeant belli materiã, docens non fore contentos receptis bonis Tarquinios non assuetos priuatam vitam viuere, sed conducto externo milite bello tẽtaturos in regnum reditum. Collatinus suadebat contrarium, dicens à tyrannis læsam rempublicam non ab ipsorum facultatibus, cauendáque duo crimina, ne incurrant infamiam publicam, quasi propter diuitias expulsis Tarquiniis, néue videantur iustam belli causam eis præbuisse, nimirum spoliatis propriis facultatibus. Incertum enim esse an receptis bonis bello tentaturi sint reditum: manifestum verò non quieturos spoliatos rebus omnibus. cumq; in vtranque sententiam

multi patrum irent, ambiguus consilij senatus, post aliquot dierum deliberationem, Brutum vtiliora, Collatinum iustiora suadere existimans, postremo rem totam commisit iudicio populi. vtroque deinde consule multis verbis conato pro cõcione suam persuadere sententiam, vbi ad triginta tribuum suffragia ventum est, adeò leui momento præponderauit altera, vt hi qui retinenda bona censebant, ab alteris qui reddi iubebant, vno tantum calculo victi sint. Hetrusci post acceptum à consulibus responsum, multum laudata ciuitate quòd maiorem iustitiæ quàm vtilitatis respectum habuisset, Tarquinium per literas certiorem fecerunt, receptum esse bona: ipsi in vrbe restiterunt, simulantes se intentos comparandis vehiculis quibus asportarent res, venditurósque quicquid agi ferriq; non poterat: sed re vera pertentantes omnia ex mandato Tarquinij. nam & literas ab exulibus reddiderunt eorum necessariis, & alias ab eis acceperũt remittendas ad exules: variísque colloquiis nunc horum nunc illorum explorabant animos: & quotquot inueniebant faciles corrumpi ob inconstantiam animi, victúsve inopiam, aut licentiæ desiderium, partim spe ostentata, partim præsenti pecunia conabantur in partes suas pertrahere. nec mirum erat in vrbe ampla & populosa reperiri quibus magis placeret status reipublicæ deterior, non solùm inter obscuros, verumetiam inter nobiles, in quibus erant duo Iunij, Titus Tiberiusq; filij Bruti consulis vix tum puberes, & duo Gellij, Marcus Maniúsque, fratres vxoris Bruti, iam maturi tractandæ reipublicæ, & Collatini alterius consulis sororis duo filij, Lucius Marcúsque Aquilij, æquales Bruti filiis, apud quos plerunque cõueniebatur, patre tum non superstite, consultabatúrque de

tyrann

tyrannorum reditu. Itaque cum aliis multis argumentis colligere licet res Romanas diuina prouidentia prouectas ad tantam felicitatem, tum hoc præsenti non minimo. Tam dirus enim stupor inuasit illos miseros, vt sustinuerint literas propriis manibus ad tyrannum scribere, continentes coniuratorum multitudinem, & tempus destinatum opprimendis per insidias cõsulibus: persuasi tyranni epistola ad se missa, velle eum præscire, quibus Romanorum restitutus in regnum gratiam pro meritis referre debeat. hæ literæ tali casu peruenerunt ad consules. Ad Aquilios Collatini sororis filios conuenerant coniuratorum capita, inuitati ad epulas. Post cœnam iussis ministris è cõuiuio in atrium secedere, conferebant inter se de reducendis tyrannis: repertóque idoneo vt ipsis videbatur consilio, autor eius id retulit in literas conscriptas manu propria, quas Aquilij vnà cum aliis epistolis legatis Hetruscis darent transmittendas porro ad Tarquinium. Interea Cæninensis quidam nomine Vindex, qui bello captus & seruus pincernam tum agebat, ex ablegatione illa suspicatus eos aliquid male tractare, solus foris ad ianuã restitit, vbi & verba eorũ audiuit, & vidit scribi literas, ad quandam valuæ commissuram perspicuam admoto oculo. is intempesta nocte egressus, quasi ob aliquod negotium missus à dominis, ad consules quidem ire non ausus est, metu ne rem celare volentes propter affectum erga cognatos, indicem coniurationis tollerent. caterùm adito P. Valerio, qui vnus erat è quatuor primis libertatis publicæ assertoribus, fideque cum iureiurando accepta ab eo, fraudi sibi id non fore, indicauit quæ vidit & audiit. ille confestim cum magna clientum & amicorum manu ad ædes Aquiliorum aduolat: appetente iam die:

& intromissus quasi aliud quippiam acturus, nondum digressis adolescentibus nemine prohibente potitus est literis, ipsosq; comprehensos apud consules statuit. Quæ verò iam hinc dicturus sum facta alterius consulũ Bruti mirifica, quæ maximè à Romanis iactantur, vereor ne apud alios Græcos ut nimis dura fidem non inueniant: quandoquidem omnes ex domesticis coniecturam facientes aliena credenda vel non credenda existimant. dicentur tamen nihilo minus. Simul atque dies illuxit, sedens pro tribunali cum epistolas coniuratorum recognosceret, vbi vtriusque filij sigilla agnouit, ac mox resignatis manus quoque ipsorum apparuit, primum vtranque recitari iussit per scribam vt exaudirentur ab omnibus: deinde filiis dicendi si vellent dedit copiam. cúmque neuter auderet impudenter negare, actum de se putantes ambo flebãt affatim. ille paulum cunctatus surrexit, indictóque per præconem silentio, omnibus exitum rei expectantibus, capitalem sententiam in filios protulit. ad quam auditam conclamatum est, omnibus indignum facinus ducentibus talem virum mulctari filiis, & vitam adolescentulorum donare patri volentibus. sed neque clamore motus neque gemitibus duci eos iussit supplicantes & blandissimis se appellantes vocibus. id quoque mirum visum est, nihil eum flecti nec miseratione filiorum nec ciuium precibus: multóque magis, nihil remissum de supplicio. nam neque è conspectu populi abduci necandos permisit, neque ipse priusquam in eos animaduersum esset è foro abiit quo vitaret id spectaculum: neque absque flagris passus est dare supplicium: sed exegit quæcunque leges infligunt maleficis, vt ipso inspectante totóque populo virgis lacerati postremo securibus ferirentur. sed nihil æquè miraculo fuit atque

vultus immotus nullísque mutatus affectibus: cum cæteris omnibus præ miseratione fletibus, ipse adeo non fleret, vt ne gemitum quidem vllum ederet aliámve doloris significationem vel leuißimam, nõ filiorum fati, non orbitatis suæ desolatæq́ue domus reputatione, sed constanti rigore mentis alieno à gemitu simul & lacrymis. tam firmum animi robur viro ad exequenda decreta supererat, tantáque aduersus affectus constantia. Necatis filiis mox collegæ sororis filios vocauit Aquilios, ad quos coniurati conuenire soliti, iussóq́ue scriba & horum publicè recitare literas, ait se illis causæ dicendæ potestatem facere. illi producti ad tribunal, siue monitu amici cuiuspiam, siue ipsis hoc in mentem venerat, acciderunt ad auunculi genua, quasi seruandi huius beneficio. cúmque Brutus lictores iuberet, abstractos eos ducere ad supplicium, nisi mallent causam suam agere, Collatinus innuens ministris, vt abstinerent paulisper dum cum collega colloqueretur, seductum eum multis verbis orauit excusans ætatis imperitiam, & malorum sodalium consuetudine dicens in eam pertractos amentiam: petebátque vnam sibi hanc concedi gratiam, salutem cognatorum, nihil obturbaturo postea. addebat periculum esse ne totus populus concitaretur si omnes suspectos quasi studeant exulibus velint capite plectere: quòd magnus sit eorum numerus, & in his nonnulli nobiles. quod cum nõ impetraret, postremo postulabat non capitalem sed mitiorem in eos proferri sententiam, absurdum dicens, tyrannos exilio mulctari, tyrannorum amicos dare pœnas capitis. renuente collega, ac ne differri quidem iudicium reorum sinente, quod vltimum Collatini postulatum fuerat, imò eadem die se omnes interfecturũ iurante, ægrè ferens aliter nihil

se impetrare: Ergo, inquit, quando tu durus & austerus es, ego adolescentes absoluo pro potestate qua sum tibi par. Tum Brutus iratus: Certè me viuo Collatine nunquam patriæ proditores eripere supplicio poteris, imò tu quoque breui pœnas persolues debitas. His dictis & custodia reis addita, conuocauit in concionem populum: plenóque foro (iam enim rumor casum filiorum per totam vrbē vulgauerat) progressus in medium cum senatorum honoratissimis, ita populum affatus est. Vellem equidem Quirites Collatinum hunc collegam mihi additum consentire mecum per omnia, & non verbis solis, verum & factis declarare infensum se ac hostem tyrannidi. nunc quoniam satis liquet eum mihi aduersari, coniunctum non tantum cognatione sed & voluntate Tarquiniis, agentémque de illis reconciliandis, propria magis quàm publica curare commoda, & ipse iniquos eius conatus cohibere paro, & vobis idem faciendi autor ac hortator sum. Ac primum in quanto periculo respublica fuerit audite, deinde dicam quomodo in eo nostrū vterque se gesserit. Aliquot ciues clàm congressi in Aquiliorum ædibus Collatini sororis filiorum, inter quos & ambo mei filij, & vxoris meæ fratres, & alij quidam non ignobiles fuere, coniurauerunt me interfecto Tarquinium in regnum reducere, atque etiam epistolas manu sua scriptas, suis sigillis obsignatas, missuri erant exulibus, quo certiores de toto negotio fierent. Ea consilia deus aliquis nobis propitius indicauit per hunc hominem seruum Aquiliorum, in quorum ædibus præterita nocte scripta sunt literæ quæ nunc in nostris sunt manibus. quamobrem de Tito & Tiberio meis filiis supplicium sumpsi, legum & iusiurandi maiorem rationem habens quàm affectuum. cæterùm

Aquil

Aquilios Collatinus mihi eripit, negāsse passurum ut qui filiis meis fuerunt culpæ socij, fiant socij & supplicij. qui si impunè abibunt, nec in uxoris meæ fratres nec in alios patriæ proditores licebit mihi animaduertere. quo enim iure, si hos dimitto, cum illis agere potero? Cuius hoc rei signum vobis videtur? utrum amoris erga patriam, an tyranno reconciliati animi? utrum ad confirmationem iurisiurandi pertinens quod nobis præeuntibus iurastis, an ad violationem & periurium? Qui si nos fefellisset, certè diris obnoxius pœnas diis dedisset quos peierat: nunc à nobis deprehensus ad nostram animaduersionem pertinet. quippe qui nuper vobis persuasit bona tyrannis reddere, ut non reipublicæ contra inimicos, sed inimicis sint vsui contra rempublicam. nunc verò coniuratis in tyrannorum reditum dandam censet veniam, mirū ni ut illos demercatur: ut siue proditione siue per vim recipiantur, possit pro amico officio reposcere quamuis gratiam. Ergo ego qui meis non peperci liberis, tibi parcam, Collatine, qui corpore nobiscum versaris, apud hostes habes animū: & proditores patriæ seruas, me pro ea decertantem interficis. Quo pacto? Multum abest. At ne quid tale perpetres, magistratum tibi abrogo, & aliò te migrare iubeo. Vos Quirites vocati centuriatim ad suffragia, velitísne hoc ratum declarabitis. Scitote autem alterum è duobus, vel Collatinum vos habituros consulem vel Brutū. Hæc loquenti Collatinus molestè reclamabat, insidiatorem proditorémque amicorum appellans, & nunc pro se respondens, nunc pro cognatis deprecans, & suffragia de se populo adimens, ita ut plebs indignabunda ad tumultum vergeret. Itaque iratis ciuibus & neq; defensionem eius neque preces admittentibus, sed calculos poscentibus, socer eius

Sp. Lucretius gratiosus apud populum. timens illi ne cum contumelia pelleretur ex vrbe, petiit ab vtroque consule dicendi veniam: primúsque omnium hoc impetrauit, vt tradunt Romanæ historiæ, cum eo tempore non esset mos pro concione loqui priuatum hominem. is vtrunque consulem orabat, Collatinum ne cum iratis contenderet, néve magistratum retineret inuitis ciuibus, quem accepisset à volentibus, sed si ita illis videretur, reposcentibus sponte concederet, crimináque re potius quàm verbis refelleret: tum domicilium sibi vbicunque terrarum optaret deportatis etiam omnibus facultatibus, donec in tuto eßet respublica, quando id postulare videatur ciuitatis vtilitas: cogitarétque alia peccata commissa demum ad iram concitare homines, proditionis verò vel solam suspicionem, dum malunt vano metu cauere periculum, quàm per contemptum opprimi. Rursum Bruto suadebat ne turpiter & cum contumelia collegam vrbe pelleret, à quo adiutus optimè de patria sit meritus: sineret eum potius spōte discedere, & bona sua deportare per otium, atque etiam solaretur eius infortunium munificentia publica. Hæc monita cum à populo etiam laudarentur, Collatinus multum conquestus quòd fraudi sibi esset suorum affectuum miseratio, propter quam cogeretur carere patria, magistratu se abdicat. Brutus laudata eius prudentia, quòd tum sibi tum Reipubl. consuluisset optimè, rogabat ne ea de causa vel sibi vel patriæ fieret infensior, vtq; etiam post mutatum domicilium contra ciues suos nullis inimicorum communicaret consiliis, & peregrinationem hanc verius crederet quàm fugam aut exilium, & corpus aliò transferens, animum apud dimittentes se relinqueret. His verbis delinito consentiente populo dono

dat

dat viginti talenta ex ærario, additis quinque de propria pecunia. Tarquinius fortuna ita ferente profectus est Lauinium veterem Latinorum patriam, vbi senex admodum fato functus est. At Brutus nolens solus imperare, ne ciues suspicarentur regni cupidine collegam ab eo pulsum patria, conuocato populo in campum Martium, vbi mos erat reges & magistratus creari, collegam assumpsit P. Valerium à Sabinis oriundum vt diximus, virum multis nominibus laude admirationéque dignum, sed frugalitate præcipua. Inerat enim huic innatũ quoddam sapientiæ studium, vt in multis eius factis apparuit, de quibus dicetur paulopost. cum hoc sanè per omnia consentiens continuò supplicium sumpsit de coniuratis omnibus. seruo coniurationis indici præmium fuit libertas & non mediocris pecunia, honoris etiam gratia ius ciuitatis additum. Deinde consules tribus egregiis consiliis & reipublicæ vtilissimis aluerunt concordiam ciuium, & diminuerunt factionem regiam, fuerunt autem hæc. Omnium primum præcipuos ex plebe allegerunt in patriciorum ordinem, & ex his senatum suppleuerunt ad trecentorum numerum. deinde bona tyrannorum populo diripienda dederunt: agrum quem illi priuatim possederant, inopibus ex plebe diuiserunt, vno tantum campo excepto, qui situs est vrbem inter & fluuium. is iam ante Marti sacer erat, pratum equis & iuuentuti in armis exercendæ accommodum. id Tarquinius contempta religione suis oppleuerat segetibus, sicut satis apparet ex decreto consulum de eius frugibus. cum enim omnia tyrannorum bona agenda ferendáque permisissent populo, quicquid frumenti erat in eius campi areis vel in stipula vel tritum iam, non permiserũt auehi religione vetante, iusse-

ferúntq; totum effundi in Tyberim: & nunc quoq; manet eius facti monumentum bene magna insula sacra Aesculapio cincta flumine, concreta (vt fertur) è frumenti aceruis putrescentibus, & paulatim aliis quæ fert temere flumen eódem inuectis facta auctior. postremò ciuibus cum tyranno profugis reditum in patriam cū impunitate prateritarúmque offensarum omniū obliuione concesserunt, præstituto viginti dierum spatio, intra quod si quis non redisset, exilio perpetuo mulctaretur & amißione bonorum omnium referendorum in ærarium publicum. Ita factum est vt regia præda quomodocunq; potiti, metu ne rursus eam amitterent, alacres essent ad subeunda pericula: qui verò conscij sibi alicuius facinoris sub tyrannis patrati metu indicij spontaneo se damnauerant exilio, timore hoc liberati desertis tyrannis in patriæ partes concederent. Post hæc COSS. *paratas ad bellum copias propè vrbem in campis continebant sub signis & ducibus, vacantes interim militaribus exercitiis: quòd nuntiaretur conatus exulum ex omnibus Hetruscorum populis exercitum contra se colligentium, duosq; ex professo illos adiutare, Veientes & Tarquinios, missa vtrinq; non contemnenda manu militum: ex reliquis adesse eis voluntarios, vel ab amicis missos vel conductitios. vbi verò hostes iam ad bellum egressos est cognitum, obuiam profecti priores traiecerūt fluuium. nec procul ab Hetruscis castrametati sunt in patris Iunij ad syluam sacratam heroi Arsio: & forte acciderat vt pares essent illis vel numero vel pugnandi cupidine. vt in conspectum ventum est primi equites, peditibus etiam tum castra metantibus, congreßi inter se virtutis fecerunt periculum, & post breuem velitationem vtrique se receperunt ad suos, nullo insigni ac-*

cepto vel illato incommodo. deinde vtrinque in aciem prodierunt pedites simul & equites eodem modo instructi, latera peditatus claudentibus alis equitum. In dextro cornu Romanorum Valerius consul praerat oppositus Veientibus: in sinistro Brutus ex aduerso Tarquiniensium, quos ductabant regij iuuenes Tarquinij. prius quàm signa canerent prouectus ante Hetruscam aciem Aruns Tarquinius animi ac corporis robore fratrum præstantissimus, cum eò processisset vnde agnosci & exaudiri à Romanis posset, incessebat Brutum conuitiis, bestiam immanem appellitans contaminatam filiorum sanguine, imbellem & timidam, postremo ad singulare certamen prouocans. Tum dux Romanus probrorum impatiens concitato equo procurrit & ipse extra ordines, contemptis amicorum dehortationibus ad fatalem mortē fortiter properans. adeóque infestis animis concurrerunt, neuter dum hostem vulneraret sui protegendi memor, vt per parmam atque thoracem vterque transfixus, alter per costas letale vulnus acceperit, alter per ilia. equi quoque impetu nimio collisi & in posteriores pedes erecti sessores excusserūt saucios. quibus ita iacentibus & luctantes animas effundentibus cum multo sanguine, reliquæ copiæ vt duces prostratos videre clamore sublato concurrunt, maxima contentione omnium tam equitum quàm peditum, fortuna quoque non dissimili. Dextrū cornu Romanum cui consulum alter Valerius praerat, profligatos Veientes vsque ad castra persecutum, mediū campum repleuit cadaueribus. Dextrum item Hetruscorum ductu Sexti & Titi vicit egregiè Romanos in sinistro cornu sibi oppositos: quibus in castra compulsis etiam vallū oppugnare ausi, acceptis multis vulneribus reiecti sunt. præsidium enim constabat

bat ex triariis quos vocant, veterano & spectatæ virtutis milite; cuius opera in extremis uti solent periculis. Sub solis occasum demum vtrique in castra reuersi sunt, non tam læti victoria, quàm mœsti propter desideratorum multitudinem, quòd vix suffecturi viderentur instaurando si opus esset prælio: tam multi erant inter superstites saucij. sed maior apud Romanos luctus & desperatio fuit propter ducis interitum, adeò vt multi cogitarent noctu castra deserere inter huiusmodi cogitationes & colloquia circa primam fermè vigiliam è sylua ad quam castra habebant vox quædam ab omnibus vtriusque partis militibus exaudita est, siue ea fuit herois cuius ibi fanum est, siue Fauni quē vocant. nam ad hunc autorem Romani solent referre panicos terrores, spectráque variis formis formidinem mortalibus incutientia: & ab hoc aiunt edi horrendas voces dæmoniacas. ea vox bono animo Romanos esse iubebat, victores dicens, & vno plus Hetruscorum cecidisse in acie. Hac animatus Valerius fertur ante lucem aggressus Hetruscorū vallum, multis cæsis, reliquis fugatis, castra etiam diripuisse. atque ita pugnandi fine facto, Romani spoliatis hostium cadaueribus, suis humatis, domum inde reuersi sunt. Bruti corpus multis laudibus ac lacrymis honestatum, coronatum etiam in vrbem humeris fortissimorum equitum relatum est: aduentanti senatus obuiā factus, triumphali pompa ducem inferri iussit, populus crateris & mensis plenis excepit exercitum. Consul quoque triumphans regio more vrbem inuectus, re diuina facta & dedicatis spoliis, eius diei reliquum exegit inter Epulas cum nobilissimo quoq; ciuium. postera die pullatus ipse Bruti corpus in foro proposuit, in lectica ornatissima: aduocatóque in concionem populo, pro

tribun

tribunali funebrem orationẽ habuit: qui mos túmne primum institutus sit à Valerio, an à regibus Romanis traditus, certò affirmare non possum: sed quòd Romanorum non Græcorum, vetus inuentum sit laudari magnos viros in funere, compertum habeo ex doctißimorum tam poëtarum quàm historicorum scriptis vetustißimis. ibi enim virorum equorúmque certamina funebria in honorem heroicorum virorum ab ipsorum amicis celebrata legimus. vt ab Achille in Patrocli funere, & antè in Pelopis ab Hercule: laudatos publice nemo prodidit præter Athieniensium tragicos, qui assentantes in hoc vrbi sua, Theseo sepelienti Argiuos affinxerunt id quoque. Sero enim Athenienses legitimis funerandi ritibus laudationem addiderunt, siue id in desideratis ad Artemisium & Salaminem primùm factum est: siue in eis qui ad Plateas Marathonáve occubuerunt pugnantes pro patria. & vt demus morem hunc cœpisse à Marathonensi pugna, hæc quoque sedecim annis funere Bruti est posterior. Quod si quis semota inuentionis quæstione vsum ipsum funebrium laudationum examinet apud vtros se melius habeat, videbit hic tanto meliorem quàm illic, quòd Athenienses instituisse videntur vt solorum in bello cæsorum sic honorarentur funera, existimantes hominis alioqui forte nequam, virtutem censendam tantummodo ex militari fortitudine. Romani vero omnibus claris viris, siue illi bello gerendo præfuissent, siue Remp. in magistratu prudentibus consiliis factisve adiuuissent, eundem honorem habuerunt, non tantum in bello defunctis fato, sed quemcunque vita sortitis exitum: rati bonis laudem deberi ob totius vitæ virtutes, non solum ob gloriosum obitum. Hic finis Iunij Bruti, qui post expulsos reges primus consul

creatus

creatus sero inclaruit: & quamuis exiguo temporis spatio floruisset, habitus est nihilominus omnium Romanorum praestantissimus. Liberos nullos reliquit superstites, nec mares nec fœminas, sicut proditum est à Romanorũ diligentissimis, præter alia multa vno insigni argumento, cui non facile est contradicere. quòd ille patritij generis fuerit. Qui verò se iactant eius familiæ posteros, Iunij & Bruti, omnes fuere plebeij, & magistratus gesserunt quos à plebeiis geri iura permittunt, ædilitates & tribunatus videlicet. Consulatus verò solis dabantur patritiis. Sero tandem & ad hos admissi sunt, communicatis cum plebe summis honoribus. Verùm hæc aliis discutienda relinquimus, quorum id interest, vel qui curant talia. Superstes Bruti collega Valerius, quasi regni affectator in suspicionem venit apud populum, primùm quia neminem in locum Bruti subrogauerat, deinde quia in loco inuidioso ædificabat. Is est tumulus foro imminens, altus satis & munitus: Romani Veliam vocant. admonitus autem à familiaribus, hæc molestè ferre populum, indicto die comitiis consulem creauit Sp. Lucretium. quo post paucos dies defuncto in eius locum subrogauit M. Horatium. Domum è summo tumulo in imum cliuum transtulit, vt ciues possent (sicut ipse pro concione dixit) è superiore loco eum lapidare, si in peccato deprehenderent. Et quo maiorem fidem impetraret, studiosum se esse libertatis populi, ademit secures fascibus: moremque pòst se reliquit consulibus vt tantum extra vrbem securibus vtantur, intra mœnia contenti insigniis fascium. Leges quoque humanissimas tulit in fauorem plebis: vnam in qua disertè cauit nequis Romæ gereret magistratum iniussu populi, mortis pœna proposita qui contrà fecerit, & impunitat

punitate qui talem occiderit. alteram in qua statutum est si quis magistratus vnum aliquem ciuem capite plectere, aut flagris cædere, aut pecuniis mulctare velit, licere priuato prouocare ad populum: nec interim magistratui licere in eum animaduertere, dum populus suffragiis suis de eo statuerit. ob hæc instituta gratiosus apud plebem inuenit cognomen Publicolæ, quod Græcis δημοκηδὴς significat. atque hæc sunt gesta illius anni consulum. Sequenti verò Coss. creantur is ipse Valerius iterum, & cum eo Lucretius: nec aliud eo consulatu memorabile actum est præter censum & tributorum ordinationem ex instituto regis Tullij: quæ omnia Tarquinio regnante intermissa, ab his Coss. in vsum reuocata sunt. censa sunt ciuium Rom. qui pubertatem attigissent CXXX.M. & ad Sinquirium milites missi eius loci præsidio, quòd opportunè Latinorum Hernicorúmque oppidis immineat, vnde bellum expectabatur eo tempore. P. Valerio Publicola tertium, M. Horatio iterum Coss. Lars Porsena Clusinorum rex in Hetruria, qui Tarquinium ad se confugientem exceperat hospitio, pollicitus effecturum se duorum alterum, vt aut reconciliatus suis ciuibus restitueretur in patriam & imperium, aut saltem amissa bona reciperet: quoniam superiore anno missis Romam legatis mixtas minis preces afferentibus, neque reconciliationem ei impetrauit & reditum, senatu deuotionem & iusiurandum causante, neque bonorum restitutionem, his quibus ea rapto sortitóve obtigerant restituturos se pernegantibus, sibi iniuriam hac repulsa illatam interpretans, qui neutrum è postulatis obtinere valuisset, homo arrogans & inflatus diuitiis amplóq; ac opulento imperio, ratus se nactum bonam occasionem subuertendi Romanorũ

manorum imperij, quod iam antè in animo destinauerat, bellum eis indixit. in eius belli societatem vltro se obtulit regi Octauius Mamilius gratificatus Tarquinio socero, à Tusculo Romanos infestaturus, à quibus Camerini Antemnensesq; Latini nominis populi apertè iā defecerant, illíque se adiunxerant: è reliquis Latinis nolentibus cum fœderato & prępotente populo ex professo bellum sine causa necessaria gerere, pellecti sunt nō pauci sponte sequentes eius amicitiam. His cognitis Coss. primum agrestium vulgus res suas pecora & mancipia transferre in proximos montes iusserunt, castellis per loca munita dispositis ad refugia. deinde Ianiculum montem in aduersa vrbis ripa situm munierunt. addito etiam præsidio, modis omnibus dantes operam ne tam opportunus hosti locus in eius potestatem veniret, sedésque belli fieret. intra mœnia quoque multis blandimentis plebem retinebant in officio, ne propriis commodis à tyranno illecta proderet publica: immunitate concessa à portoriis quæ sub regibus pendebantur, simúlque a tributis & stipendiis, quod satis videretur si pauperes corpora exhiberent Reipublicæ ad defendendam patriam: cúmque militem haberent iam ante præparatum & exercitatum, ante vrbem castrametati sunt. At Porsena cum exercitu veniens Ianiculum primo impetu capit, metu desertum à præsidiariis, suúmque ibi præsidium collocat. ad vrbem deinde pergens quasi & hanc sine labore occupaturus, vbi propius pontem venit, & Romanos animaduertit paratos iter præcludere, expediebat se ad pugnam, quasi obtriturus eos suorum multitudine, contemptímque admouebat copias. Sinistrum cornu ductabant Titus & Sextus Tarquinij, habētes circa se manum exulum & florem Gabinæ iuuentu-

tis,

tis, præter externi ac mercenarij militis non exiguum numerum. Dextrum tenebat Tarquinij gener Mamilius, in quo Latini erant qui à Romanis defecerant. Porsena versabatur in acie media. In Romanorum dextro Sp. Largius & T. Herminius Tarquiniis erant oppositi. Sinistrum tuebantur M. Valerius Publicola consulis frater, & T. Lucretius superioris anni consul, conflicturi cum Latinis & Mamilio. mediam aciem tenebant ambo Coss. vbi ad manus ventum, diu pugnatũ est vtrinque acriter neutris cedentibus, quòd Romani Latinis Hetruscísque virtute præstarent reique militaris peritia, hostes verò longe superiores essent numero. tandem post multam vtrinque cædem editam Romanos timor subiit, in sinistro cornu primùm, quòd vidissent duces Valerium & Lucretium ex acie referri saucios: quibus fugientibus, dextrum quoq; cornu iam vincens Tarquinios, idẽ metus corripit. ita vno agmine in vrbem refugientibus, & confertim per pontem irrũpentibus, hostes à tergo impetum in eos faciunt: parúmque absuit quin vrbs eo die vi capta sit, immunita quà flumine alluitur, & hosti obnoxia si irruisset vnà cum fugientibus. tres tantum viri sustinuerunt impetum & seruauerunt Remp. Sp. Largius & T. Herminius dextri cornus duces è senioribus, è iunioribus P. Horatius Cocles cognomine, quòd illi ex oculi vitio in pugna amissi est inditum, vir egregia forma, & singulari animi virtute præditus hic consulum alterius M. Horatij fratris fuit filius, nobili genere oriundus ab vno trigeminorum M. Horatio, illo qui olim Albanos trigeminos vicerat, cum inter duas ciuitates certaretur de imperio quãdo parcendo totis exercitibus ternis vtrinque viris pugna commissa armis decretum est, sicut supra diximus. Hi soli

occupato primo pontis aditu hostem arcebant, nec de gradu vllis telis eminus comminúsve deturbari poterant, donec transmitteretur in tutū exercitus. quo facto Herminius & Largius, armis iam præ multitudine ictuum inutilibus, paulatim se receperunt ad suos. Horatius solus frustra consulibus aliísque reuocantibus, & de tam egregij viri salute sollicitis, eundem locum ingenti gradu obtinet, prius denuntiato sociis per Herminium, ut suo iussu quàm primum pontem interrumperent: qui tempore illo erat vnicus, totus ligneus absque ferro è solis compactus sublicis, qualis hodiéque permanet. vtq; maiore parte diffracta parum quid relinquentes ad transitum clamore sublato signum darent, tum sibi curæ fore cætera. hostes congredi ausos & conantes se detrudere, hos vmbone, hos gladio, reiicit, omnésq; à ponte submouet. ita vt nemo amplius vt furentem & mori certum impeteret. ac ne accessus quidem iam erat facilis, quòd vtrinque satis tutum fluuius faceret, à fronte armorum & cadauerum congeries eminus tantum iaculis petebatur & saxis manualibus: aut si hæc deerant, cæsorum clypeis atque gladiis, illo ipsorum tela retorquente in eos, nec vnquam frustrato ictu vt in confertis aduersariis. iámque armis vndique confixis & aliquot membris vulneratis, traiectóque lancea summo femore grauiter saucius vt præ doloris acerbitate vix subsisteret, audit à tergo clamātes minimū abesse quin pons interruptus sit: ac mox sic vt erat armatus in amnē se deiicit: & ægrè quidem, quòd cōcitatus ibi ferretur Tiberis crebrísq; iugorū obicibus verticosus, tamen ad suos saluis etiā armis omnibus enatauit, rem ausus immortali dignam gloria, confestim enim coronatus & à militibus haud secus quàm vnū Heroum se celebrantibus in

vrbem

vrbem relatus, ab effusa urbanorum multitudine exceptus est, dum pro se quisque ad extremum viri conspectum certatim properat, quem putabant propter vulnera non diu fore superstitẽ. vbi verò euasit mortis periculũ, effigiem ex ære armatam populus in maximè conspicuo fori loco ei posuit: agrię tantum dono dedit ex publico, quantum vno die vno boum iugo circumarauit. priuatim quoque tã mulieres quàm viri vnusquisque de suo victu aliquid detrahens in summa inopia, tantum contulit quantum in vnius diei alimenta sufficeret, cum essent supra CCCM. capitum. Ita Horatius egregiè virtutis exemplo edito nemini Romanorũ secundus, sed imposterum negotiis publicis propter claudidatem inutilis ea de causa nec consulatum nec militares præfecturas assecutus est. Vnus hic eo bello præcipuã laudẽ tam mirando facinore meruit, & alter præterea C. Mutius Cordus, honesto loco natus, & ipse magnum quiddã ausus, vt dicemus paulò pòst, expositis prius difficultatibus in quibus tũ erat Respub. Nam rex Hetruscorũ in proximo monte vnde præsidium Rom. eiecerat castris positis in potestate habebat quicquid agri erat vltra Tiberim. Tarquinij iuuenes cum affini suo Mamilio impositas ratibus & scaphis suas copias in ripam Romanam traiecerant, & loco munito castra communierant: vnde excurrendo agros vastabãt, villas diruebant, pecora pastum è castellis progressa intercipiebant per insidias: cúmq; quicquid extra muros erat occuparetur ab hostibus, & è prædiis atque per flumium nihil aut parum subueheretur, breui fuit ingens inopia tot millibus quæ ad victum præparauerant absumentibus. præterea dominos quotidie deserebant mancipia transfugæ: & è plebe nequissimus quisq; ad tyrannos deficiebat. Hæc consideran-

tibus Coss. placuit ad eos Latinos, apud quos videretur superesse aliqua cognationis reuerentia & amicitiæ respectus, legatos auxilia petituros celeriter mittere. & alios in Campaniam Cumas, & ad Pomptini campi oppida, qui frumenti exportandi sibi dari copiam peterent. Latini negauerunt auxilia, quòd religione vetarentur tam contra Tarquinios quàm contra Romanos bellũ gerere, quandoquidem ex aquo vtrisque iuncti essent societatis fœdere. In Pomptino campo Largius & Herminius frumentatum missi multas scaphas vario commeatu oneratas à mari per fluuium noctu silente luna subuexerunt elusis hostibus. Sed hoc quoque intra paucos dies absumpto, postquam laborare fame ad eandem inopiam relapsos Porsena è transfugis didicit, per caduceatorem postulauit recipi Tarquinium, si velint bello simul atque fame eripi. id cum Romani grauarentur facere malentes pati extrema omnia, Mutius videns alterum euenturum, vt aut inopia coacti tandem decedant de proposito, aut pertinaciter obstinati miserrimo genere mortis pereant, impetrata à Coss. adeundi senatus potestate, quasi allaturo aliquid necessarium, ita locutus est. Patres conscripti. audax facinus cogitans, quod finem imponat malis præsentibus, successurum satis confido, imò etiam facilè me confecturum quod volo. caterùm superfuturum me post perpetratum facinus in vita non magna spes, vel si verum fatendum est, nulla potius. In tantum periculum meipse coniecturus, latere id vos omnes nolui: vt quoniam de magnis rebus iacietur alea, si conatus frustratus fuerit, saltem laudem promerear, & pro mortali corpore gloriam immortalem recipiam. apud populum enim, quid facere cogitem, non est tutum prædicere nequis, lucri cupidus spe præmij rem silendam

dam ad hostes deferat. vobis verò, quos arcana contineri posse credo, primis & solis ea proditurus sum, vt per vos suo tempore discant cæteri. Negotiũ autem sic aggrediar. Transfuga specie castra Hetruscorum accedam, vt si suspectum me occiderint, vnus tantum ciuis decedat vestro numero: quòd si intromitti contigerit, regem hostium interficere vobis polliceor. Cæso verò Porsena, vos belli finem habebitis, ego quod fortunæ visum fuerit perferam. hæc sunt quorum vos volo conscios. testes mihi futuros apud populum, nunc abeo duce fortuna patriæ. Senatus collaudatum iuuenem ire iussit bonis auibus. ille transmisso fluuio castra Hetruscorum ingreditur, sub Tusco habitu deceptis portarũ custodiis: quod eo fuit facilius, quia nec telum vllũ gestabat propalam, & lingua vtebatur Tuscanica, quam puer à nutrice Hetrusca didicerat. vbi ad prætorium venit, conspicit hominem præstanti corpore purpuratum pro tribunali sedentem armatis circunstantibus: falsusq; opinione, vt qui nunquam Hetruscorum regem viderat, hunc esse Porsenam suspicatus est. erat autem scriba regius, & tum recensens milites reddebat eis stipendia. ad eum scribam per confertam turbam accessit, & nemine vt inermē prohibente conscenso tribunali, ferro quod sub veste texerat obtruncat hominem: ac mox à circunstantibus cõprehensus, ad regem facti non ignarum perducitur. Tum rex: Scelestè, inquit, & mox pœnas dature quas meritus, quis es? vnde venis? quo fretus ausus es tale facinus? Solúmne scribam, an me quoque interficere decreueras? quos habes insidiarum socios? caue quicquam mentiaris, nisi mauis per tormenta veritatem exprimi. ad hæc Mutius nec colore nec vultu mutato metum præferens, nec vllo alio signo qualia solent in-

mortis periculo accidere: Romanus sum inquit, nec leui de causa, sed vt patriam ab hoc bello liberarem, in tua me castra contuli, sub transfugæ specie te volens interficere, sat sciens moriendum mihi siue succederet conatus siue non, donaturus tamen vitam meam ei quæ me protulit, & pro mortali corpore immortalem recepturus gloriam, nunc spe frustratus pro te scribam ignotum occidi, deceptus purpura & sella cæterisque potestatis insigniis. Mortem igitur, quam ipse mihi aggressus hoc facinus destinaui, non deprecor: quòd si tormenta cæteráque vexationes mihi te remissurum fidem cum iureiurando dederis, polliceor me tibi rem magnam indicaturum quæ ad incolumitatem tuam pertineat. Hæc ille, parans vaframento militari circumuenire hominem. Rex non satis sui compos obuersantibus animo terriculis inanibus, fidem iureiurando confirmat. Ibi Mutius nouam doli rationem commentus, quam difficile esset deprehendere: Trecenti, inquit, Romani iuuenes, patritij omnes, in tuum rex caput coniurauimus, cúmque de modo insidiarum consultaremus, placuit non omnes simul rem aggredi, sed alium post alium, nemini communicato consilio de tempore, loco, modóue aggrediendi, quo facilius sit fallere, his ita decretis sorti commisimus quis nostrum primus faceret rei periculum, ea sors mihi obtigit. ergo præmonitus tam multos fortes iuuenes eandem mentem habere eandémque gloriæ cupidinem, quorum aliquot esse me feliciores necesse est, considera quibus opus sit tibi contra omnes custodiis. His auditis rex iussit satellites abducere illum in vincula, asseruandum magna diligentia. Ipse assumptis fidissimis amicis, cúmque his Arunte filio, dispiciebat quomodo præcauere posset coniuratorum insidias.

sidias. ibi singulis sua consilia conferentibus non multum ad securitatem conducibilia, videbatur nemo illorum quid opus facto esset satis intelligere præter vnum filium. nam is postremus iussus dicere, prudentiorem quàm pro ætate sententiam protulit, censens non tam cogitandum qualibus custodiis vti debeat, quàm quomodo efficiendum ut nullis opus sit custodiis. Admirantibus hoc dictum omnibus & percontante patre quonammodo id posset fieri: Si, inquit, tales viros amicos ex hostibus feceris, & tuam vitam exulum restitutione cariorem habueris. Rex probari sibi consilium dixit, vnam tamen superesse deliberationem, quomodo honestis conditionibus pax fiat: quòd turpe videretur hostibus prælio victis & intra mœnia compulsis obsidionem relinquere, infectis rebus præter expectationem Tarquinij, quasi à victis vinceretur, & eos fugeret qui ne portis quidem prodire audeant. nec alium esse honestum pacis componendæ modum, nisi ipse prius per legatos prouocetur ad amicitiam. hoc tum amicis & filio responsum est: post aliquot tamen dies coactus est prior pacis mentionem facere ob caussam huiusmodi. dum hostis palabundus per agros operam quotidianam daret intercipiendis commeatibus, Romani dispositis per oportunos locos insidiis interfecerunt multos, plures captos in vrbem secum abduxerunt. quem casum molestè ferentes Hetrusci regem incusabant in conuenticulis ducésque alios quòd bellum tam diu traherent. rex videns suos pertæsos militiæ, & pacem gratam fore omnibus, in legationem mittit amicorum intimos. his quidam Mutium dicunt additum, data fide regi de reditu: alij detentum in castris pro obside, donec conueniret inter partes de pace, quod est veri-

 simil

similius. Legatis mandatum erat sine mentione reditus Tarquiniorum bona tantum repetere, præsertim quæ Priscus hæredibus reliquerat, & bene parta alia. id si obtineri nequiret, saltem rusticorum urbanorúmque prædiorum & pecorum atque terræ frugum pretia quantum fieri posset integra, siue mallent à possessoribus ea conferri, siue ex ærario persoluere. atque hæc pro Tarquiniis. cæterùm sibi pro pace reddi septem pagos quos vocant, quem agrum olim popul. Rom. Hetruscis belli iure ademerat, daríque obsides amicitiæ nobilium virorum liberos. hæc legatio postquam in vrbem aduenit, Senatusconsultum factum est ex Publicolæ consulis sententia, omnia concedi quæ Hetruscus postulet, quòd plebs egena non amplius laturа videretur inopiam, & pacem libentissimè amplexura, quibuscunque tandem conditionibus. populus excepta bonorum restitutione reliqua omnia rata habuit, non passus quicquam reddi vel ex ærario, vel à priuatis hominibus, legationémque ad Porsenam decreuit, quæ agrum offerret cum obsidibus, cæterùm quod ad restitutionem bonorum attineat, rem totam iudicio regis committeret, vt auditis partibus & causa bene cognita, quod iustum videretur pronuntiaret, semotis odio atque gratia. cum hoc responso legati remissi, & cum his profecti legati populi, ducentes ex primariis familiis pueros futuros obsides, & in primis C O S S. *liberos, M. Horatij filium, P. Valerij filiam iam nubilem. Hos rex lætus excepit, laudatísque Romanis inducias dedit ad certum dierum numerum, & in se recepit iudicium. Tarquinij quamuis ægre ferrent frustratos se à rege in quo totam spem reditus collocauerant, tamen quia sic erat necesse, præsenti fortuna contenti & ipsi has conditiones admiserunt.*

cumq;

cúmque ad præstitatam diem ex vrbe venissent ad dicendam causam senatores natu maximi, rex pro tribunali cum amicis sedens, adhibito etiam ad id consistorium filijs fecit eis dicendi copiam. dum hac causa agitur superuenit quidam nuntians de fuga obsidum virginum. nam hæ cum impetrassent à custodibus lauandi in amne facultatem, iussis viris tantisper secedere dum positis vestibus se abluerent, ne illi nudas conspicerent. cum hoc quoque fecissent custodes, hortatu atque exemplo Clœliæ natatu superato flumine in urbem se receperant. ibi Tarquinius vehementer in Romanos inuectus perfidiam eis obiiciebat & periurium, conatus exasperare Porsenam, ne dictis hominũ fraudulentorum attenderet. Verùm consule id factum negante iussu parentum, sed vltro id ausas virgines, & asseuerante fidem se facturum non multo post, nihil hic doli admissum publicè, persuasus rex permisit eum ire ad reducendas vt pollicebatur virgines. Sic Valerius id facturus abiit. Interea Tarquinius eiúsque gener calcato iure ausi rem impiam, cateruam equitum in eam viam summiserunt, vt comprehensis quæ adducebantur, virginibus, & cum suo comitatu consule in castra eos ducerent, quæ corpora detinerentur pro pignore dum Tarquinij bona sua reciperent, non expectato fine iudicij. Sed fortuna noluit has insidias succedere. prius enim quàm insidiatores è castris Latinis prodirent, iam consul maturato itinere puellas proxime portam Hetrusci valli adduxerat: coactus tamen pugnare cum illis qui ex alteris castris procurrentes assecuti eum fuerant: sed Hetrusci senserunt, statimq́; regius filius induciarum fœderis memor cum ala equitum adfuit auxilio, peditibus quoque qui stationem pro castris habebant, succur-

rentibus. quamobrem indignatus Porsena Hetruscorum concione aduocata disseruit, quemadmodum delato ad se indicio & cognitione criminum quæ Tarquinius Romanis obiiceret, nondum definita causa, contemptáque induciarum religione, corpora obsidum & legatorum sacrosancta violare conati sint, quos populus Romanus iure in exilium egerat. Sic Hetruscorum suffragiis absoluuntur Romani: Tarquinio & Mamilio renuntiatum est hospitium, iussique eadem die castris excedere. Itaque Tarquinij qui antea bonam spem habuerant Hetruscorum auxilio recepturos se tyrannidem, aut certè amissa bona, vtroque frustrati discesserunt è castris cum odio & ignominia. Rex obsidibus ad tribunal adduci iussis consuli eos restituit, dicens pluris se facere fidem populi Romani quàm vllos obsides. vnam deinde virginem, quæ reliquis tranandi fluuium autor fuerat, laudatam ob præstantiorem quàm pro sexu atq; ætate indolem, admiratus insuper felicitatem ciuitatis, quæ non solum fortes viros, sed virgines quoq; viris similes produceret: donauit puellam equo bellatore ornato insignibus faleris. post concionem icto cum legatis Romanis fœdere pacis & amicitiæ, ipsis'que acceptis hospitaliter, dono per eos remisit ciuitati vniuersos captiuos absque pretio, quorum magnus erat numerus. locum quoque in quo metatus est, non vt castra in hostico temporaria, sed instar oppidi priuatim ac publicè satis ornatum, quamuis non esset moris Hetruscis finito bello domum repetentibus integra castra sinere, sed exurere, ita vt erat reliquit, haud mediocri erga populum Romanum munificentia: id quod apparuit ex auctione quam fecerũt quæstores post regis abitum. Hic finis belli quod cum Hetruscis Clusinorumq; rege Larte

Porſena populus Romanus geſſit adductus in magnum periculum. porrò ſenatus poſt diſceſſum regi mittendam decreuit ſellam eburneam cum ſceptro, coronámque auream, & triumphalem veſtem regiam. Mutio verò ei qui paratus fuerat pro patria mortem oppetere, quia viſus eſt fuiſſe finiendi belli cauſa præcipua, donandum ex publico agrum trans Tyberim, quemadmodum antè Horatio pontis defenſori, quantum poſſet circumarare vno die: qui noſtro quoq; tempore vocatur prata Mutia. atque hæc virorũ fuere præmia. Clœliæ virgini effigiem æream ſtatuerunt in ſacra via quæ fert in comitium patres virginum. eam nos non inuenimus iam olim abſumptam incendio propinquarum ædium. Hoc demum anno templum Capitolini Iouis abſolutum eſt, de quo ſuo loco in ſuperiore volumine diximus. eius dedicationem atque inſcriptionem abſente collega occupauit alter conſul M. Horatius, cum ille profectus eſſet ad tuendum agrum cum exercitu. quàmprimum enim agreſtes relictis caſtellis in villas ſuas ſe contulere, mox Mamilius immiſſis prædatorũ globis eos infeſtabat. Hæc tertio conſulatu geſta ſunt. Quartus annus quietus à bellis COSS. habuit Sp. Largium, T. Herminium. Horum conſulatu Aruns Porſena Hetruſcorum regis filius, ſecundo anno poſtquam cum Aricinis cœpit bellum gerere, fato ſuo functus eſt. mox enim poſt pacem Romanis datam dimidium exercitus à patre acceptum duxit ad Ariciam, volens ſibi proprium principatum acquirere: & cum parum abeſſet quin vrbe potiretur, ſuperuenientibus Aricinorum auxiliis ab Antio & Tuſculo Cumiſque Campaniæ, acie congreſſus cum maiore vi hoſtium, cæteros quidem fugatos vſq; ad mœnia perſecutus eſt, ab Ariſtodemo autem cognomine Malaco

victus

victus occubuit: exercitus duce amisso fusus & fugatus est. multi in fuga Cumanis persequentibus interempti: maior pars dispersi in propinquum Romanum agrum refugere sine armis. & ad vlterius procedendum præ vulneribus inualidi, quos è villis suis Romani cõportatos in vrbem plaustris & carpentis iumentísque nonnullos semineces, & illatos in domos proprias, cibis. medicamentis aliisque humanitatis officiis magno cum affectu refouebant, adeò vt multi his beneficiis deuincti extincto patriæ desiderio mallent manere apud bene meritos. his senatus locum in vrbe ad ædificandum dedit, vallem Palatinum inter & Capitolinum colles quatuor fermè stadiis protensam, qui vsque ad nostram ætatem Tuscus vicus Romana lingua vocatur, quà transitur à foro in circum maximum. eam benignitatem rex repẽdit magnificentia longe gratissima populo, largitus transTyberinum agrum ademptum ex fœdere: & diis sacrificatum est magno impendio, quas victimas vouerant si septem pagos reciperent. Anno deinde post eiectos reges quinto Olympias erat nona supra sexagesimam, qua vicit in stadio Ischomachus Crotoniensis, Athenis iterum annuo principe Acestoride. Romæ consulatum gerentibus M. Valerio fratre Publicolæ, & P. Posthumio Tuberto. Horum consulatu aliud bellum Romanis exortum est à finitimis per occasionem latrociniorum, progressum ad multa magna prælia: quod tamen postremo honestum habuit exitum quartis post Consulibus, ad quorum tempora sine intermissione bellatum est. nam quidam Sabinorum populi animaduertentes debilitatam bello Hetrusco rempublicam, & nunquam pristinam dignitatem recepturam sperantes, reuersos agrestes è castellis in sua prædia grauiter

infestab

infestabant prædonum incursionibus. propter quas iniurias Romani prius quàm arma sumerent legationem ad illos miserunt res repetituram, & postulaturam ut vim abstinerent ab agricolis. qui cum superbe respondissent, bellum eis indictum est. Prima profectio contra prædones repentina fuit: Valerius COS. cum equitatu & leuis armaturæ lectissimis aggressus palantes magna clade affecit, ut qui nihil minus quàm pugnam expectauerāt. Deinde valido Sabinorum exercitu aduentante ductu imperatoris peritissimi, rursum Romani exiuerunt obuiam cum omnibus copiis, quibus præerant ambo COSS. Posthumius prope urbem in montanis locis castrametatus est, veritus ne exules interim molirentur aliquid: Valerius propius hostes ad Anienem: qui fluuius ad Tibur de alta rupe præcipitatus per campos deinde labitur. Sabinos à Romanis disterminans, amœnus aspectu & potu non ingratus donec Tiberim influat: trans fluuium castra Sabina erant, sita in quodam leniter accliui nec admodum munito tumulo. ac primum metu mutuo neutri audebant transmisso milite pugnam incipere. postea non ratione consilióque, sed per contentionem irritati commiserunt prælium. aquatores enim quidam & equos potum ducentes longe in alueum prouecti sunt, fluuio nondum aucto hybernis tempestatibus, ut vix superaret genua. ibi pauci cum paucis congressi effecerūt ut ex vtrisque castris procurreretur in suorum auxilium: ac rursum hos alij secuti ut suos loco cedentes restituerent. ita vicissim alteri alteros repellebant à fluuio, non sine cæde ac vulneribus. crescenteq; contentione, ut fieri solet in pugnis commissis temere, duces etiam cupido cepit transmittendi fluuium. prior COS. Romanus transmisit, & Sabinos etiam

tum se

tum se armantes aggressus est prius quàm explicarent aciem. nec illi detrectauerunt pugnam, contempto hoste, quòd nec COS. *ambo, nec omnes eorum adessent copiæ: pugnauerúntque acriter nihil sibi reliquum facientes ad summam alacritatem & audaciam. itaque feruente prælio, & Romanorum dextro cornu reijciente cedentes iam aduersarios, quòd ea parte consul pugnam accenderet: sinistro contrà non sustinente sibi oppositos, & referente pedem ad fluuium: consul qui alteris castris praerat, re cognita eductóque exercitu, ipse peditatum militari gradu ducebat, præmisso Spurio Largio superioris anni consule. qui cum equitatu effusis habenis prouectus celeriter, nemine prohibente superato facile fluuio præteruectus dextrum cornu hostium, in transuersum equitatus Sabini latus fecit impetum: diúque acriter certatum est cominus inter equites neutris loco cedentibus. Interea Posthumius cum legionibus superuenit, & illatus in pedites multis in pugna cæsis fugauit reliquos, fuissént que internecione deletæ Sabinorum copiæ circumuentæ à Romanis equitatu præpollentibus, nisi nox interueniens partem earum non magnam, amissis tamen armis, seruasset incolumem. castra consules sine certamine in potestatem suam redegerunt, deserta à præsidiariis quàm primum suos senserunt terga vertere. his in prædam concessis militi, exercitus domum reductus est ac tum primum pop. Rom. post cladem ab Hetruscis acceptam recollegit vires simul & animos, ausus vt antè imperium sibi asserere in finitimos: decreuítque vt simul triumpharent ambo consules: Valerio etiam aream ad ædificandum dono dedit sitam in præcipua parte Palatij, sumptúsque præbuit ex ærario. cuius domus, ad quam stat taurus æreus*

rus areas, valuæ solæ præter morem omnium urbanarum tam publicarũ quàm priuatarum ædium, dum aperitur ianua reuoluuntur in viam publicam. Sequens annus in magistratu habuit P. Valerium Publicolam quartum, T. Lucretium iterũ, consules. Horum consulatu Sabinorum gens uniuersa de communi consilio bellum decreuit cum Romanis gerere, quasi soluta à fœdere post exilium Tarquinij, cum quo id ictum fuerat: quod factum est solicitante Sexto altero filiorum Tarquinij, qui priuatis officiis precibúsque proceres uniuscuiusq; populi flectendo bellum conflauit omnibus; pellectis etiam ad defectionem Fidenatibus & Camerinis, & pertractis in partes suas: pro qua opera imperator ab omnibus electus est, data facultate habendi delectus ex omnibus populis, quasi proximo prælio cladis accepta esset ob defectum virium & ducis stultitiam. His ita in apparando bello occupatis fortuna quædam valens facere paria, pro desertoribus sociis aliud insperatum Romanis auxilium ex ipsis hostibus desumptum addidit. Ap. Claudius Regillum oppidum Sabinorum tunc habitans, vir opulentus & nobilis, transfugit ad eos cum tota cognatione, comitatus insuper multis amicorũ & clientium familiis, in quibus erant circiter millia quinque militaris ætatis armis ferendis idonei. causa migrationis fuisse dicitur hæc. principes nobiliorum populorum iniquè ferentes eius ambitiosam potentiam, reum fecerunt obiecto proditionis crimine, quòd ad bellum Romanum parum propensus, etiam in concilio solus contradiceret turbandæ pacis autoribus, & suos oppidanos non sineret approbare cæterorum placita. Ille in alieno foro iudicari metuens, cũ rebus suis atq; amicis adiunxit se Romano populo, tantumq; momẽti hæc accessio attulit.

vt omnium opinione præcipua victoriæ causa fuerit. Quamobrem S. P. Q. R. adscripsit eum in patritiorum ordinem, concessa ad ædificandum vrbis parte quantam petiit, comitatui ex publico datus ager Fidenas inter & Piculiam viritim diuidendus: vnde mox facta tribus Claudia vsque ad nostram ætatem nomen id retinens. Bello vtrinque satis parato Sabini priores eductis copiis bina castra metati sunt, altera non longe à Fidenis in campis patentibus, altera in ipsis Fidenis, vt essent oppidanis præsidio, & siquid foris tendentibus accideret, haberent paratum refugium. Consules cognito Sabinorum aduentu ipsi quoque cum totis iuniorum copiis profecti gemina castra opposuerunt hostibus, Valerius prope castra Sabina in aperto sita, Lucretius non longe inde in quodam tumulo, vnde collegæ castra erant conspicua. Romani vt in manifestario bello cupiebant celeriter armis decernere, Sabinorum imperator metuens apertè signa conferre cum hoste potente & audace contra omnia pericula, maluit eum noctu aggredi. & comparatis omnibus rebus ad complendas fossas vallúmque transcendendum necessariis, cum iam sibi pulchrè instructus videretur, post primum somnum excito copiarum suarum robore iter ad Romanorum munimenta instituit: simulq; intra Fidenas castra habentibus denuntiauit, vbi suos egressos senserint, & ipsi oppidum exeant armati leuiter: dispositisque per opportuna loca insidiis, si qui Valerio ex alteris castris succurrerent, eos à tergo inuadant cum magno clamore ac strepitu. Hoc consilium cum & centurionibus probaretur, expectabat opportunitatem temporis. interea transfuga quidam in castris Romanis consuli Sexti mentem indicat: nec multo pòst aderant equites adducentes captiuos Sabinos.

binos, quos lignatum egressos interceperant. hi seorsim interrogati quid paret ipsorum imperator facere, responderunt scalas & pontes fabricare, incertum in quem vsum. hoc cognito Valerius legatum suum Marcum fratrem mittit in castra altera, significaturum eorum præsidi Lucretio quid hostes in animo habeant, & quomodo sit occurrendum illorum conatibus. ipse conuocatis tribunis & centurionibus exposuit quæ ex transfuga & captiuis audierat. adhortans vt fortem sibi operam præbeant, videntes aduenisse tempus optabile sumendi pœnas de iniminis egregiè: simúlque submonitos, quid opus facto sit, & data tessera, dimisit ad suos ordines. Nondum medium noctis erat, cùm Sabinorum dux excitis militibus contendebat ad castra cum exercitus robore, indicto omnibus silentio ne hostis ex armorum strepitu aduentum eorum præsentiat. vt verò propè vallum ventum est, nec ignes videndo, nec voces vigilum audiendo damnantes Romanorum stultitiam qui intra castra incustodita stertèrent, multis locis complebant fossas materia, transcendebántque prohibente nemine. inter fossam autem & vallum cohortes Romanæ latebant in tenebris, quæ trucidabant gladiis exceptos cominus, his qui sequebantur aliquandiu non sentientibus præcedentium perniciem. oriente deinde Luna proximi fossæ videntes accumulata secus eam cadauera, & ex aduerso inuadentem se validum globum hostium, abiectis armis terga dãt: Romani verò sublato ingenti clamore, ita vt cum altero consule compositum fuerat, vnà omnes è castris procurrunt in eos. Tum Lucretius vt clamorem audiuit, præmissis equitibus qui explorẽt num quæ lateant insidiæ, modico interuallo sequebatur cùm lectissimis peditĩs. ita eodem tempore & equi-

tes progressos Fidenis insidiatores verterunt in fugam: & peditum manus eos qui castra sua repetebant cædebat, insectabatúrque semiermes & fugientes nullo ordine. in his nocturnis pugnis perierunt Sabinorum atque sociorum circiter XIII. *millia, capta quatuor millia & ducenti insuper. castra quoque eadem luce capta. Fidenæ verò post paucorum dierum oppugnationem, quà ut minimè expugnabiles minimè custodiebantur, ea parte capta sunt, nec tamen in prædam cessere corpora, nec vrbs ipsa est diruta, & pauci occisi postquam in potestatem redacta est. Satis pœnæ visum est consulibus ciuitatis gentilis peccatum multari bonorum direptione mancipiorúmque, & amissis in pugna ciuibus: ad cauendam porrò captorum rebellationem, sufficere ex more Romano auctorum defectionis supplicium. itaque conuocatis in forum Fidenatibus, multis verbis inuecti in eorum amentiam, dignos esse qui omnes internecione deleantur vnà cum pueris, vt qui nec pro beneficiis gratiam habeant, nec corrigantur castigationibus virgis cæsos nobiliores in conspectu omnium securi percusserunt. reliquos permiserunt habitare vt antea, nisi quòd senatus certum habitatorum numerum illuc misit præsidio, & partem agri ademptam diuisit præsidiariis. his gestis milites de hostico reducti,* COSS. *ex* S.C. *triumphauerunt hæc sunt huius consulatus memorabilia.* COSS. *deinde* P. *Posthumius Tubertus iterum. Agrippa Menenius Lanatus. quo anno Sabini instaurato prius quàm Romani sentirēt maiore quàm antè exercitu, peruaserunt agrum eorum vsque ad vrbis mœnia. magna tum cædes edita, non agrestium modò quos ex improuiso malum id occupauit priusquam in proxima castella refugerent, sed vrbanorum etiam.*

Nam

Nam Posthumius alter consulum nō ferendam ducens hanc iniuriam, cùm repentinis copiis hosti occurrit alacrius quàm prudentius. quorum cateruas Sabini videntes in se contemptim ferri nullo ordine, quo magis eum contemptum augerent, simulata fuga retro abibant celeriter, donec venirent ad syluam magnam, vbi reliquus ipsorum exercitus subsederat. deinde conuersi inuadunt persecutores suos, simúlque magno clamore sublato è sylua in eos prorumpunt alij. qui cum in homines perturbatos & ex cursu anhelos inciderent ipsi instructi egregiè, prostratis quotquot auderent congredi, reliquos in fugam versos intercepto in vrbem refugio concluserunt in quodam inculto montis dorso & aspero: & quia nox superuenit dispositis excubiis seruabāt vias, ne clàm aufugerent. qua clade renuntiata in vrbem magna trepidatio fuit discurrentium in mœnia, omnibus timentibus ne hostis elatus victoria noctu vrbem inuaderet: miserebátque cæsorum simul & superstitum, qui & ipsi subsistere non possent propter victus inopiam, ni succurreretur celeriter. illa igitur nocte deiectis animis peruigilatum est. postero die consulum alter Menenius omnes iuniores armatos & pulchrè instructos duxit ad obsidionem montis soluendam. quos Sabini aduentantes non expectauerunt: sed confestim abduxerunt à monte copias præsenti felicitate contenti: nec diu pòst morati receperunt se gloriosè in sua, ditati magna præda ex direptis iumentis & mancipiis rebúsque domesticis hostium. At Romani ægrè ferentes cladem & causam eius referentes in Posthumium, decreuerunt totis viribus expeditionem in agrum Sabinum facere, non solùm ad abolēdam acceptam ignominiam, verum etiam superbæ hostium legationis indignitate re-

centi offensi. nam quasi vi coacturi ni mallent imperata facere, iubebant vt reciperent Tarquinios & imperio sibi cederent, legésque ac constitutionem reipublicæ tanquam à victoribus acciperent. Responsum est legatis, irent & hæc Romanorum iussa domum referrent: Sabinos armis depositis oppida sua populo Romano dedere, & imperium eius vt antè agnoscere, ac tum demum venire ad petendam iniuriarũ damnorúmque superioribus expeditionibus datorum veniam, si velint pacem consequi & amicitiam. quæ iussa ni fecerint, expectandum eis domi bellum primo quoque tempore. Talia sibiinuicem imperantes cum iam satis ad bellum instructi viderentur, eduxerunt copias: Sabini delectu iuuentutis bene armis ornatæ oppidatim habito: Romani contracto quicquid erat virium vel in vrbe vel in castellorum præsidiis, rati eos qui militarem ætatem excessissent cum seruitiorum turba sufficere ad tutelam vrbis & arcium. castra collata sunt ad Heretum Sabinum oppidum propinquũ, modico interuallo à se inuicem distantia. vt verò ex propinquo vtrique cognouerũt res hostium, tam ex castrorum spatio quàm ex relatione captiuorũ, Sabinis audacia creuit ex contemptu paucitatis hostium, Romanis contrà multitudo aduersariorum incussit formidinem. Receperunt tamen animos & spei nonnihil ex quibusdam prodigiis, sed maximè ex hoc vltimo, quod præcessit diem prælij. Ex pili· defixis antè tentoria: tela sunt hæc Romanorum quæ primo congressu eiaculantur, oblonga hastilia crassamento quod manum compleat, tripedaneis ferreis vtrinque præfixa vericulis, vnà cum ferro longitudine paria mediocribus iaculis: ex his inquã pilis circa summa vericula emicantes flammæ visæ sunt totis castris splendorem non alite

quàm

quàm facula ad multam noctem reddere. hoc osten to interpretes coniectura facili cuiuis, aiebant numen significare breui affuturam illustrem victoriam: quandoquidem igni cedunt omnia, & nihil est quod non absumatur eius vi. Is postquam ex ipsorum telis effulsisse visus est, alacres è castris progressi, collatis signis conflixerunt cùm longè maioribus Sabinorum copiis, freti audacia, militariúmque laborum assuetudine durati ad cõtemnendum quantumlibet periculum. Ac primùm Posthumius in sinistro cornu abolẽda ignominia cupidus dextrum hostium cornu impulit, nullo vita respectu dum modo vinceret, velut insanus certúsque mori coniiciens se in hostes medios. quo factum est vt qui cum Menenio alterum cornu tenebant, laborantes iam pedémque referẽtes, ex visa Posthumianorum victoria receptis animis impressionẽ in aduersos facerent. ita vtroque Sabinorum cornu cedente fuga fit omnium. neque enim media acies vtroque latere nudata subsistere potuit, sed & ipsa equitibus Romanis incurrentibus loco suo tandem submota est. tum verò effuse fugientibus omnibus Romani tergo hærentes & simul irruentes binis castris potiti sunt. ne autem internecio secuta sit hostium nox interuentu suo vetuit, & locorum peritia fauens Sabinis in agro suo per nota diuerticula fugientibus. Sequenti die consules crematis suorum cadaueribus, collectísque spoliis, inter quæ fuerunt & viuorum scuta abiecta à fugientibus, captiuis quoque multis potiti sunt & pecuniis rebúsque aliis, præter eas quæ in prædam cesserunt militibus. è manubiis tantum pecuniæ confectum est, quantum insumptum fuerat armando militi. atq; ita victores læti domum reuersi sunt. Senatus decreuit vtrunque consulem cum pompa vrbem in-

uehi, sed honoratiore & triumphali Menenium sedentem in sella curuli regia: Posthumium minore, & humiliore. quam deprauato vocabulo nominant ouationẽ quasi εὐαστὴν. Sic enim primùm integra voce dicebatur vt coniicio, atque etiam scriptum reperio in multis Romanis historiis: quod genus tunc primùm à senatu inuentum Licinius prodidit. differt autẽ ab altero, quòd in ouatione dux non curru sed pedibus, in vrbem præcedit pompam militum. deinde pro intertexta auro trabea induitur toga prætexta, qui quotidianus cultus est prætorum atque consulum. nec sceptrum gestat vt triumphantes, sed tantùm lauream, in cæteris nullo discrimine. ne autem honore Menenio æquaretur, quamuis in pugna præcipuã nauarit operam, in causa fuit clades paulò antè accepta cum ignominia, quando multis desideratis parum abfuit quin ipse in fuga veniret in potestatem hostium. His consulibus P. Valerius Publicola morbo periit, vir suo seculo præstantißimus Romanorum habitus in omni virtutum genere: de cuius egregiis omniq́; memoria dignis facinoribus non opus habeo dicere, quando in huius libri principio pleraq; dicta sunt. vna tantum restat eius laus admiratu dignißima: siquidem censeo decere historicos nõ solùm res bello gestas illustrium virorum mandare posteritatis memoriæ, aut siquid in pace consilio profuerũt Reipublicæ, verum etiam eorum vitæ rationem, si temperantes, modesti, patriíque moris obseruantes fuere, ostendere. Ergo tantus ille vir qui cum tribus aliis præcipuis patritiis reges expulit, eorúmque bona conceßit populo, quater consul & victor duobus bellis maximis, vtroque triumphum meritus, primo de Hetruscis, de Sabinis iterum, cũ tot habuisset paranda pecuniæ occasiones iustas & honestas

omnium iudicio, nō est captus à domitrice omnium atque corruptrice auaritia: sed contentus paruo patrimonio, temperantem, frugalem, nullísque obnoxiam cupiditatibus vitam exegit, & in tam exigua re familiari liberos educauit dignos tali genere: satísque declarauit omnibus diuitem esse non qui possideat plurima, sed qui paucissimis opus habeat. cuius eximiæ perpetuæq; frugalitatis certissimam fidem facit inopia quæ post eius obitum apparuit: quando ne tantum quidem reliquit, quantum talis viri funeri & sepulturæ sufficeret, à cognatis miserè velut vnus è vulgo extra vrbem vstulandus humandúsque nisi senatus re cognita miseratus eius egestatem, decreuisset in sepulturam impensas ex ærario, locúmque rogo & sepulcro intra vrbem propè forum, qui honor huic soli ex illustribus viris ad hanc diem contigit. id quasi sacrariū gentis patet ad sepulturam eius posteris, res omnibus opibus & regnis potior, si quis honestate felicitatem metiatur non voluptatibus. Ita Valerius Publicola qui nihil præter necessarium victum possidere voluit, nō aliter quàm aliquis opulentus rex, magnificè à populo funeratus est: matronæ quoque vniuersæ ex composito eum sicut prius Iunium Brutum, deposito auro & purpura per integrum annum luxerunt, non aliter quàm in luctu domestico. Sequenti anno consules facti sunt Sp. Cassius Vecelinus, Opiter Virginius Tricostus, quorum consulatu Spurio duce cum Sabinis debellatum est, commisso ad Cures magno prælio, in quo cæsa sunt hostium decem millia trecentique insuper, capta circiter quatuor millia. Hac vltima clade perculsi Sabini legatos miserunt ad consulem, acturos de amicitia. qui relegati ad senatum ab eo, postquam in vrbem venerunt, multis precibus ægrè

pristinam pacem impetrauerunt, frumento dato exercitui quantum postulauit Cassius, mulctati etiam in singula capita certo argenti pondere & ademptis agri culti mille iugeribus. Sp. Cassius triũphans rediit. alter consul Virginius contra Camerinos, qui defecerant è societate, duxit dimidiam partem exercitus: & nemine sciente quonam iter faceret, noctu emensus est viam, vt imparatos offenderet, quod & factum est. prius enim quàm sentiretur iam ad mœnia erat diluculo, & nondum castris munitis, ariete s scaláſque muris admouebat, modis omnibus oppugnans oppidum. Camerinis autem repentino eius aduentu attonitis, & aliis portas consuli aperiendas censentibus, aliis omni vi repugnandum hostésque arcendos, dum illi tumultuantes contendunt inter se, excisis portis & muris quà humiliores erant superatis oppidum vi captum est. ea die sequentíque res oppidanorum in prædam concessæ militi. tertia verò captiuis in vnum locum adduci iussis autores defectionis consul ad vnum interfecit. reliquos subhasta vẽdidit, oppidũ ipsum diruit. Septuagesima deinde Olympiade, qua in stadio vicit Nicaas Opuntinus è Locris, Myro Athenarum principe, consulatum inierunt, Posthumius Cominius, T. Largius. hoc anno Latini populi à societate Romanorum desciuerunt, Octauio Mamilio Tarquinij genero vniuscuiusque oppidi proceres, partim pollicitationibus partim precibus impellente ad ferendam opem Romanis exulibus in patriam redire conantibus: indictúmque concilium ad Ferentinum, quò soli Romani præter morem non vocati, vt bellum decerneretur ducésque crearentur, & consultaretur de apparatu cætero. Fortè fortuna tunc M. Valerius vir consularis legatus populi Romani obibat finitimos

mos populos rogans ne ſtuderent nouitatibus. iam enim latrocinia quædam exercebantur, ſubmiſsis à potentioribus qui infeſtarent agreſtes contermi-nos. is vbi cognouit decernendi belli cauſa conuentum celebrari, adiit conſeſſum procerum: acceptáque dicendi copia, miſſum ſe ait legatum ad eos populos vnde latrones excurrerent, poſtulatum vt ſontes perquiſitos dedant ſibi ad ſupplicium iuxta leges fœderis quibus in amicitiam recepti ſint: vtq; in poſterum caueant à talibus iniuriis, quæ dirimere valeant contractam iure cognationis amicitiam. Cúmque videret omnes populos propter bellum Romanum conueniſſe, quod præter alias coniecturas maximè inde colligebat, quia ſoli Romani ad eum conuentum vocati non eſſent, cum disertè aſcriptum eſſet conditionibus, communibus conciliis omnes Latini generis ciuitates intereſſe debere euocatas à præſidibus: aiebat ſe demirari quanam re offenſi, aut quo populi Romani crimine proceres concilij ſolam eam ciuitatem non eſſum pſiſſent, quæ debuiſſet prima omnium adeſſe, & prima rogari ſententiam, vt quæ gentis principatum Latinis vltro deferentibus pro multis magnis beneficiis accepiſſet. Tum Aricini impetrata dicendi venia Romanos acuſabant, bellum Hetruſcum contra ſe neglecto cognationis iure induxiſſe, & quantum in ipſis fuerit, omnium Latinorum libertatem Hetruſcis prodidiſſe. Rex quoque Tarquinius renouans cum populis omnibus icta ſocietatis & amicitiæ fœdera, poſtulabat vt ſeruato iureiurando ſe in regnum reducerent, Camerinorum item & Fidenatium exules, hi captam patriam ſuúmque exilium, illi ciuibus ſub haſta venditis dirutam querentes, ad bellum hortabantur. Poſtremus omnium Tarquinij gener Mamilius, cuius

præcipua tum apud Latinos erat autoritas. assurgens longa concione inuectus est in popu. Roma. Verum ad omnia obiecta respõdente Valerio.quòd videretur eius causa iustior, illa die per criminationes defensionésque absumpta, finis consultationi non est impositus. Sequenti verò non amplius introductis Romanis legatis, audito tantum Tarquinio Mamilióque & Aricinis cæterísque qui vellent accusare popu. Roma. decreuerunt violata esse ab eo fœdera: responsumq; est Valerio, iura cognationis violata esse illorum iniuriis: & deliberaturos se per otium quomodo eas vlcisci oporteat. Interea dum hæc aguntur, coniuratum est à non paucis seruis de occupanda arce, & vrbe incendenda locis aliquot. quod consilium vbi ex consciis didicere consules, confestim portis clausis omnia munitiora loca insessa sunt ab equitibus. sontes partim in priuatis ædibus, partim in foro correpti, omnes ad vnum in cruces acti sunt. Consulibus deinde Ser. Sulpitio Camerino Manio Tullio Longo aliquot Fidenates acceptis à Tarquinio militibus, arcéque occupata, & aduersæ factionis ciuibus partim cæsis partim expulsis, effecerunt vt ciuitas ea deficeret à Roma. popu. cúmque legati Romani eò venissent, ægrè temperatum est ab eis interuentu seniorum: inauditíque oppido eiecti sunt. His cognitis senatus nolebat Latinos bello lacessere, quòd intelligeret non toti genti placere decretum concilij, plebibus tergiuersantibus, & maiore ex parte permanendũ in fœdere consentibus. cæterum contra Fidenates missus Manius cum valido exercitu, primo agrum eorum impunè vastauit prohibente nemine: deinde castrametatus propè mœnia, interclusit aditum commeatibus armisque & aliis auxiliis. Fidenates obsessi opem à Latinis implorabant, vt sibi quàm

celerri

celerrimè succurrerent. Tum optimates in conuentu gentis publico rursum auditis Tarquiniis & obsessorum oratoribus, rogabant sententias de bello gerendo, incipientes à natu maximis. cúmque diu disceptaretur, & primùm an bellum decernēdum, turbulentiores è consessoribus aiebant reducendum regem & succurrendum Fidenatibus, hoc agentes vt ipsi duces præficerentur & res magnas gererent: præcipuè qui patriarum suarum affectabant tyrannidem, persuasum habentes non defore sibi Tarquiniorum operam, si restituti essent in imperium. Diuites contrà & æqui amantes censebant manendum in fœdere, nec arma temere sumenda, atque horum autoritas plurimum valebat apud vulgarem multitudinem. tandem nouarum rerum studiosi à pacis suasoribus repulsi, hoc tamen obtinuerunt vt legati Romam mitterentur, qui rogarent simulq; consulerent, vt Tarquinij cæterique exules reciperentur in vrbem conditionibus impunitatis & præteritorum obliuionis: quas vbi iureiurando confirmassent, administrarent vt antea Rempublicam, & Fidenarum obsidionem soluerent: alioqui se non passuros vt amici cognatíque sui careant patria. quòd si neutrum vellent facere, tum demum de bello consultaretur. Non ignorabant enim neutrum facturos, & belli honestos prætextus quærebant, simul sperantes posse interim áduersarios suos deliniri officiis atque beneficiis. His decretis, datóque anno integro ad deliberandum Romanis, sibi verò ad bellum apparandum, & legatis ex arbitrio Tarquinij designatis, dimissum est concilium. Reuersis ad suos Latinorum præsidibus, Mamilius & Tarquinius videntes multitudinem pronam ad pacem & seruanda fœdera, spem vt dubiam nolebant collocare in exteris; mutatáque sententia

conaban

conabantur ciuile & inexpectatum bellum in vrbe conciere, irritatis contra diuites pauperibus. iam enim magna pars plebis, præsertim egeni & oppreßi fœnore, iniquo animo præsentem ciuitatis statum ferebant. impotenter enim se gerebant fœneratores. & in neruum abducebant obæratorũ corpora, quibus non aliter vtebantur quàm emptitiis. His cognitis Tarquinius misit ad vrbem in Latinorum legatorum comitatu quosdam deferentes secum aurum, de quibus non facilis esset suspicio. hi collocuti cum egenorum audacißimis, largiendo nonnihil, sed plura pollicendo post regum reditum, valde multos ciues corruperunt: coniuratúmque est contra optimatum administrationem non solum ab ingenuis inopibus, sed etiam à seruis nequam spe libertatis inductis: qui propter conseruos supplicio traditos anno proximo male affecti erga dominos, & ipsi vicißim suspecti quasi per occasionem ausuri similia, facile ad societatem pellecti sunt. coniuratorum consilium fuit tale. Capita coniurationis obseruata nocte per lunæ silentium obscura, arces & loca vrbis munitiora occupare: seruos verò quàm primum hæc occupata clamore ex composito edito senserint, necare oppressos somno dominos quo facto direptísque diuitum ædibus, portas tyrannis aperire. Sed affuit vrbi, quæ cum sæpe aliàs eam periculis eripuit, tum hodie quoque incolumem tuetur, diuina prouidentia, detectis insidiis apud alterum consulum Sulpitium indicio duorum fratrum Tarquiniorum Marci & Publij Laurentinorum, diuina quadam vi expresso, cùm essent coniuratorum præcipui. In somnis enim obuersabantur eis horribiles quædam species, intentantes pœnas atroces nisi cœpto desisterent: videbantúrque sibi exagitari à quibusdam furiis & verberari,

ri, oculos etiam effodi sibi tractatis miserum in modum, ita vt horrore ac tremore excitarentur, ac ne somnum quidem præ huiusmodi terriculamentis possent capere. hi primum auerruncatoriis quibusdam & piacularibus sacris conabantur infestantes se dæmonas auertere: cúmque nihil proficerent, vates consulebant, celantes arcanum propositum, & hoc tantum sciscitantes, adesset ne tempus perficiendi quæ cuperent. vate verò respondente malam eos viam insistere, ipsis perniciosam ni mutarent consilium, perituris modo fœdissimo: veriti ne præuenirentur ab aliis, prodiderunt secretum ei consuli qui tum in vrbe aderat. qui laudatis horum dictis, multáque pollicitus si & facta præstarent similia, apud se domi eos retinuit. Latinorum verò legatis, quibus hactenus responsum dare distulerat, in curiam introductis ita ex senatus sententia respondit. Amici nostri & cognati renuntiate Latinis, Populum Ro. neque prius in Tarquiniensium gratiam concessisse tyrannis reditum, neque post ab omnibus Hetruscis eadem postulantibus, & Porsenæ ductu grauissimum bellum inferentibus flecti potuisse: maluisséque post vastatos in conspectu suo agros villásque incensas obsidionem ferre, quàm imperata quæ non placerent facere. Vos quoque Latini miramur cum hæc sciatis nihilominus tyrannos recipere, & vt Fidenarum obsidionem solui iubeatis huc venire, minaríque bellum nisi pareamus. Desinite frigidas istas & incredibiles inimicitiæ causas prætexere: si hæc pluris quàm cognationem facientes bellum cogitatis, quid cunctamini? Cum hoc responso legatis dimissis & extra vrbem deductis, tum demum exponit senatui de occulta coniuratione quæ ex indicibus didicerat: acceptáque ab eo plenaria potestate

state inquirendi consiliorum socios & inuentos plectendi, non arrogantem & tyrannicam viam ingressus est, sicut alius quispiam in talem necessitatem deductus fecisset: sed rationabilem & tutam est secutus, conuenientémque præsenti formæ reip. neque enim domi correptos & ab vxoribus ac liberis parentibúsque abstractos ciues ad supplicium duci voluit, cogitans quàm miserabile esset vnumquenque necessariis suis affectibus vltimum vale dicere, veritúsque ne per desperationem ad arma recurrere inciperent, & ad ciuilem sanguinem iniustè profundendum se cogerent. neque iudiciis rem committendam duxit, considerans omnes inficiaturos: nec adfore iudicibus argumenta de quibus non posit ambigi, præter indicium, cui credendo capitis damnare ciues noxios opus sit. Sed nouum quendam modum inuenit quo rerum nouarum studiosos deciperet, quo primum ipsi coniurationis duces nemine cogente in vnum locum contraherentur, deinde indubiis argumentis conuincerentur, vt nullam sibi defensionem reliquam facerent: destinato ad id loco non solitario vbi paucis deprehenderentur testibus, sed in foro, vbi in omnium conspectu detecti paterentur quicquid meriti, absque vllo tumultu aut commotione aliorum quales fieri solent quoties de nouitatum affectatoribus supplicium sumitur, præsertim periculosis temporibus. Hic alius fortasse satis putasset rei summam dicere, comprehensos à consule coniurationis conscios, affectósque supplicio, credens non esse opus narratione verbosiore. ego verò etiam modum comprehẽdendi existimaui non prætereundum silentio, reputans ex lectione historiarum aliquam vtilitatem captantibus non sufficere si cognoscant solos rerum exitus: requiri etiam narrationem

tionem causarum vnde quidque prouenerit, & modum quo peractum sit, mentémque eorum qui negotium aggreßi tum quantum fortuna vel fauerit vel aduersata sit, vt narrationem affectentur per singulas rerum circunstantias: rem publicam vero tractantibus necessariam esse cognitionem talium, vt in similibus casibus exempla in promptu habeant. Modus autem comprehendendi excogitatus à consule fuit talis. delectis è senatorum numero qui ætate & viribus valerent maximè, iussit eos quàm primum signum à se datum acceperint, cum fidißimis amicorum & cognatorum occupare munita vrbis loca domiciliis suis proxima. equites quoque præmonuit vt in foro circa ædes opportunißimas præsto essent cum gladiis iussa factu ri. & ne dum sontes comprehenduntur, familiares eorum aliíve auderent aliquid, néve rebus turbatis cædes inter ciues patrarentur: per literas obsidenti Fidenas collegæ significauit, vt initio noctis è castris ad vrbem profectus cum meliore parte exercitus subsideret in montano loco mœnibus proximo. His ita præparatis indices iußit coniurationis ducibus edicere, vt circa medium noctis in forum venirent cum sociorum fidißimis, eo loco accepturi ordinem rei gerendæ simúlque tesseram, & audituri quid opus facto sit. Factum est ita: & postquam socij cum suis omnibus in forum confluxere, signo illis ignoto moniti armati confestim arces & loca vrbis editiora occupant in defensionem patriæ: & circa forum erant equitum custodiæ, nequis inde posset elabi: eodémque tempore alter consul Manius à Fidenis aduentabat cum copiis. quamprimum autem illuxit consules cum armatis pro tribunali aderant: dimißísque per omnes vias præconibus qui ad concionem

cionem vocarent populum, collecta mox vniuersa vrbana multitudine, exposuerunt ei coniurationem de reducendo tyranno initam & indices statuerunt iuxta se. deinde facta potestate dicendi si quis fidem indicum in dubium vellet adducere, nemine ad inficiationem refugiente, digressi è comitio in curiam, in senatu rogabant sententias. factóque senatusconsulto reuersi ad concionem id recitauerunt. fuit autem huiusmodi. Tarquiniis indicibus datũ ius ciuitatis & in singulos dena drachmarum millia, & agri ex publico vicena iugera: socios autem coniurationis comprehendi placere, si idem videatur populo. cúmque collecta multitudo probaret senatus decretum. iussis primum è foro secedere qui ad concionem conuenerant: imperatum est ministris vt coniuratos gladiis conficerent: qui cum eos quo loco seorsum inclusi erant corona cinxissent, omnes ad vnum contrucidauerunt. quo facto COSS. contra neminem amplius admiserunt indicium. sed omnes qui præsentem pœnam effugissent vna sententia absoluerunt à crimine, ne qua in vrbe tumultus materia resideret, atque ita in coniuratos animaduersum est. senatusconsultum deinde factum vt lustraretur ciuitas, quòd populus necessitate coactus esset ciuilis cædis autor fieri: quasi nefas esset sacris interesse & participare victimis, nisi exemptos piaculo solennibus lustrationibus: quibus legitimè peractis ritu patrio, tum demum diis gratias agentes sacris operati sunt, ludíq; decreti in triduum. qui cum celebrarentur Manio Tullio COS. è sacro curru in ipso circo prolapso, tertióque post pompam die defuncto, reliquum anni spatium, quia perparuum fuit, Sulpitius solus magistratum obtinuit. Sequenti anno consules facti. T. Veturius, T. Ebutius Helua, Horum Ebutio res

urbanæ commissa, quòd diligenti opus habere viderentur custodia, nequis alius nouus tumultus exoriretur à pauperibus. Veturius cum dimidio copiarum Fidenatem agrum vastauit arcente nemine, & obsessum oppidum assiduis tentabat oppugnationibus: cúmque expugnare non posset, vallo ac fossa circumquaque cinxit, fame ad deditionem coacturus. Iámque magna difficultate laborantibus commodum venit Latinorum auxilium, vnà cum armis frumentóque & aliis rebus bello necessariis submissum à Sex. Tarquinio: quo freti ausi sunt in aperto castrametari non mediocribus aucti copiis. tum Romani omissa circumuallatione vt superuacanea parabant se ad prælium. pugnatum est prope muros aliquandiu neutrò inclinante victoria. vicit postremo Romanorum duritia multis laboribus exercita, Fidenatibus coactis terga vertere. cædes tamen non magna fuit ob propinquum refugium, cum insequentes telis peterentur è mœnibus. quo facto auxiliarij diuersi abierunt oppidanis nihil adiutis: & obsessi denuo laborabant inopia exclusi commeatibus. Eodem tempore Sex. Tarquinius duxit Latinorum exercitum ad Signiam Romanorum coloniam, sperans se primo impetu oppressurum præsidiarios. sed repulsus strenuè à propugnatoribus, multum ibi frustra contriuit temporis. coactúsque est infectare discedere, submisso nouo præsidio cum commeatu cura consulum, & obsidione exemptum oppidum. Sequenti anno consules creati T. Largius Flauus, Q. Clœlius Siculus. Clœlius domi remp. curare à senatu iussus est cum dimidio exercitus retento ad cauendas nouas res, vir mitis & populari ingenio. Largius ad oppugnandos Fidenates instructum duxit exercitum. quos diuturnitate belli rerúmque

omnium victui necessariarum inopia fessos, infestabat insuper fodiendis subter mœnia cuniculis excitandísque aggeribus, machinas etiam admouens & noctésque diésque oppugnationem continuans, quòd speraret breui se potiturum oppido. nam Latinorum populi quibus maxime freti Fidenates bellum tolerabant, eos seruare non poterant. nullus enim per se valebat obsidionem soluere: in commune verò nondum contraxerant copias, sed aliquoties per legatos appellati proceres semper idem responsum dabant, auxilia breui affore. res autē non respondebat pollicitis, sed verbis tantum fouebatur spes: nec tamen prorsus de Latinorū ope desperatū est à Fidenatibus, obstinatæ spe omnia mala perferentibus, quamuis super alia fames dira premeret, multósque mortales conficeret. tandem prægrauati calamitatibus, legatione ad consulem missa inducias petebant ad certum dierum numerum, deliberaturi interim de pacis legibus. reuera tamen non consultationis causa quærebatur mora, sed comparandi auxilij, sicut compertum est ex recentibus transfugis. proxima enim nocte nobilissimos ciuium & gratiosissimos apud Latinorum populos, ad totam gentem supplicatum legauerant. Quo cognito Largius petentibus inducias respondit, deponenda esse arma portásque aperiendas, atque tum demum impetraturos colloquium: alioqui nec pacem nec inducias, nec aliud quicquam humanum moderatúmve sperandum eis à Ro. po. Cæterùm legatos ad Latinum nomen missos accuratè obseruabat ne redirent intra mœnia, interclusis omnibus viis ad oppidum ferentibus. quo factum est ut obsessi desperatis externis auxiliis, coacti sint veniam ab hoste precibus petere: decretúmque pro concione ferre conditiones quascunque consul victor dederit

derit. Et adeò ciuiles erant mores ducum eius seculi, abhorrentésque ab omni arrogantia tyrannica, quam ætatis nostræ duces pauci euadere potuerunt elati potestatis magnitudine: vt deditione potitus oppido nihil egerit de sua sententia: sed ademptis armis, & relicto in arce præsidio ipse Romam abiit: coactóque senatu dispiciendum patribus proposuit quomodo tractandi sint dediti. Qui læti tantum honoris à consule sibi habitum, pronuntiauerunt nobilissimos Fidenatium à quibus defectionis initium ortum fuerat, quoscunque consul pœna dignos iudicauerit, virgis prius cæsos plectendos capite. de cæteris in ipsius potestate reliquerunt quidnam vellet statuere. Ille totius negotij factus arbiter, paucis aliquot Fidenatium accusatos ab aduersæ factionis ciuibus in omnium conspectu supplicio affecit, bonis eorum addictis ærario, reliquos omnes permisit frui bonis suis & patria agri dimidium ademptum, quem diuisit relictis in arce Romanis militibus præsidiariis. his rebus gestis domum reduxit exercitum. cæterùm Latinos populos audita Fidenarum deditio terruit: passímque male audiebant administratores rerumpublicarum, quasi prodidissent socios: coactisque rursum apud Ferentinum concilij præsidibus, belli suasores in pacis studiosos multis verbis inuecti, præcipuè Tarquinius & gener eius Mamilius, Aricinorúmque proceres, effecerunt suis concionibus vt omnes Latini nominis populi commune bellum contra po. Rom. susciperent, & ne quis populus societatem proderet, neue sine communi consensu pacem priuatim faceret, iureiurando inter sese deuincti sunt, additis diris execrationibus in eos qui à fœdere discederent, decretóque vt pro hostibus haberentur à reliquis

omnibus. In hoc fœdus nomina dederunt, Ardeatæ, Aricini, Bouillani, Bubetani, Corani, Cornetani, Gabini, Laurentini, Lanuuini, Lauinienses, Labicani, Nomentani, Norbani, Prænestini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptenses, Setini, Tellini, Tiburtini, Tusculani, Trebiani, Veliterni. Ex his omnibus populis delectu iuniorum habito tantum copiarum contractum, quantum Octauio Mamilio, & Sex. Tarquinio satis visum est, penes quos erat imperium. Et vt honestam belli causam habere viderentur, legatos Romam miserunt nobilissimos viros ex vno quoque populo. Qui introducti in curiam aiebant populum Romanum accusari à populo Aricino non solum iter tutum præbuisse Hetruscis bellum inferentibus Ariciæ, verum etiam adiuuisse eos rebus ad id necessariis: inde eos qui ex prælio effugissent excepisse inermes & saucios omnes seruasséque. cum non ignorarent eos commune bellum intulisse vniuerso Latino nomini, si Aricia potiti fuissent, facilè occupaturos cætera. Si igitur velint iure cum Aricinis experiri in communi Latinorum iudicio, & stare illorum placitis, bello opus non fore. quòd si solita superbia nihil iustum æquúmve cognatis concedant, minabantur gentem Latinorum cum eis bellum gesturam totis viribus. Senatus nolens eosdem habere & accusatores & iudices, veritúsque ne illi hoc obtento grauiora imperarent postea, maluit bellum accipere: & securus quantum ad fortitudinem réique militaris peritiam attinet, nonnihil timebat tam numerosam hostium multitudinem. dimissísque legatis circum finitimos populos ambiebat eorum societatem atque amicitiam, Latinis vbique obnitentibus, & multa crimina in populum Romanum congerentibus. Hernici

nici nihil sani responderunt in suo concilio, parti vtrique suspecti. aiebant enim neutris se in præsens missuros auxilia, deliberaturos prius per otiũ vtrorum postulatio sit iustior, & ad eam deliberationem opus sibi anno integro. Rutuli Latinis auxilium disertè polliciti, Romanis tamen offerebant suam operam in impetrandis æquioribus conditionibus, si bello pacem anteponerent. Volsci demirari se dicebant Romanorum impudentiã, qui & aliarum offensarum sibi conscij, & nouissime ablata agri partis optima, nihilominus audeant ab inimicis auxilia petere. irent & agrum prius restituerent, ac tum demum ab amicis quod æquum est peterent. Hetrusci vtrosque frustrabantur, cum Romanis dicentes recens fœdus sibi intercedere, cum Tarquiniis cognationem & amicitiam. Talibus responsis acceptis Romani non abiecerunt animos, licet magno bello instãte nulla spes auxilij se ostenderet: sed freti solis domesticis viribus multo audaciores reddebantur cõtra pericula, quasi necessario fortes viri futuri in certaminibus: & si res prospere successerint propria virtute paraturi victoriam, nemini communicata gloria. cæterùm in apparando bello & militum delectibus difficultatis fuit nonnihil, non omnibus pari alacritate dantibus nomina. nam egeni, præsertim ære alieno pressi, quorum ingens erat numerus, citati non parebant, nihil sibi cum patritiis esse dictitantes, nisi senatusconsulto remitterentur debita, immo non deerant qui deserturos se vrbem dicerent: seq; inuicem hortabantur ad non immorandum in vrbe in qua nullius bonæ rei sint participes. hos aliquandiu patritij solari conabantur & ad meliorem mentem traducere: sed cùm hac ratione nihilo modestiores eos redderent, in senatu consultatum est quo-

nam honesto modo ciuitati tranquillitas posset contingere. Patrum aliquot mediocris census & aequioris ingenij suadebant remittenda inopibus debita, redimendámque paruo dispendio beneuolentiam ciuium, magnopere vtilem tam priuatim quàm publicè. huius sententiæ princeps erat M Valerius Marci filius, fratris P. Valerij Publicolæ eius qui vnus fuerat è Tyrannorum expulsoribus, is docebat, quorum paria essent commoda, eos solere in certaminibus parem exhibere operam: cæterùm eis ad quos inde nihil fructus redeat, nunquam innasci generosos spiritus. addebat irritatos esse omnes inopes, obambulantésque per forum dictitare: quid nobis proderit vicisse foris hostem, si domi fœneratoribus licet nos ob æs alienum in neruum abducere? & asserto vrbi imperio, ipsi ne corporum quidem libertatem retinebimus? nec id solum periculum ostendebat, si plebs infensa fieret senatui, ne deserat rempublicam iniquis temporibus, quod omnibus metuendum sit studiosis salutis publicæ: sed aliud etiam hoc grauius, ne tyrannorum blandimentis decepta cum illis arma contra patritios consociet, ac mox Tarquinium in regnum restituat. hactenus intra verba & minas eam constitisse, nec prorupisse ad opera: id verò cauendum in posterum, & demerendam hac ope plebeculam, non nouo exemplo nec omnino indecoro. multos enim se posse ostendere qui grauiora etiam pertulerint, cum non daretur aliud remedium. Necessitati enim semper homines cedere, & securitatis rationem priorem quàm decori habendam. Enumeratis deinde multis multorum populorum exemplis, postremum addidit Atheniensium ciuitatis omnium confeßione sapientißimæ: quæ non ante multas ætates, sed patrum memoria, egenis remißion

missionem debitorum suasu Solonis decreuerit: quod factum reprehensum à nemine, nec autorem consilij vocatum rei alienæ interuersorem aut maleficum, sed tam inuentoris sapientiam probari omnium testimonio, quàm executricis prudentiam. Romanis verò qui non de paruis quibusdam commodis periclitentur, sed ne rursum tradantur immani omnique bestia ferociori tyranno, quem sanæ mentis vitio daturum, si eadem benignitate tines egenos pro inimicis reddant sibi belli socios? mox ab externis exemplis transitu facto ad domestica, commemorauit necessitates superioris temporis: quando agro ab Hetruscis occupato inclusi mœnibus, extremáque victus inopia pressi, non sumpsere animos insanorum mortémque appetentium: sed à necessitate mutuati consilium sustinuerunt obsides dare Porsenæ virorum nobilissimorum liberos, & agro mulctari concessis Hetrusco septem pagis, & in tyrannorum causa hosti commisso de se iudicio, frumento insuper dato & armis positis, præbitóque quicquid Hetrusci in mercedem pacis postulauerant. His exemplis vsus negabat eorundem esse hostibus nihil quod poscerent non concedere, cum ciuibus verò de parua contendere: idq; post multos honestissimos labores pro imperio ab eis exãtlatos etiam sub regibus, post assertam alacriter à tyrannide patriam: paratis etiam in posterum ad nauandam operam strenuam, si habita ratione inopiæ, animi tantum & corpora quæ sola supersint, impendenda sint reip. aiebátque, etiam si illi præ pudore nihil tale auderent dicere aut poscere, patritiorum esse decenter eis prospicere, & quibuscunque rebus opus habere scirent vel priuatim vel publicè, eas promptè suggerere: reputando contumeliosum esse quorum vtantur corporibus, eis non gra-

tificari in re numaria: & iactare apud omnes, bellaſe pro libertate gerere, qua ſuos adiutores ſpoliēt. non quòd mali ſint, ſed quòd inopes, eòque nomine miſeratione digniores quàm odio. His dictis cum multi aſſentirent non ſine laude Valerij, Appius Claudius Sabinus ſuo loco rogatus ſententiam ſuaſit contrarium, negans ſeditionem in vrbe ceſſaturam remiſsis debitis, imò periculoſius ad diuites migraturam ab inopibus. omnibus enim liquere laturos ægrè qui fraudabuntur pecuniis, cum ſint ciues ciuilibúſque fungantur munijs, omnibúſque expeditionibus interfuerint: nec paſſuros bona relicta ſibi à maioribus, auctáque induſtria ſimul & parſimonia, publicari nequiſsimis & ignauiſsimis ciuium: & quoſdam de alieno liberales adimere poſſeſsionem eorum iuſtis dominis. cogitandum præterea non ab inopibus, in quibus nihil ſit virium perdi reſpublicas, quando hi neceſsitate contineantur in officio: ſed à diuitibus & tractātibus res populi, ſi à deterioribus afficiantur iniuria, & ius ſuum obtinere nequeant. Atque vt nulla ſequatur pecuniis defraudatorum indignatio, leníque animo damna ſua perferant, ne ſic quidem honeſtum fore aut tutum patribus, ita gratificari inopibus, vt è vita tollantur contractus & commercia, pro quibus, ſuccedat inhumanitas & rerum ſine quibus commodè non viuitur penuria, neque in agro colonis ſerentibus atq; plantantibus, neque nautis maria exercentibus aut negotiatoribus commeatus tranſmarinos ſubuehentibus, aliiſue iuſtis laboribus egenis vacantibus. in omnia enim hæc, quoties opus fuerit neminem diuitum impenſurum ſuas pecunias. ita opes ſecuturam inuidiam, ceſſaturum operandi ſtudium: potioremq; fore conditionem perditorum quàm frugi hominum, iniuſtorum

ſtorum quàm iuſtorum, aliena vſurpantium quàm ſua ſeruantium. eas verò eſſe veras ſeditionum cauſas in vrbibus, & mutuarum cædium omniúmque malorum per quæ vel fortunatiſsimæ ciuitates libertate excidunt, quædam verò minus felices etiam funditus intereunt. Sed maximè conſiderandum his qui nouam reip. formam inducunt, ne quis malus mos ſurrepat, quòd neceſſario qualiacunque ſint publica ſtudia, talis etiam fiat vita priuatorum hominum. non eſſe autem morem peiorem in vrbibus domibúſve, quàm vnum quenque pro libidine ſemper viuere, & potiores omnia indulgere deterioribus, ſiue id ſponte ſiue coacti faciãt. nec enim expleri amentium cupidines ſi potiantur quibus velint, ſed irritatas augeri in immenſum, idq; maxime vulgi eſſe ingenium. quæ enim quiſq; aut pudore proprio, aut ab alio præſtantiore cohibitus veretur facere, ea ſi more publico recipiantur audet facilius, in ſua voluntate confirmatus aliorum conſuetudine. Inexplebiles porrò & infinitas eſſe inſenſati vulgi cupidines, quarum priuſquam inualeſcant reſiſtendum principiis. alioqui iam adauctis ſero medicinam fieri. nam omnes æquiore animo ſperatis fruſtrari, quã ſemel ſibi conceſſa amittere. Exempla deinde aliquot Græcarum vrbium commemorauit, quæ intempeſtiua lenitate admiſsis malorum morum principiis, non amplius eos potuerint tollere, eóque in grauiſsimas calamitates inciderint. ciuitatem enim ſimilem eſſe vni homini, in quo ſenatum animus, corpus plebem referat. itaque ſi ſenatum plebi ſubiecerint, perinde fore ac ſi corpus præficiant animo, nec ratione ducantur ſed affectibus. quod ſi plebem ſenatui parere aſſuefecerint, ſic facturos vt illi qui corpus animo ſubdunt. & in omni vita virtutem non voluptatem reſpiciunt. Poſt

hæc aiebat vrbem nihilo peius habituram, si egeni negata sibi debitorum remissione detrectent militiam, dicens omnino paucos esse quosdam qui præter corpus nihil sibi reliquerint: quorum neque præsentia in expeditionibus magnam vtilitatem afferat reip. neque absentia multum incommodet: quid censum minimum habentes vltimum in bello locum teneant, & legionum additamentum sint ad pauorē incutiendum hostibus, vt qui præter fundas nihil telorum gestent, quarū minimus vsus sit in prælIis. Eos verò qui ciuium non valentium æs alienū dissoluere egestatem miseratione auxilioq́ dignam existiment, considerare iubebat undénam illa egestas acciderit, cum agri portiones à maioribus relictas acceperint, et in militia multa lucrati sint, ac postremo direptis tyrannorum bonis rem familiarem pro sua parte auxerint: vt quos ventri turpibusq́ voluptatibus impendisse patrimonia videant, eos propudia & labes vrbis existiment, magnumq́ reip. commodum si vltro in malam rem abeant: quos verò iniquitate fortunæ excidisse facultatibus, eis de propriis bonis bene faciant. id enim facile discerni cum vnà vixerint: & auxilium ferendum sponte non aliis cogentibus, vt pro pecuniis honestius debeatur gratia. communem autem opem ferre malis pariter ac probis, & de alieno benefacere, tum quibus adempta sit pecunia, eis ne gratiam quidem pro beneficio debitam relinquere: id verò alienum à Romanis virtutibus. Postremo rem esse omnium longe grauissimam: nec ferendam affectantibus in alios imperium: si quæ maiores parta magno labore prognatis ex se reliquerint, ea non sponte, neq; persuasi, neque suo tempore quando consulendum est resp. sed quasi capta urbe aut breui in hostis potestatem ventura, præter suam voluntatem ita collo-

cent,

cent, ut inde nihil aut parum commodi percipiant, & insuper graue sibi accersant periculum. Longe enim satius esse Latinorum imperata ut minus iniqua facere, ac ne bellum quidem admittere, quàm nullius bonæ frugi hominibus cōcedendo quæ postulant, fidem à maioribus in templo consecratam & annuis honoratam sacrificiis, ex urbe tollere in funditorum gratiam, ne in bello desit eorum opera. Summa autem sententiæ hæc erat. Ciues qui æquo iure cum aliis experiri velint belli fortunam, assumendo ad res gerendas: eos verò qui quomodocunque paciscantur de armis sumendis pro patria, valere sinendos, ut inutiles futuros etiam si quid impetrauerint. Si enim hanc senatus voluntatem esse didicerint, ultro uēturos ut operam suam bene reip. consulentibus offerant, seq́ue paratos profiteantur. nam stultorum semper id esse ingenium ut contra obsecundantes insolescāt, nec nisi territi sapiant. Ita eodem tēpore duæ aduersissimæ sententiæ dictæ sunt, & præter eas aliquot aliæ moderantes utranque. nam quidam censebant his tantum remittenda debita qui nihil possideant, ut fœneratoribus abducendi ius esset in bona, non etiam in corpora. quidam ex ærario persoluendum æs alienum eorum qui soluendo non sint, ut per publicam gratiam priuatorum inopum fides fiat incolumis, & creditoribus caueatur ab iniuria. quidam nexos nectendósue in libertatem restituendos, & pro his reddenda fœneratoribus bello acquisita mancipia. has omnes una sententia vicit, nihil in præsentiarum statui, sed bello bene finito consules super ea re ad senatum referre debere, suspensis interim omnibus debitarum pecuniarum exactionibus atque etiam iudiciis, ut magistratus à reliquis negotiis vacui apparando bello tantummodo studeant. Hoc S. C. ubi in populum

populum exiit, turbationem minuit ciuium; nec tamen in totum cessauit seditio. quidam enim ex opificum vulgo non multum spei ponentes in senatus auxilio, postulabant duorum alterum: aut remissionem debitorum concederent, si se vellent periculorum socios, aut per dilationes fucum sibi facere desinerent. aliam enim mentē esse indigentibus, aliam assecutis ea quibus eguerant. In hoc rerū statu senatus curans ne qua nasceretur à plebe nouatio, decreuit consulari potestate in præsens sublata, alium magistratum creare belli pacisq; & omnium rerum potentem, à quo non liceat consiliorum factorúmve rationem reposcere. ei semestre tempus præstitutū, quo exacto consules gubernacula reip. reciperent. vt autem ad depellendum tyrannorū bellū sponte subirent tyrannidem, inter alia præcipua causa fuit lex Valeria, quam antè diximus latam à Publicola: quæ sententias consulum capitales irritas faciebat ni populi Romani iudicium accederet, permissa reis prouocatione ad plebis suffragia, ante quæ in tuto erant ipsorum tam bona, quam corpora. eum verò qui contra hanc legem fecisset, impune licebat occidere. itaque videbatur manente hac lege ad nulla munia per magistratus cogi posse inopes: nimirum sublato metu supplicij, quod repræsentari non poterat, sed expectanda erant suffragia populi: cessante vero lege necessario iussa facturos. & ne palàm violanti legem aduersarentur, par tyrannicæ potestas introducta est in remp. omnibus legibus superior. atq; ita hoc S. C. prodito inopibus astum non sentientibus ablatum est Valeriæ legis auxilium. fuit autem tale. Largium & Clœlium COSS. & si quis alius magistratus sit in rep. potestatem deponere. Vnum autem virum à senatu electum, approbatumq; suffragiis populi, habere semestrem

mestrem potestatem rerum omnium, ampliorẽ quã sit consulum. Hoc quid sibi vellet non satis intelligentes plebeij, senatus consultũ ratum fecerunt: quamuis potentior esset hic magistratus quam dominatio legitima: simulq; electio senatui permissa est. ac mox agitatum in senatu de viro ad hoc idoneo. Videbatur enim resp. opus habere aliquo industrio reiq; militaris peritissimo, ad hæc prudente ac temperato, qui sapienter vteretur potestatis amplitudine: artibus etiam imperatoriis instructo, qui moderatè regeret, seuereq; castigaret non parentes imperio, quod tum quærebatur maximé. Cúmque omnia hæc adesse viderent alteri consulum T. Largio (nam Clœlius excellens ciuilibus artibus industria militari carebat, & mitior quàm pro magistratu lentus erat ad supplicia) senatus pudore quodã retinebatur, ne abrogato alteri magistratu legitimo, amborum potestatẽ alteri largiretur maiorem regia: simulq; subuerebatur ne Clœlius prælatum sibi collegam ægrè ferens, id factum interpretaretur in suam contumeliam: mutatáque voluntate plebem amplexus patrocinio turbaret statum reip. eas cogitationes omnibus in medium proferre cunctantibus, maximus natu consularium honoratissimus sic temperauit sententiam, vt amborum pari honore seruato, & ab illis ipsis magistratui magis idoneum acciperent. Ait enim sibi videri, quando quidem S. P. Q. R. vni viro summam potestatem committendam decreuerit, & duo supersint curanda, cuinam dandus magistratus par tyrannidi, & à quonam legitime creandus: alterum consulum, siue cedente collega, siue sortito, electorem factum ei mandare curam reipublicæ, quẽ iudicet ex omni numero ciuium maxime ad eam idoneum. interregibus enim nunc opus non esse, penes quos regem

nomina

nominandi ius fuerit, quando respublica legitimum magistratum habeat. Eam sententiam laudantibus omnibus, assurgens alius: Mihi inquit, videtur addendum: quoniam hoc tempore duo præstantissimi viri administrant rempublicam, quibus meliores vix inueneritis, alteri dari nominandi potestatem, alterum à collega elegi, vbi inter ipsos comparatum fuerit uter magis idoneus: ut honore æquati pariter quoque gaudeant, alter ob ornatum collegam suo testimonio, alter ob collegæ de se iudicium. nam vtrunq; & iucundum & honestum est. Equidem scio etiam si hoc non fuisset additũ sententiæ, ipsos facturos: rectius tamen fiet vobis etiam volentibus. Placuit omnibus, & nihil amplius addendo senatusconsultum factum est. Tum consules accepta potestate discernendi vter ipsorum aptior ad imperium, mirandum quiddam fecerunt & vix vlli credibile. nam vterq; collegam se digniorem videri volebat: & totus ille dies consumptus est in deprecando honore, ac enumerandis alterius virtutibus, mirante senatu suspensoq; ad contentionem consulum. dimisso deinde senatu, cognati vtriusque, & reliquorum senatorum honoratissimus quisque Largium conuentum vsque ad noctem obtundebant precibus, docentes in illo sitam totam senatus spem, & istum honoris contemptũ esse damnosum Reip. ille constanter eos precibus atq; obtestationibus pergebat repellere. Sequenti verò die coacto rursum senatu, tergiuersantem tunc etiam & contra omnium vota non decedentem de proposito assurgens Clælius pronuntiat, quẽadmodum per interreges solitum, ipseq; magistratum ciurat. Huic primo omnium Romæ summa & libera belli ac pacis omniumq; aliorum negotiorũ potestas est credita, cum dictatoris nomine: siue à potestate imperandi & edicend

edicendi quidlibet, tum aliis præscribendi æqua & iusta suo arbitrio, quæ edicta Romani vocant: siue (vt quidam malunt) quòd à collega dictus, hoc est nominatus sit: non enim à populo magistratum accepit more patrio, sed ab vno viro designatus: simulq; cauebatur ne inuidiosum & molestum nomen imponeretur magistratui gubernaturo ciuitatem liberam: tum subditorum causa, ne offenderentur odiosis vocabulis: tum ipsorum qui id imperium assumunt respectu, ne imprudentes vel efferantur plus æquo ab aliis, vel ipsi eos tractent insolentius, sicut in tanta potestate solet fieri. Nomen certè non præ se fert tantam potestatem tyrannicæ proximam. Videntur autem mihi Romani & hanc administrationis publicæ speciem mutuati à Græcis. nam qui αἰσυμνῆται apud priscos Græcos vocabantur, sicut in commentario De regno Theophrastus narrat, tyranni quidam erant electitij. eligebantur autem à ciuitatibus pro ratione temporum, non sine præfinito termino neque perpetui: sed ad certum temporis spatium, quemadmodum & quantisper postulabat Reipub. vtilitas: sicut Mitylenæi olim elegerunt Pittacum contra exules Alcæi poëtæ socios. primi autem inuentores rei vtilitatem experimento didicerunt. A principio enim omnes Græcæ ciuitates erant sub regibus, nisi quòd illi non barbarica licentia dominabantur, sed legitimè iuxta patrios mores regnum exercebant: optimusq; rex habebatur qui esset iustissimus & legum seruantissimus, nusquã discedens ab institutis patriis: id quod ex Homero liquet, appellante reges δικασπόλους siue θεμιστοπόλους, hoc est iuris redditores siue iuridicos: diuq; regnatũ est certis conditionibus, sicut apud Lacedæmonios. Sed postquam aliquot eorũ inceperunt abuti potestate, et in rebus administrãdis non

tam


tam leges ſequi quàm ſuam libidinem, regni tedio magna pars Græciæ mutauit ſtatum publicum, in leges ac magiſtratus tranſlata poteſtate, qua conſeruarentur reſpublicæ. Quoties autem nec leges ſatis tuerentur iuſtitiam, nec magiſtratus ad legum tutelam ſufficerent, & in temporum nouitatibus opus eſſet inſtitutis non tam optimis quàm ad præſentem rerum ſtatum accommodatiſſimis, nō ſolum in improuiſis caſuum aduerſitatibus, verùm nonnunquam & in immodicis proſperitatibus, quæ bonam conſtitutionem Reip. corrumperent, celerémque ac liberam correctionem poſtularent, neceſſe erat regias ac tyrannicas poteſtates rurſus in medium proferre, conuelatas honeſtioribus vocabulis. Sic Theſſali archos, ſic Lacedæmonij harmoſtas eos appellabant pro tyrannis vel regibus: quòd religio eſſet reſtituere poteſtates, cum iureiurando & deuotione abrogatas deorum monitu. Ego igitur (vt dixi) à Græcis deſumptum hoc exemplum opinor, ſed ab Albanis mutuatum mauult Licinius, qui primi poſt Amulij Numitorisq́ obitum deficiente ſtirpe regia magiſtratus annuos creauerint cum regia poteſtate, Dictatores vocatos. ego non tam de nomine inquirendum putaui, vnde profectum Romam peruenerit, quàm de exemplo ipſius poteſtatis quā in ſe continet hæc appellatio. Verùm de hoc plura ſcribere non videtur præſentis operis. Quas autem res Largius primus dictator geſſerit, quémve ornatum addiderit huic magiſtratui, compendio conabor dicere, ratus lectori hæc vtiliſſima, quæ magnā copiā præbebunt honeſtorū ac cōducibilium exemplorū legislatoribus & iuuentutis eruditoribus, cæterisq́ omnibus qui ad res publicas tractandas animū adiiciunt. Non enim illaudatæ humiliſve ciuitatis inſtituta & vitæ rationes, neque ignob

ignobilium negligendorúmve virorum consilia résque gestas narrabimus, vt videri possim verbosius parua etiam friuoláque prosequi: sed eius quæ iuste honestéque statuat omnia: déque viris qui eam ad hoc dignitatis fastigium perduxerunt: quorum cognoscendorum studiosus facilè sapiens & ciuilibus negotiis aptus euaserit. Ergo mox vt magistratum iniit, equitum magistrum creauit Sp. Cassiū, qui consulatum gesserat Olymp. septuagesima: qui mos vsque ad nostram ætatem seruatur à Romanis, nec vllus vnquam dictator fuit absque magistro equitum. deinde potestatis vim ostendere volens quanta sit, ad terrorem magis quàm ad vsum lictores iussit cum fascibus secures sibi per vrbē præferre, patrio quidem more, sed post exactos reges intermisso à consulibus, dum Publicola primus Cos. noui magistratus inuidiam vult minuere, tunc verò renouato. his cæterisq; regij principatus insigniis vbi turbulentos quosdam & nouarū rerum studiosos exterruit, antè omnia tributim censum egit ex optimo instituto Seruij Tullij regum gratiosissimi apud populum, ascriptis nominibus ætatibusque & ipsorum qui censebantur & liberorum: breuiq; tempore metu pœnæ, ne detrectantes ciuitate simul & bonis mulctarentur, censa sunt C L. millia eorū qui pubertatem attigissent, & septingenti insuper. deinde militari ætate separata à senioribus, digestaq; per centurias, tam pedites quàm equites quadrifariam distribuit, & è quatuor præcipuam partē circa se habuit, è reliquis Clœlio in consulatu Collegæ optionem fecit quam vellet accipere. tertiam Sp. Cassio magistro equitum attribuit, ei quæ supererat fratrem præfecit Sp. Largium. hæc vrbi præsidio fuit, manens vnà cum senioribus intra mœnia. Bello satis apparato, productisq; copiis, terna castra

metatus est, quà maximè venturos Latinos suspicabatur. Cogitans autem prudentis imperatoris esse, non tantùm suas partes confirmare, verum etiam hostiles debiliores reddere: & in primis sine pugna laboréque hostem debellare, aut certè quàm minimo detrimento militaris multitudinis: eáque pessima esse bella & molestissima quæ contra cognatos & amicos necessariò suscipiuntur, existimabat ea magis ex æquo quàm ex iure finienda. quapropter certis hominibus, de quibus nulla erat suspicio, dimissis clàm ad Latinorum nobilissimos, suadebat eis vt de pace agerent: palàm quoque legationibus tum sigillatim populos, tum in commune totam gentem sollicitans, facilè effecit ne omnes æquè procliues essent ad eam militiam. sed maximè proceres demeruit, & ducibus parũ morigeres reddidit. At Latinorum imperatores Sextus & Mamilius intra Tusculum continendo copias parabãt se quasi Romam versus moturi, diu tamen tempus terebant: siue quòd expectarent eos populos qui nõdum aderant, siue quòd non litarent in sacrificiis: interim pars quædam à reliquo exercitu diuulsa Romanum agrum populabatur. Largius re cognita immittit in eos Clœlium: qui nec opinis superueniens, paucos aliquot repugnantes interficit, viuos capit reliques. hos dictator curatos ex vulneribus, & cæteris humanitatis officiis deuinctos, vniuersos Tusculum remisit sine pretio, & cum his legatos misit Romanorum nobilissimos: per quos impetratum est vt dimisso Latinorum exercitu induciæ in annum fierent. His gestis domum reduxit exercitum, & nondum exacto imperij tempore, consulibus prius designatis dictaturam deposuit, nemine ciuium à se occiso, nec pulso in exilium, nec mulctato grauius. Id exemplum omnes postea dictatores

res secuti sunt vsque ad ætatem ab hac nostra tertiam. Nusquam enim in omni historia proditum reperimus aliquem in hoc magistratu se gessisse immodestè vel inciuiliter, quamuis sæpe Resp. solennibus magistratibus abrogatis omnia vnius potestati permiserit: qui si in externis tantum bellis dictaturam adepti bene patriam defendissent nil corrupti magnitudine imperij, minus mirum esset: nunc inter multas magnas seditiones ciuium, vel regnum tyrannidémve affectantibus quibusdam ciuibus, vel imminentibus innumeris aliis calamitatibus, ad prohibendas eas potestate accepta omnes ad vnum sine reprehensione vsi primum illum dictatorem æmulati sunt: vt vulgo crederetur vnicum id esse cuiusuis insanabilis mali remedium: & extremam hanc salutis spem reliquam cæteris deficientibus. Sed patrum ætate quadringentis annis elapsis à dictatura T. Largij, odiosa res visa est omnium mortalium iudicio, quando L. Cornelius Sylla primus & solus acerbè crudelitérque vsus est ea, vt tum primum sentirent Romani quod superioribus temporibus ignorauerant, dictaturam esse tyrannidem. nam & senatum ex qualibuscunque constituit, & tribunitiam potestatem fecit quàm minimam, & vrbes desolauit integras, & regna aliis dedit, aliis abstulit, aliáque multa superbè gessit, de quibus longum esset dicere. ciuium quoque, præter eos qui præliis absumpti sunt, dedititiorum interfecit non minus quatuor millia, & ex his excruciatos prius aliquot. An autem necessariò & è Repub. omnia illa fecerit, inquirere non est præsentis temporis: tantum indicare volui cur graue & inuisum redditũ sit dictatoris vocabulum: id quod non solis potestatibus, sed aliis etiam vulgo mirandis expetendísque rebus interdum euenit. Omnia

enim honesta & utilia videntur tantisper dum vsus eorum rectus est: quo per eos qui illis præsunt deprauato, eadem turpia habentur & inutilia. Sed ita fert rerum natura, ut vel optimæ fatales habeant terminos. Verùm hæc disputatio non est huius temporis.



DIONYSII
ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.
Antiquitatũ siue Originum Romanarum,

LIBER VI.

In quo hæc continentur. Bellum cum Latinis, & Regillensis pugna. Bella cum Volscis, Sabinis, Auruncis. Seditio propter nexos, consularium orationes grauissimæ. Secessio pl. in sacrum mõtem. legatio de cõcordia. Bruti oratio. Trib. ædiliúmque pleb. creatio. Cn. Marcij Coriolani laus. fœdus cum Latinis. tempus quinque omnino annorum.



Equuntur Coss. A. Sempronius Atratinus, M. Minutius, septuagesimaprima Olympiade, qua vicit stadio Tisicrates Crotoniens. Hipparcho Athenarum principe. horum consulatu nec bello nec pace quicquam actum quod dignũ sit memoria. nam & ind

& induciæ cum Latinis dabant ab externis bellis otium & suspensa ex S.C.exactio fœnorum, donec futurum bellum finem securum inuenerit, cohibebat in vrbe motus inopum remissionem debitorum flagitantium. eo anno aliud S.C. æquissimũ plebs sanciit: si quæ mulieres Latinæ nuptæ essent Romanis viris, aut Romanæ Latinis, penes ipsas arbitriũ esse, velintne manere apud coniuges, an patrias repetere. è liberis mares apud patres suos manere, fœminas innuptas proficisci cum suis matribus. erat autem frequens inter vtrunque populum connubiũ propter cognationem & amicitiam. hæ tum accepta ex hoc decreto licentia satis indicarunt quanto tenerentur vrbis desiderio. nam & Romanæ Latinis oppidis maritísque relictis penè omnes ad parentes reuersæ sunt: & Latinæ in vrbe nuptæ duabus exceptis maritos prætulerunt patriæ, omine auspicatissimo futuræ victoriæ. his Coss. fuerunt templũ Saturno dedicatum in cliuo Capitolino quà è foro ascenditur, & ferias publicas decretas cum sacrificio anniuersario. Aram vero quæ ibi antea fuerat sacratam ab Hercule, vbi Græco ritu ab illo tradito adolebantur victimæ. id templum quidam scribunt locatum à T. Largio superioris anni Cos. quidam à Tarquinio Superbo, dedicatum verò ex S.C. à Posthumio Cominio. Horum igitur consulatu, vt diximus, alta pax fuit. Post eos facti sunt Coss. A. Posthumius T. Virginius, quando finitæ sunt cum Latinis induciæ, vtrisque denuò se ad bellum expedientibus. Romana multitudo tota erat ad decernendum alacris: Latini contrà maxima ex parte inuiti cogebantur, proceribus populorum præter paucos corruptis Tarquinij Mamiliíque muneribus & pollicitis: plebeiis verò quibus bellum non placeret, semotis à cura Reip. nec enim rationem

belli poscere licebat: quamobrem multi molestè ferentes indignitatem rei, necesse habebant relictis suis ciuitatibus ad Romanos transfugere. non enim vetabantur à potentioribus quibus pergratum erat dissentientes à se vltrò profugere. hos Romani excipientes, quotquot cum vxoribus & liberis veniebant, domesticæ ascribebant militiæ, intermixtos urbanis cohortibus: reliquos circa vrbem per castella & colonias diuisos obseruabant nequid noui molirentur. cúmque vniuersorum votis rursum expeteretur vnius viri libera omnium rerũ gubernatio, iunior Cos. A. Posthumius à collega Virginio dictator dictus magistrum eq. more iam recepto assumpsit T. Ebutium Heluam: properatóque iuniorum delectu, & diuisis quadrifariam copiis, vnam partem sibi, alteram Virginio consulatus collegæ attribuit, tertiam Ebutio magistro equitũ, quartam A. Sempronio, cui commissa vrbis custodia. Iámque omnibus rebus ad bellum instructo speculatores nuntiant Latinos iter ingressos cum toto exercitu: ac mox alij, obiter ab eis occupatum munimentum quod Corbionem nominant, à paucis custoditum præsidiarijs, quos ad vnum occiderunt, & eum locum fecerunt belli receptaculum. captiuis tamen & pecoribus non multis potiti sunt, præter capta in Corbione, eò quòd agrestes maturè cum rebus suis quæ agi ferríque possent in proxima munimenta se contulerint. quapropter in villas sæuitum incendio, terráque vastata est. acceperant autem in ea expeditione ab Antio Volscorum vrbe nobilissima & recentes copias, & arma, & frumentum aliáque bello necessaria: qua accessione multum animati bonam spem habebant cæteros quoque Volscos in societatem venturos facto ab Antiatibus initio. His cognitis, Posthumius celeriter

occurrit

occurrit hostibus priusquàm in unum conuenirent omnes eorum copiæ: properatóque per noctem itinere cum exercitu venit propè castra Latinorum ad lacum Regillum loco munito posita. ipse castra metatus est in tumulo alto & arduo imminente hostibus, loco multo quàm illi opportuniore. At Latinorum duces, Octauius Tusculanus Tarquinij regis gener, vel sicut quidam scribunt generi filius, & Sex. Tarquinius, qui tum fortè seorsum castra habebant, in unum locum ea contulerunt: & adhibitis in consilium tribunis atque centurionibus consultabant quonam modo bellum gerere oporteat, variatúmque est sententiis. quidam enim censebant impetum faciendum in occupatum à dictatore tumulum, donec ipsi essent terrori hostibus, sic interpretantes, timoris confessionem esse, locum tam munitum castris metandis quæsitum. alij, circumuallandos eos & obsidendos parte exercitus: reliquum ad vrbem ducendum vt expugnatu facilem absente iuuentutis robore. alij suadebant expectanda à Voscis cæterisque sociis auxilia. & præferenda tutiora consilia fortioribus. Romanis enim moram nihil prodesse: sibi verò meliora expectanda processu temporis. His ita deliberantibus superuenit T. Virginius, repentè viam emensus nocte præterita vna cum exercitu: seorsumque à dictatore in alterius montis dorso aspero & natura munito castra posuit, vt vtrinque Latinis clauderetur in hosticum exitus, à dextris dictatore assidente, à sinistris consule. Ita magis etiam turbatis hostium ducibus tuta modò circunspectantibus, & verentibus ne ducendo bellum commeatu destituerentur, Posthumius animaduersa eorum imperitia, mittit magistrum equitum T. Ebutium cum equitum & leuis armaturæ lectissimis qui occupent montem

quendam imminentem viæ qua Latinis domo commeatus subuehebantur. is noctu cum suorum manu per syluas nullis callibus tritas euadens, prius quàm hostis sentiret, occupat eum tumulum. duces verò hostium vt cognouere insessa à tergo loca munita, ac ne commeatus quidem spem sibi relictam, quòd non posset tuto aduehi, deturbare inde Romanos decreuerunt, priusquam vallo tumulum muniant. tum Sextus ducum alter equitibus assumptis inuasit Romanum equitatum, ratus sustineri posse suum impetum. sed fortiter exceptus, repulsusque iterum atque iterum, loci etiam natura aduersante, quæ è supernis pugnantes adiuuans, irrito conatu subeuntibus in montem nihil afferebat præter vulnera, re infecta retro in castra abiit, territus insuper aduentu nouo militum, quos selectos è legionariis Posthumius præcedentium vestigia sequi iusserat. Romani iam securè locum tenentes, palàm communiuerunt ibi præsidium. post hac Latinorum ducibus visum non amplius differre prælium, sed quàm primùm armis decernere. Cæterùm dictator quamuis à principio animum haberet debellare absque prælio, idque se effecturum speraret per hostium victus inopiam, magna de causa mutauit propositum. Intercepti enim erant ab equitibus vias obseruantibus nuntij cum literis à Volscis ad Latinorum duces, significantes magnas sociorum copias adfore ad diem tertium, & alias item ab Hernicis. quo factum est vt necessariò præter propositum acceleraretur prælium. cuius signum posteaquam datum est, in medium castrorum spatium vtrique progressi instruebant acies in hunc modum. Sex. Tarquinius præerat sinistro Latinorum cornui, dextro Octauius Mamilius: mediam aciem tuebatur

tur alter filius Tarquinij Titus, & circa eum Romani transfugæ atque exules: equitatu quoque trifariam diuiso in alas cornuum & mediam aciem. Romanorum verò dextrum cornu tenebat magister equitum T. Ebutius oppositus Sex. Tarquinio: sinistrum T. Virginius ex aduerso Octauij Mamilij, mediam aciem explebat dictator Posthumius congressurus cum T. Tarquinio & exulibus. Stabant autem in vtraque acie, in Romana XXIIII. peditum millia, mille equites: in Latina quadraginta peditum, equitum tria millia. Sed prius quàm ad manus veniretur, & Latinorum duces multis verbis adhortabantur suos ad fortitudinem non sine precibus: & dictator videns milites territos aduersariorum tanto maiore multitudine, ad eximendum eum timorem progressus in concionem vnà cum senatorum natu maximis, sic eos allocutus est. Dij nobis adsunt, Milites, & tam extis, quàm auspiciis cæterisque vaticiniis pollicentur ciuitati nostræ libertatem lætámque victoriam, remunerantes nos pro perpetua pietate qua eos colimus: & inimicis nostris meritò infensi, quòd multis magnis beneficiis à nobis affecti, & tam cognatione nobis deuincti quàm amicitiæ fœdere, quo iuratum est communes vtrisque fore inimicos & amicos, omnibus his contemptis iniustum bellum nobis inferant, non de imperio potentiáque contendentes, vtris ea magis conueniant: id enim vtrunque ferri poterat: sed de Tarquiniorum tyrannide, vt ex libera seruam nostram ciuitatem faciant. Opus est ergo vt vos centuriones atque milites, cum sciatis præsto esse deorum opem fortiter certantibus, & quantum in se est ad victoriam aspirantibus, non pericula & labores fugientibus, fortes vos viros præbeatis, nec

desitis fauori numinum qui semper hactenus seruauit rempublicam. Habetis enim fortunæ beneficio alia quoque multa quæ pro victoria vestra faciant, sed in primis tria manifestissima. primùm mutuam fidem, qua nihil contra hostes validius, non enim hodie coire cœpit vestra societas & amicitia, sed communis patria iamdudum vobis hanc felicitatem peperit. simul estis educati eisdémque instituti artibus, in eisdem sacra diis fecistis altaribus, bonorum malorúmque longo iam tempore socij, quod validissimum amicitiæ vinculum inter mortales natura esse voluit, quoties certamen instat de rebus maximis. Deinde si hostes superiores fuerint, non alij quidem expertes erunt malorum omnium, alij contrà patientur calamitates grauissimas: sed ex æquo omnes amittemus dignitatem, libertatem, atque imperium: nec uxoribus, liberis, facultatibus, aliáve bona re vlla quàm nunc habetis, frui dabitur. proceres autem ciuitatis & magistratus Reipublicæ miserrimis modis prius excruciati tradentur exitio. Nam si nulla nostra noxa nec magna nec parua læsi, ipsi nullam à nobis omnibus abstinuerunt iniuriam, quid expectandum est à victoribus alta mente repositam habentibus distractionem à patria, bonorum suorum direptionem, nec vnquam postea concessum per vos accessum soli natalis? Postremum est neutro iam dictorum leuius, si rectè consideretis, nimirum non tales nobis occurrisse res hostium quales suspicabamur, sed multo opinione deteriores. nam præter Antiates neminem alium eis adesse videtis belli socium: nos verò putabamus venturos omnes Volscos in eorum auxilium, multos etiam è Sabinis & Hernicis aliísque populis, metu fingente sibi vana terricula. At ista Latinorum

erant

erant somnia, irrita spe vanisque subnixa pollicitationibus. alij enim deseruerunt eorum societatem, dedignati tam imperitorum ducum imperia. alij cunctantur magis quàm opitulantur, spem frustrantes & tempus terentes inaniter. qui verò nunc in apparatu sunt, post prælium sero venientes ad nihil erunt eis vtiles. Quòd si qui vestrum rectè hæc à me dicta credentes, solam hostium multitudinem metuunt, eos rem leuem metuere paucis docebo, vel potius reuocabo in memoriam: primum si consideretis maiorem illorum partem coactã contra nos arma sumpsisse, sicut ex multis ipsorum dictis factisque nobis satis apparuit: reliquorum qui vltro & alacres pro tyrannis certaturi sunt paruum admodum esse numerum, quotam putatis portionem si conferantur ad nostras copias? Præterea in bello non multitudine fretis victoriam contingere solitam, sed fortitudine. longum esset commemorare Græcorum barbarorúmque exempla quoties ingentes exercitus superati sint à modicis, adeò vt quibusdam videatur incredibile. Omitto cætera. vos ipsi quoties debellastis prosperè, cum minores quàm nunc haberetis copias, oppositi maioribus quàm nunc sunt hostium? At fortè aliis quidem fuistis terribiles assueti eos vincere: à Latinis verò istis & Volscis eorum sociis meritò contemnimini, vt qui in præteritis conflictibus experti sint qualésnam sitis. imo omnes vos scitis, multis præliis gentes has victas à nostris maioribus. quænam igitur ratio est, istorum post tot clades conditionem videri meliorem, nostram verò deteriorem qui eos toties vicimus? aut quis sana mentis hoc diceret? ac demiror si quis vestrum horret hostium multitudinem, in qua pauci sunt strenui: nostrum verò contemnit tam magnum & validum exerci-

tum, quo nullum unquam vel numero vel viribus præstantiorem habuimus in omnibus bellis quæ hactenus gessimus. Vnum etiam hoc ad audendum incitamentum est maximum. præsentes adesse omnes senatus primates ut cernitis, communem nobiscum subituros belli aleam, quamuis emeriti sint & immunitatem militiæ habeant ætatis priuilegio. Annon igitur turpe vos viribus valentes tergiuersari: hos verò iam annis graues offerre se ad labores atque pericula? & senibus audentibus si non hostem perdere, saltem perire pro patria: vestrum robur, quibus si bene cedat, licet salua vita vincere: sin secus, & facere & pati fortiter, nec fortunam experiri, nec virtutis gloriam post se relinquere? Nónne ante vestrum seculum milites multa egregia facinora apud alios edita sunt decantari dignissima? multa item vestra celebrabuntur apud posteros, si huius belli bene gesti laudem ad alias pristinas adieceritis? Et ut tam fortibus præmia, quàm timidis supplicia proposita sciatis, audite quid vtrósque maneat. qui egregij alicuius facinoris in pugna editi testes habuerit, ei præter solennes istos honores agrum ex publico adiiciam, efficiámque ne in posterum necessariis ad vitam indigeat. cui verò diis iratis mala & turpis cupido fugæ incesserit, repræsentabo mortem frustra vitatam. talem enim ciuem mori tum ipsi tum patriæ utile fuerit: & sic peremptis nec sepultura nec parentatio dabitur, sed neglecti, indeplorati, à feris laniabuntur & alitibus. Hæc igitur cum præsciatis ite alacres omnes ad prælium, bona spe ducti ad rem gerendam fortiter, uno hoc periculo redempturi quicquid votis expetendum est, exempturi libertatem vestram à metu tyrannidis, relaturi patriæ reposcenti natalium

talium

talium & educationis gratiam, teneram liberorum ætatem & nuptas mulieres defensuri ab inimicorum libidine, senibus patribus præstituri vt quod superest vitæ cum voluptate exigant. ô felices quibus licebit huius belli triumphum deducere, excipientibus vos vxoribus, liberis, & patribus. ô mactos virtute, qui corpora impendent patriæ. Mors certè fatalis est omnibus ignauis æquè atque fortibus: sed gloriosa nunquam nisi bonis viris contigit. Adhuc extrema ad fortitudinem inhortantis verba erant in auribus, cum diuinitus audacia quadam innasit exercitum, & quasi vno ore conclamarunt, duceret se, & suis militibus fideret. Tum Posthumius laudata eorum alacritate, votísque factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se diis facturum magnificè, & anniuersarios ludos instituturum splendidè, dimisit militem ad suos ordines. accepta deinde à ducibus tessera, & tubis signa canentibus, cum clamore hostem inuadunt, leui armatura vtrinque procurrente & equitibus, subsequentibus legionariis instructis & armatis pariter: ac mox vbique pugnabatur acriter, nusquam cessante milite. vt verò vtrosque sua fefellit opinio: nam vtrique animo præceperant pugna sibi opus non fore, sed ne primum quidem impetum hostes laturos: Latini freti equitatus multitudine, perculsura Romanos equites primo vt putabant incursu: Romani ratis se territuros hostem audacia contemptúque periculi: hac inquam opinione vtrique frustrati, nec iam in aduersariorum formidine, sed in sua fortitudine collocantes fiduciam & spem victoriæ, supra vires egregios pugnatores præstiterunt. fuitque varia & reciproca fortuna certaminis. Ante omnes dictator

ctator

ctator in acie media selectissimos inter equites fortiter exemplo suo pugnam ciens impulit oppositos, cum Titus Tarquinij filiorum alter impactoin dextrum humerum pilo grauiter saucius manu non posset vti amplius: quamuis Licinius & Gellius non habita ratione temporum, ipsum regem Tarquinium faciunt ex equo pugnantem & saucium, virum pene nonagenarium. prostrato autem Tito, eius milites post non longum certamen relato vino ducis corpore nihil postea gesserunt fortiter, sed pedem referentes cedebant dictatoris militibus. ac mox in fratris locum succurrente Sexto cum Romanis exulibus equitumque lectissimis, non restiterunt modo sed impressionem in aduersos fecerunt. Ita ibi pugna aequata, parte alia T. Ebutius & Octauius Mamilius inter se oppositi egregiè pugnando quacunque se veterent, vel hostem profligabant, vel suos titubantes restituebant in gradum: postremo ex prouocatione inter se concurrentes, grauiter non tamen letaliter alter alterum vulnerant. equitum magister in pectus Mamilium hasta per thoracem adacta, Mamilius contrà illius transfixo dextro brachio: ambóque equis deturbati sunt. Vtroque ex acie relato, succedens in magistri equitum locum legatus ipsius M. Valerius cum aliquantulum restitisset cum suis, reiectus est extra aciem ab hostium equitibus, quibus exulum equitatus & leuis armatura subuenerat, ac postremo Mamilius iam ex vulnere recollectus validam equitum velitúmque manum eò adduxerat. In eo conflictu legatus M. Valerius, qui primus de Sabinis triumphauit, & animos populi Romani post cladem ab Hetruscis acceptam collapsos erexit, hasta ictus cecidit, & circa eum honestorum ciuium magnus

numer

numerus.de cuius cadauere magna contentio fuit, Publio & Marco Publicolæ filiis patruum protegentibus:qui inspoliatum & adhuc spirantẽ armigeris impositum cum in castra remisissent, ipsique in medios hostes præ dolore furentes ruerent, ab exulibus multitudine vulnerum confecti vna occubuerunt.post quorum casum acies Romana in sinistro cornu laborans vsque ad Posthumianos medium locum tenentes, ægrè seruabat ordines, cùm dictator inclinatis iam ad fugam celeriter succurrit cum eis quos circa se habebat equitibus: iussoq; altero legato T.Herminio cum equitũ ala legiones circumuehi.& à tergo suorum fugã sistere,nisique pareant,fugientes occidere,ipse cũ fortissimo quoque equite in constipatum hostium globũ facit impetum.iámque propinquus primus equũ in aduersos pleno cursu cõcitat. tantáque fuit vis incurrentium, vt furentes & efferatos Latini non ferentes in fugam versi multi caderent. Interea legatus Herminius suos ex fuga receptos iámque firmatos vertit in Mamiliũ: congressúsque cum viro statura ac robore omnium ætatis suæ præstantissimo, & illum interfecit,& ipse dum cadauer spoliat, gladio in latus à quodam ictus interiit.At Sex.Tarquinius sinistrum Latinorum cornu regens resistebat constanter. tandémque loco mouit Romanos oppositos.sed vt vidit tendentem in se cum delectis equitibus Posthumiũ desperata salute coniecit se in medios:vbi circunuẽtus à Ro.equitib.simul & peditibus,telis vndiq; feræ in modũ impetitus,non inultus tamen periit, interfectis aliquot qui eum ausi sunt cominus lacessere.Ita cæsis ducib. reliqua Latinorũ multitudo tota in fugã versa est: castra quoq; à custodibus deserta Romani ceperũt,vbi luculenta præda inuenta cessit militi: maximaque ea clades

Latin

Latinorum fuit, qualis nunquam antea, cuius diuturnus sensus fuit reliquus. nam è quadraginta millibus peditum. tribus equitum, quæ diximus, superstites vix decies mille domum rediere incolumes. in eo prælio feruntur Posthumianis equitibus apparuisse duo primæ lanuginis iuuenis præstantiore statura & forma quàm quæ videri posset mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hostémque hastis ferientes cominus, & in fugam cogentes ac rursum post fusos fugatósque Latinos & castra eorum capta, sero iam finito prælio in Romano foro visi esse adolescentes duo militari cultu procerissimi & pulcherrimi, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus. cúmque de equis descendissent ambo, lauissentque fontana quæ ad ædem Vestæ profluens paruam sed profundam facit lacunam, multis eos circunsistentibus, rogantibusque ecquid ab exercitu noui afferant, pugnam indicasse atque victoriam: digressósque è foro nusquam comparuisse postea, quamuis valde à præfecto vrbis quæsitos. Postero die cùm senatus ex dictatoris literis inter cætera eius prælij memorabilia cognouisset de hac quoque visione, ratus vtrobique eorundem spectra obuersata oculis, verisimili coniectura credidit Castorum eas fuisse imagines. Eius mirificæ apparitionis numinum in vrbe multa extant monumenta: in foro templum Castorum publicè constructum vbi visæ sunt eorum imagines, vicinúsque fons his sacer dictus & vsque ad nostra tempora creditus: tum sacrificium splendidum, quod quotannis populus Romanus per primarios equestris ordinis Idibus Quintilibus peragit, qua die victoria hæc illi contigit. Præter omnia verò post sacrificium transuectio eorum qui equos habent ex publico.

publico, qui per tribus & centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes quasi è pugna redeant, coronati frōde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pōpæ facto ab æde Martis quæ extra vrbem sita est, & pertranseuntes cum cæteras vrbis partes, tum forum adémque Castorum, nonnunquam quinque virorum millia, gerentes quicquid donorum militarium acceperunt à ducibus. egregium sanè spectaculum, dignúmque imperij magnitudine. Hæc sunt quæ ob gemellorum Iouis filiorum apparitionem dicta factáque à Romanis obseruauimus: vnde facilis coniectura est quam diis cari tunc fuerint homines, præter multas & magnas alias. At Posthumius illa nocte in castris acta, sequenti luce coronauit eos qui preclaram in prælio nauassent operam: & captiuis custodiæ traditis, votiua sacra reddebat superis. Cui coronato etiam tū & exta aris imponenti, speculatores quidam ab editioribus locis cursu in castra delati, nuntiant aduentare hostium exercitum. Erat autē Volscorum selectum robur, Latinis ante pugnam missum auxilio, quo cognito iussit omnes arma sumere, & intra castra ad sua quenque signa præsto esse, pulchréque instructos imperata expectare. Volscorum verò duces vbi eo ventū est vnde prospectus patebat, vt videre stragem totis campis editā, vtrisque castris stantibus, neminem verò è munimentis prodire nec amicum nec hostem, aliquandiu stupentes non poterant coniicere quænam esset fortuna partium. deinde vbi ex quibusdam fuga seruatis cognouere de prælio, consultabant inter se quid opus facto sit. Audacissimus quisque censebat optimum esse ex itinere vallum Romanorū inuadere, donec multi laborarent ex vulneribus, omnes labore fessi essent, armis etiam maxima ex parte inu-

tilibus, obtusis & fractis, necdum ab vrbe recens sub uenisset auxilium. ipsis adesse magnũ validúmque & bene armatum exercitum. bellorum peritũ, & tunc improuiso aduentu audacibus etiã terribilem. Prudentioribus autẽ non videbatur tutum absque sociorum auxiliis lacessere viros fortes ac bellicosos, elatósque recenti de Latinis victoria, præsertim in alieno territorio, in quo siquid secus quàm vellent accideret, nullum habituri essent refugium. præstare celeriter redire in patriam, & pro lucro reputare quòd impune ferrent eam militiam. Alij neutrorum probabant, nimis iuuenilem dicentes eorũ audaciam qui ex itinere vellent impetum dare, sicut turpe sine causa domum refugere: vtrumuis horum fecerint, hosti gratã rem facturos. Horũ sententia erat, munirent tunc castra, & pararent se futuro prælio interim per nuntios ab aliis Volscis peterent, aut mitti alias copias pares Romanorũ viribus, aut iam missas reuocari. Sed postrema maxime placuit honoratioribus: mittendos exploratores in Romanorum castra, protectos legatorum nomine: qui data duci dextra dicant se socios venire à Volscorũ gente: doleréque suam vicem quòd serius aduenerint, nullam aut exiguã relaturi prõptæ voluntatis gratiam: cæterùm ipsorum fortunæ gratulari, qui tanto prælio absque auxiliis victores euaserint. ita fore vt deceptis illis amicitiæ specie verborúmque blanditiis explorentur omnia, numerus eorum, armatura, paratus, quídve animi habeant: quibus cognitis se facilè electuros consiliũ, vtrum satius sit aggredi illos accitis aliis copiis, an domum se recipere. Ergo cum legati ad dictatorem venissent, productique in concione exposuissent mandata ad decipiendum composita, Posthumius paulo post ita respondit. Mala consilia Volsci bonis verbis tegitis, &

cum faciatis hostilia, vultis reportare opinionem amicitiæ. Vos missi estis contra nos in Latinorum auxilium. nunc quia post pugnam venistis, & illos victos videtis, vultis nos decipere, fingentes eorum quæ facturi eratis contraria: & neque beneuolentia quã verbis simulatis, neque aduẽtus vestri prætextus quicquam sani habet, sed omnia fucata dolóque plena sunt. non enim nostra felicitati cõgratulatum missi estis, sed exploratum quantũ nobis sit virium: & cum re vera sitis speculatores, verbis legatos agitis. Tum illis inficiantibus ait se breui veritatem declaraturũ: móxque literas, quas Latinorum ducibus scriptas & auxiliũ pollicentes ante prælium interceperat, protulit, simulque latores earum produxit quibus perlectis, & captiuis auditis quænam mandata accepissent à suis, militaris multitudo ad feriendum Volscos concitata est, vt deprehensos & confessos speculatores. Posthumius verò negabat bonis viris imitandam aliorum malitiam, satius dicens & Romana magnanimitate dignius seruare iram in eos qui ipsos miserant, quam in missos effundere: & nomini legationis quam præ se ferant donandam salutem hominum potius, quàm sæuiendum propter tectum speculationis facinus: ne Volscis detur honesta belli occasio, simulaturis legatos esse cæsos cõtra ius gentium, & aliis inimicis facultas mentiendi de se verisimiliter. Ita cohibita vulgi ira, iussit homines retro vnde venerant abire, ac ne respicere quidem, nedum reuerti amplius: simúlque equites addidit, qui eos vsque ad castra Volscorum deducerent. móxq; speculatoribus eiectis, militẽ curare corpora & in crastinũ parare se iussit, producturus eos in aciẽ. Sed non opus fuit prælio. nam duces Volscorũ intempesta nocte desertis castris domum sese receperunt vnà cum

exercitu. Ita omnibus rebus ex voto cedentibus, humatis suorum cadaueribus lustratóque exercitu, triumphans in vrbem rediit: in qua pompa transuecti sunt multis plaustris armorum cumuli & militaris suppellex, captiuorum quinque millià tra ducta & D. insuper. De spoliorum decimis ludos & sacra diis fecit X L. *talentorum impendio, & ædem locauit Cereris Liberi Liberaq́. nam initio belli laboratum est victus inopia, & magnus metus erat ne in totum deficeret, terra fructus negante, & bello ne commeatus subueherentur vetante. quamobrem Sibyllini libri iussu dictatoris inspecti sunt à suis custodibus: & monentibus oraculis placanda esse hæc numina, votum fecit prius quam exercitum educeret, si imperij sui tempore felix prouentus fieret qualis antea, templa se illis constructurum & instituturum in singulos annos sacrificia. exaudiuerunt dij, dederúntque magnum prouentum frugum tum arborearum tum terrestrium: & Posthumius voti damnatus templum eis promissum reddidit. Ita Romani Latino bello depulso deorum beneuolentia, sacris vacabant & feriis. Post aliquot dies legati totius Latini nominis, ex ea factione quæ bello reclamauerat oppidatim delecti, venerunt supplices. qui ad senatum adducti, culpam illati belli referebant in proceres: vulgus hoc tantum peccasse, quòd malis ductoribus propria lucra quærentibus obsecuti sint. Deceptos quidem se, sed necessariò, vt ea facilitas veniam magis quàm accusationem mereatur, propter vim dolo additam: satisque pœnarum datum, ex vnaquaque ciuitate flore iuuentutis sublato, vt non temere domus inueniatur quæ luctu careat. petebántque vt se vltro deditionem facientes reciperent, non de imperio nec de æquo iure contenden-*

tes,

tes, sed posthac semper futuros socios subditósque, & quicquid fortuna Latinis ademptũ voluit, addituros ad Romanorum felicem fortitudinẽ. In fine orationis per cognationẽ obtestabantur, & ferendis auxiliis promptam quondam societatem reuocabant in memoriam, deplorantes suum infortunium longe maius quam pro merito, & lamentis prosequentes calamitates singulas, procumbentésque senatui ad genua, positis ad Posthumij pedes supplicum insigniis, ita vt totus patrum consessus molliretur ad lacrymas eorum adiunctas precibus. vbi vero è senatu excesserunt. & dici cœpta sententia, T. Largius qui primus omnium dictator paulo antè fuerat, moderatè fortuna vtendum censuit, præcipuam laudem dicens vt singulorum ita ciuitatium, non corrumpi felicitatibus, & bona sua ferre æquo modestóque animo. omnes enim prosperitates inuidiosas esse, præsertim quæ à prostratis & obnoxiis iniuriam non abstineant. nec fortunæ credendum, cuius versatilem inconstantiam suo malo bonóve toties experti sint: nec cogendos aduersarios ad extremum periculum, quod plerunque inuitis ex desperatione addat animos: Verendum etiam ne publicum odium sibi contrahant omnium in quos affectent imperium, si peccantibus acerbos se præstent & implacabiles, obliti quibus artibus ad tantam claritatem euaserint, & imperiũ quod ante principatus & præcellentia fuerit, vertentes in tyrannidem. nec enim indignandum si assueti libertati atque imperio populi veterem dignitatem retinere cupiant. quod si rerum bonarum cupidos, deinde spe sua frustratos, malum immedicabile maneat, breui omnes homines interituros mutuis cladibus. omnibus enim innatum libertatis desiderium. Addebat optimum & firmissimum

exercitu. Ita omnibus rebus ex voto cedentibus, humatis suorum cadaueribus lustratóque exercitu, triumphans in vrbem rediit: in qua pompa transuecti sunt multis plaustris armorum cumuli & militaris suppellex, captiuorum quinque millia tra ducta & D. insuper. De spoliorum decimis ludos & sacra diis fecit XL. talentorum ... & ædem locauit Cereris Liberi Lib... belli laboratum est victus inopia ... tus erat ne in totum deficeret. te... te, & bello ne commeatus subue... quamobrem Sibyllini libri iussu... sunt à suis custodibus: & ... placanda esse hæc numina, vot... exercitum educeret, si impe... prouentus fieret qualis antea ... structurum & institutum ... crificia. exaudiuerunt dij ... prouentum frugum t... strium: & Posthum... eis promissum reddi... depulso deorum beneu... feriis. Post aliquot dies ... nis, ex ea factione qua... datim delecti, venerun... adducti, culpam ill... vulgus hoc tant... bus propria lu... ptos quidem s... niam magis q... pter vim dolo ... ex vnaquaque ... non temere do... petebántque vt se vltro ... perent, non de imperio nec de æquo iure ...

tes, sed posthac semper futuros socios subditósque, & quicquid fortuna Latinis ademptũ voluit, addituros ad Romanorum felicem fortitudinẽ. In fine orationis per cognationẽ obtestabantur, & ferendis auxiliis promptam quondam societatem reuocabant in memoriam, deplorantes suum infortunium longe maius quam pro merito, & lamentis prosequentes calamitates singulas, procumbentésque senatui ad genua, positis ad Posthumij pedes supplicum insignijs, ita vt totus patrum consessus molliretur ad lacrymas eorum adiunctas precibus. [illegible] vero è senatu excesserunt. & de[illegible]capta sententia, T. Largius qui primus [illegible]tator paulo antè fuerat, moderatè [illegible]um censuit, præcipuam laude[illegible]rum ita ciui[illegible]atium, non corr[illegible]us, & bona sua ferre æquo mod[illegible] omnes enim prosperitates inuid[illegible]im quæ à prostratis & obnoxiis [illegible]stineant. nec fortuna cre[illegible]lem inconstantiam suo ma[illegible]erti sint: nec cogendos aduersa[illegible]m periculum, quod plerunque in[illegible]atione addat animos: Verendum e[illegible]scum odium sibi contrahant omnium [illegible] affectent imperium, si peccantibus acerbos [illegible]essent & implacabiles, obliti quibus artibus [illegible]ntam claritatem euaserint. & imperiũ quod [illegible]patus & præcellentia fuerit, vertentes [illegible]m. nec enim indignandum si assueti [illegible]e imperio populi veterem dignita[illegible]piant. quod si rerum bonarum cu[illegible]e sua frustratos, malum immedi[illegible] breui omnes homines interituros [illegible]mnibus enim innatum libertatis [illegible]audebat optimum & firmissimum

desitis fauori numinum qui semper hactenus seruauit rempublicam. Habetis enim fortunæ beneficio alia quoque multa quæ pro victoria vestra faciant, sed in primis tria manifestissima. primum mutuam fidem, qua nihil contra hostes validius, non enim hodie coire cœpit vestra societas & amicitia, sed communis patria iamdudum vobis hanc felicitatem peperit. simul estis educati eisdémque instituti artibus, in eisdem sacra diis fecistis altaribus, bonorum malorúmque longo iam tempore socij, quod validissimum amicitiæ vinculum inter mortales natura esse voluit, quoties certamen instat de rebus maximis. Deinde si hostes superiores fuerint, non alij quidem expertes erunt malorum omnium, alij contrà patientur calamitates grauissimas: sed ex æquo omnes amittemus dignitatem, libertatem, atque imperium: nec uxoribus, liberis, facultatibus, aliáve bona re vlla quàm nunc habetis, frui dabitur. proceres autem ciuitatis & magistratus Reipublicæ miserrimis modis prius excruciati tradentur exitio. Nam si nulla nostra noxa nec magna nec parua læsi, ipsi nullam à nobis omnibus abstinuerunt iniuriam, quid expectandum est à victoribus alta mente repositam habentibus distractionem à patria, bonorum suorum direptionem, nec vnquam postea concessum per vos accessum soli natalis? Postremum est neutro iam dictorum leuius, si recte consideretis, nimirum non tales nobis occurrisse res hostium quales suspicabamur, sed multo opinione deteriores. nam præter Antiates neminem alium eis adesse videtis belli socium: nos verò putabamus venturos omnes Volscos in eorum auxilium, multos etiam è Sabinis & Hernicis aliisque populis, metu fingente sibi vana terricula. At ista Latinorum

erant

erant somnia, irrita spe vanísque subnixa pollicitationibus. alij enim deseruerunt eorum societatem, dedignati tam imperitorum ducum imperia. alij cunctantur magis quàm opitulantur, spem frustrantes & tempus terentes inaniter, qui verò nunc in apparatu sunt, post prælium sero venientes ad nihil erunt eis vtiles. Quòd si qui vestrum rectè hæc à me dicta credentes, solam hostium multitudinem metuunt, eos rem leuem metuere paucis docebo, vel potius reuocabo in memoriam: primum si consideretis maiorem illorum partem coactã contra nos arma sumpsisse, sicut ex multis ipsorum dictis factísque nobis satis apparuit: reliquorum qui vltro & alacres pro tyrannis certaturi sunt paruum admodum esse numerum, quotam putatis portionem si conferantur ad nostras copias? Præterea in bello non multitudine fretis victoriam contingere solitam, sed fortitudine. longum esset commemorare Græcorum barbarorúmque exempla quoties ingentes exercitus superati sint à modicis, adeò vt quibusdam videatur incredibile. Omitto cætera. vos ipsi quoties debellastis prosperè, cum minores quàm nunc haberetis copias, oppositi maioribus quàm nunc sunt hostium? At fortè aliis quidem fuistis terribiles assueti eos vincere: à Latinis verò istis & Volscis eorum sociis meritò contemnimini, vt qui in præteritis conflictibus experti sint qualésnam sitis. imo omnes vos scitis, multis præliis gentes has victas à nostris maioribus. quænam igitur ratio est, istorum post tot clades conditionem videri meliorem, nostram verò deteriorem qui eos toties vicimus? aut quis sanæ mentis hoc diceret? ac demiror si quis vestrum horret hostium multitudinem, in qua pauci sunt strenui: nostrum verò contemnit tam magnum & validum exerci-

tum

tum, quo nullum vnquam vel numero vel viribus præstantiorem habuimus in omnibus bellis quæ hactenus gessimus. Vnum etiam hoc ad audendum incitamentum est maximum, præsentes adesse omnes senatus primates vt cernitis, communem nobiscum subituros belli aleam, quamuis emeriti sint & immunitatem militiæ habeant ætatis priuilegio. Annon igitur turpe vos viribus valentes tergiuersari: hos verò iam annis graues offerre se ad labores atque pericula? & senibus audentibus si non hostem perdere, saltem perire pro patria: vestrum robur, quibus si bene cedat, licet salua vita vincere: sin secus, & facere & pati fortiter, nec fortunam experiri, nec virtutis gloriam post se relinquere? Nónne ante vestrum seculum milites multa egregia facinora apud alios edita sunt decantari dignissima? multa item vestra celebrabuntur apud posteros, si huius belli bene gesti laudem ad alias pristinas adieceritis? Et vt tam fortibus præmia, quàm timidis supplicia proposita sciatis, audite quid vtrósque maneat. qui egregij alicuius facinoris in pugna editi testes habuerit, ei præter solennes istos honores agrum ex publico adiiciam, efficiámque ne in posterum necessariis ad vitam indigeat. cui verò diis iratis mala & turpis cupido fugæ incesserit, repræsentabo mortem frustra vitatam. talem enim ciuem mori tum ipsi tum patriæ vtile fuerit: & sic peremptis nec sepultura nec parentatio dabitur, sed neglecti, indeplorati, à feris laniabuntur & alitibus. Hæc igitur cum præsciatis ite alacres omnes ad prælium, bona spe ducti ad rem gerendam fortiter, vno hoc periculo redempturi quicquid votis expetendum est, exempturi libertatem vestram à metu tyrannidis, relaturi patriæ reposcenti natalium

talium & educationis gratiam, teneram liberorum ætatem & nuptas mulieres defensuri ab inimicorum libidine, senibus patribus præstituri vt quod superest vitæ cum voluptate exigant. ô felices quibus licebit huius belli triumphum deducere, excipientibus vos vxoribus, liberis, & patribus. ô mactos virtute, qui corpora impendent patriæ. Mors certè fatalis est omnibus ignauis æquè atque fortibus: sed gloriosa nunquam nisi bonis viris contigit. Adhuc extrema ad fortitudinem inhortantis verba erant in auribus, cum diuinitus audacia quadam inuasit exercitum, & quasi vno ore conclamarunt, duceret se, & suis militibus fideret. Tum Posthumius laudata eorum alacritate, votísque factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se diis facturum magnificè, & anniuersarios ludos instituturum splendidè, dimisit militem ad suos ordines. accepta deinde à ducibus tessera, & tubis signa canentibus, cum clamore hostem inuadunt, leui armatura vtrinque procurrente & equitibus, subsequentibus legionariis instructis & armatis pariter: ac mox vbique pugnabatur acriter, nusquam cessante milite. vt verò vtrosque sua fefellit opinio: nam vtrique animo præceperant pugna sibi opus non fore, sed ne primum quidem impetum hostes laturos: Latini freti equitatus multitudine, perculsura Romanos equites primo vt putabant incursu: Romani ratis se territuros hostem audacia contemptúque periculi: hac inquam opinione vtrique frustrati, nec iam in aduersariorum formidine, sed in sua fortitudine collocantes fiduciam & spem victoriæ, supra vires egregios pugnatores præstiterunt. fuitque varia & reciproca fortuna certaminis. Ante omnes dictator

ctator in acie media selectißimos inter equites fortiter exemplo suo pugnam ciens impulit oppositos, cum Titus Tarquinij filiorum alter impacto in dextrum humerum pilo grauiter saucius manu non posset vti amplius: quamuis Licinius & Gellius non habita ratione temporum, ipsum regem Tarquinium faciunt ex equo pugnantem & saucium, virum pene nonagenarium. prostrato autem Tito, eius milites post non longum certamen relato viuo ducis corpore nihil postea gesserunt fortiter, sed pedem referentes cedebant dictatoris militibus. ac mox in fratris locum succurrente Sexto cum Romanis exulibus equitumque lectißimis, non restiterunt modo sed impressionem in aduersos fecerunt. Ita ibi pugna aequata, parte alia T. Ebutius & Octauius Mamilius inter se oppositi egregiè pugnando quacunque se verterent, vel hostem profligabant, vel suos titubantes restituebant in gradum: postremo ex prouocatione inter se concurrentes, grauiter non tamen letaliter alter alterum vulnerant. equitum magister in pectus Mamilium hasta per thoracem adacta, Mamilius contrà illius transfixo dextro brachio: ambóque equis deturbati sunt. Vtroque ex acie relato, succedens in magistri equitum locum legatus ipsius M. Valerius cum aliquantulum restitisset cum suis, reiectus est extra aciem ab hostium equitibus, quibus exulum equitatus & leuis armatura subuenerat, ac postremo Mamilius iam ex vulnere recollectus validam equitum velitúmque manum eò adduxerat. In eo conflictu legatus M. Valerius, qui primus de Sabinis triumphauit, & animos populi Romani post cladem ab Hetruscis acceptam collapsos erexit, hasta ictus cecidit, & circa eum honestorum ciuium magnus

numer

numerus. de cuius cadauere magna contentio fuit, Publio & Marco Publicolæ filiis patruum protegentibus: qui inspoliatum & adhuc spirantẽ armigeris impositum cum in castra remisissent, ipsique in medios hostes præ dolore furentes ruerent, ab exulibus multitudine vulnerum confecti unæ occubuerunt. post quorum casum acies Romana in sinistro cornu laborans usque ad Posthumianos medium locum tenentes, ægrè seruabat ordines, cùm dictator inclinatis iam ad fugam celeriter succurrit cum eis quos circa se habebat equitibus: iussoq; altero legato T. Herminio cum equitũ ala legiones circumuehi. & à tergo suorum fugã sistere, nisique pareant, fugientes occidere, ipse cũ fortissimo quoque equite in constipatum hostium globũ facit impetum. iámque propinquus primus equũ in aduersos pleno cursu cõcitat. tantáque fuit vis incurrentium, vt furentes & efferatos Latini non ferentes in fugam versi multi caderent. Interea legatus Herminius suos ex fuga receptos iámque firmatos vertit in Mamiliũ: congressúsque cum viro statura ac robore omnium ætatis suæ præstantissimo, & illum interfecit, & ipse dum cadauer spoliat, gladio in latus à quodam ictus interiit. At Sex. Tarquinius sinistrum Latinorum cornu regens resistebat constanter. tandémque loco mouit Romanos oppositos, sed vt vidit tendentem in se cum delectis equitibus Posthumiũ desperata salute coniecit se in medios: vbi circunuẽtus à Ro. equitib. simul & peditibus, telis vndiq; feræ in modũ impetitus, non inultus tamen periit, interfectis aliquot qui eum ausi sunt cominus lacessere. Ita cæsis ducib. reliqua Latinorũ multitudo tota in fugã versa est: castra quoq; à custodibus deserta Romani ceperũt, vbi luculenta præda inuenta cessit militi: maximaque ea clades

Latin

Latinorum fuit, qualis nunquam antea, cuius diuturnus sensus fuit reliquus. nam è quadraginta millibus peditum. tribus equitum, quæ diximus, superstites vix decies mille domum rediere incolumes. in eo prælio feruntur Posthumianis equitibus apparuisse duo primæ lanuginis iuuenes præstantiore statura & forma quàm quæ videri posset mortalium, præcedentes Romanum equitatum, hostémque hastis ferientes cominus, & in fugam cogentes ac rursum post fusos fugatósque Latinos & castra eorum capta, sero iam finito prælio in Romano foro visi esse adolescentes duo militari cultu procerißimi & pulcherrimi, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus. cúmque de equis descendissent ambo, lauißentque fontana quæ ad ædem Vestæ profluens paruam sed profundam facit lacunam, multis eos circunsistentibus, rogantibusque ecquid ab exercitu noui afferant, pugnam indicasse atque victoriam: digreßósque è foro nusquam comparuisse postea, quamuis valde à præfecto vrbis quæsitos. Postero die cùm senatus ex dictatoris literis inter cætera eius prælij memorabilia cognouisset de hac quoque visione, ratus vtrobique eorundem spectra obuersata oculis, verisimili coniectura credidit Castorum eas fuisse imagines. Eius mirificæ apparitionis numinum in vrbe multa extant monumenta: in foro templum Castorum publicè constructum vbi visæ sunt eorum imagines, vicinúsque fons his sacer dictus & vsque ad nostra tempora creditus: tum sacrificium splendidum, quod quotannis populus Romanus per primarios equestris ordinis Idibus Quintilibus peragit, qua die victoria hæc illi contigit. Præter omnia verò post sacrificium transuectio eorum qui equos habent ex

publico,

publico, qui per tribus & centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes quasi è pugna redeant, coronati frōde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pōpa facto ab æde Martis quæ extra urbem sita est, & pertranseuntes cum cæteras urbis partes, tum forum ædémque Castorum, nonnunquam quinque virorum millia, gerentes quicquid donorum militarium acceperunt à ducibus, egregium sanè spectaculum, dignúmque imperij magnitudine. Hæc sunt quæ ob gemellorum Iouis filiorum apparitionem dicta factáque à Romanis obseruauimus: unde facilis coniectura est quam diis cari tunc fuerint homines, præter multas & magnas alias. At Posthumius illa nocte in castris acta, sequenti luce coronauit eos qui preclaram in prælio nauassent operam: & captiuis custodiæ traditis, votiua sacra reddebat superis. Cui coronato etiam tū & exta aris imponenti, speculatores quidam ab editioribus locis cursu in castra delati, nuntiant aduentare hostium exercitum. Erat autē Volscorum selectum robur, Latinis ante pugnam missum auxilio, quo cognito iussit omnes arma sumere, & intra castra ad sua quenque signa præsto esse, pulchréque instructos imperata expectare. Volscorum verò duces ubi eo ventū est unde prospectus patebat, ut videre stragem totis campis editā, utrisque castris stantibus, neminem verò è munimentis prodire nec amicum nec hostem, aliquandiu stupentes non poterant coniicere quænam esset fortuna partium. deinde ubi ex quibusdam fuga seruatis cognouere de prælio, consultabant inter se quid opus facto sit. Audacissimus quisque censebat optimum esse ex itinere vallum Romanorū inuadere, donec multi laborarent ex vulneribus, omnes labore fessi essent, armis etiam maxima ex parte inutilib

tilibus, obtusis & fractis, necdum ab urbe recens sub uenisset auxilium. ipsis adesse magnū validúmque & bene armatum exercitum. bellorum peritū, & tunc improuiso aduentu audacibus etiā terribilem. Prudentioribus autē non videbatur tutum absque sociorum auxiliis lacessere viros fortes ac bellicosos, elatósque recenti de Latinis victoria, præsertim in alieno territorio, in quo siquid secus quàm vellent accideret, nullum habituri essent refugium. præstare celeriter redire in patriam, & pro lucro reputare quòd impune ferrent eam militiam. Alij neutrorum probabant, nimis iuuenilem dicentes eorū audaciam qui ex itinere vellent impetum dare, sicut turpe sine causa domum refugere: vtrumuis horum fecerint, hosti gratā rem facturos. Horū sententia erat, munirent tunc castra, & pararent se futuro prælio interim per nuntios ab aliis Volsceis peterent, aut mitti alias copias pares Romanorū viribus, aut iam missas reuocari. Sed postrema maxime placuit honoratioribus: mittendos exploratores in Romanorum castra, protectos legatorum nomine: qui data duci dextra dicant se socios venire à Volscorū gente: doleréque suam vicem quòd serius aduenerint, nullam aut exiguā relaturi promptæ voluntatis gratiam: cæterùm ipsorum fortunæ gratulari, qui tanto prælio absque auxiliis victores euaserint. ita fore vt deceptis illis amicitiæ specie verborúmque blanditiis explorentur omnia, numerus eorum, armatura, paratus, quidve animi habeant: quibus cognitis se facilè electuros consiliū, vtrum satius sit aggredi illos accitis aliis copiis, an domum se recipere. Ergo cum legati ad dictatorem venissent, productique in concione exposuissent mandata ad decipiendum composita, Posthumius paulo post ita respondit. Mala consilia Volsci bonis verbis tegitis, &

cum faciatis hostilia, vultis reportare opinionem amicitiæ. Vos missi estis contra nos in Latinorum auxilium. nunc quia post pugnam venistis, & illos victos videtis, vultis nos decipere, fingentes eorum quæ facturi eratis contraria: & neque beneuolentia quã verbis simulatis, neque aduētus vestri prætextus quicquam sani habet, sed omnia fucata dolóque plena sunt. non enim nostræ felicitati cõgratulatum missi estis, sed exploratum quantũ nobis sit virium: & cum re vera sitis speculatores, verbis legatos agitis. Tum illis inficiantibus ait se breui veritatem declaraturũ: móxque literas, quas Latinorum ducibus scriptas & auxiliũ pollicentes ante prælium interceperat, protulit, simúlque latores earum produxit quibus perlectis, & captiuis auditis quænam mandata accepissent à suis, militaris multitudo ad feriendum Volscos concitata est, vt deprehensos & confessos speculatores. Posthumius verò negabat bonis viris imitandam aliorum malitiam, satius dicens & Romana magnanimitate dignius seruare iram in eos qui ipsos miserant, quam in missos effundere: & nomini legationis quam præ se ferant donandam salutem hominum potius, quàm sæuiendum propter tectum speculationis facinus: ne Volscis detur honesta belli occasio, simulaturis legatos esse cæsos cõtra ius gentium, & aliis inimicis facultas mentiendi de se verisimiliter. Ita cohibita vulgi ira, iussit homines retro vnde venerant abire, ac ne respicere quidem, nedum reuerti amplius: simúlque equites addidit, qui eos vsque ad castra Volscorum deducerent. móxq; speculatoribus eiectis, militẽ curare corpora & in crastinũ parare se iussit, producturus eos in aciẽ. Sed non opus fuit prælio. nam duces Volscorũ intempesta nocte desertis castris domum sese receperunt vnà cum

exercitu. Ita omnibus rebus ex voto cedentibus, humatis suorum cadaueribus lustratóque exercitu, triumphans in vrbem rediit: in qua pompa transuecti sunt multis plaustris armorum cumuli & militaris suppellex, captiuorum quinque millia traducta & D. insuper. De spoliorum decimis ludos & sacra diis fecit XL. talentorum impendio, & ædem locauit Cereris Liberi Liberæq. nam initio belli laboratum est victus inopia, & magnus metus erat ne in totum deficeret, terra fructus negante, & bello ne commeatus subueherentur vetante. quamobrem Sibyllini libri iussu dictatoris inspecti sunt à suis custodibus: & monentibus oraculis placanda esse hac numina, votum fecit prius quam exercitum educeret, si imperij sui tempore felix prouentus fieret qualis antea, templa se illis constructurum & instituturum in singulos annos sacrificia. exaudiuerunt dij, dederúntque magnum prouentum frugum tum arborearum tum terrestrium: & Posthumius voti damnatus templum eis promissum reddidit. Ita Romani Latino bello depulso deorum beneuolentia, sacris vacabant & feriis. Post aliquot dies legati totius Latini nominis, ex ea factione quæ bello reclamauerat oppidatim delecti, venerunt supplices. qui ad senatum adducti, culpam illati belli referebant in proceres: vulgus hoc tantum peccasse, quòd malis ductoribus propria lucra quærentibus obsecuti sint. Deceptos quidem se, sed necessariò, vt ea facilitas veniam magis quàm accusationem mereatur, propter vim dolo additam: satisque pœnarum datum, ex vnaquaque ciuitate flore iuuentutis sublato, vt non temere domus inueniatur quæ luctu careat. petebántque vt se vltro deditionem facientes reciperent, non de imperio nec de æquo iure contenden-

tes,

tes, sed posthac semper futuros socios subditósque, & quicquid fortuna Latinis ademptū voluit, adituros ad Romanorum felicem fortitudinē. In fine orationis per cognationē obtestabantur, & ferendis auxiliis promptam quondam societatem reuocabant in memoriam, deplorantes suum infortunium longe maius quam pro merito, & lamentis prosequentes calamitates singulas, procumbentésque senatui ad genua, positis ad Posthumij pedes supplicum insigniis, ita vt totus patrum consessus molliretur ad lacrymas eorum adiunctas precibus. vbi vero è senatu excesserunt. & dici cœpta sententia, T. Largius qui primus omnium dictator paulo antè fuerat, moderatè fortuna vtendum censuit, præcipuam laudem dicens vt singulorum ita ciuitatium, non corrumpi felicitatibus, & bona sua ferre æquo modestóque animo. omnes enim prosperitates inuidiosas esse, præsertim quæ à prostratis & obnoxiis iniuriam non abstineant. nec fortunæ credendum, cuius versatilem inconstantiam suo malo bonóve toties experti sint: nec cogendos aduersarios ad extremum periculum, quod plerunque inuitis ex desperatione addat animos: Verendum etiam ne publicum odium sibi contrahant omnium in quos affectent imperium, si peccantibus acerbos se præstent & implacabiles, obliti quibus artibus ad tantam claritatem euaserint, & imperiū quod ante principatus & præcellentia fuerit, vertentes in tyrannidem. nec enim indignandum si assueti libertati atque imperio populi veterem dignitatem retinere cupiant. quod si rerum bonarum cupidos, deinde spe sua frustratos, malum immedicabile maneat, breui omnes homines interituros mutuis cladibus. omnibus enim innatum libertatis desiderium. Addebat optimum & firmissimum

esse imperium, quod subditos beneficio magis quàm pœna in officio contineat. illius enim beneuolentiam, huius timorem esse comitem. quicquid autem timeatur, id necessitate naturali exosum esse omnibus. postremo ad egregia maiorum exempla eos hortatus est, laude immortali dignissima, recensens vrbes vi captas, quas illi non diruerint, non cæsis puberibus desolauerint, non oppidanos in potestatem redactos sub hasta vendiderint, sed colonias populi Romani fecerint, & victis quotquot ad se migrare vellent ciuitate data vrbem ex parua magnam reddiderint. Summa sententiæ fuit renouari pristinum fœdus cum Latino nomine, abolita omni præteritarum offensarum memoria. Post eum rogatus Ser. Sulpitius, de pace renouandóque fœdere nihil contradixit. Sed quoniam Latini non tum primum violassent fœdera, vt deceptos se & coactos excusantes mereantur veniam, sed antea quoque sæpius, vt castigatione opus habeant, satius esse concessa omnibus venia & libertate ob cognationis respectum, dimidio agri eos mulctari, eúmque ciuibus Romanis diuidi, qui fruantur illo appositi genti pro custodibus, nequis posthac res nouas moliri audeat. Sp. Cassius deinde diruenda eorum oppida consuluit, mirari se dicens simplicitatem eorum qui peccata impunita sinenda suadeant, quòd non intelligant eos propter innatã sibi & nunquam eximendam inuidiam qua persequantur crescentem Romanum pop. alia post alia bella serere, nec vnquam sponte quieturos ab insidiandi proposito, donec miserum hunc affectum gerant in præcordiis, quandoquidem postremo non veriti sint immanissimæ omnium bestiæ tyrannidem in cognatã ciuitatem asserere, calcatis omnibus fœderibus, con-

tempt

temptisque diis eorum testibus, non alia spe freti quàm nostra clementia, cui nullas pœnas daturi essent aut leuißimas. Adducebátque & ipse maiorum exempla, qui Albam vnde ipsi omnésque Latini populi deducti, quia videretur inuidere ipsorum felicitati, & prima venia ad nouas insidias abuti, vna die delendam decreuerint, existimantes perinde esse, nullum mediocre peccatum dignari venia, & in nullum enorme atque incorrigibile animaduertere. id enim esse stultæ cuiusdam indolentiæ, non humanitatis & modestiæ, in autoribus sui generis coloniaq; immedicam ac intolerabilem inuidiam non pati, & eandem ferre in cognatis, & post mulctatos patria deprehensos in leuioribus criminibus, ob irreconciliabile odium præ se ferentibus nullam pœnam exigere. His dictis enumeratisque omnibus Latinorum defectionibus, & reducta in memoriam multitudine eorum ciuium qui superioribus bellis Latinis ceciderant, aiebat quam Albani dederant pœnam meritos, vt diruptis oppidis ager ciuibus Romanis diuideretur. Latinorum verò quotquot beneuolentiam declarassent erga Roma. populum, incolumibus facultatibus ciuitate donari debere, defectionis verò autores & fœderis violatores securi vt proditores percuti, reliquum vulgus egenorum otiosum & inutile in mancipiorum haberi numero. Hæ fuere primariorum senatorum sententiæ, è quibus Largij maxime dictatori placuit: & nemine pòst contradicente legati in senatum reuocati sunt, vt responsum acciperent. Tum Posthumius exprobrata eis inemendabili malitia, Vos quidem, inquit, digni estis extremis calamitatibus, vt qui si successisset quod toties tentastis, nos nihilo tractassetis mitius: sed non est Romanum irati æquitatem

postponere, cognationis respectu, & quòd confugistis ad offensorum misericordiam: ideo hoc quoque peccatum impune vobis erit, in gratiam deorum quibus cognationis iura curæ sunt, & fortunæ incertæ penes quam opes sunt. Nunc igitur ite absoluti omnino & liberi. ubi vero captiuos dimiseritis, perfugas dediderítis, exules eieceritis, tum de amicitia societateq; legatos ad nos mittite, impetraturos quicquid æquum est. Cum hoc responso dimissi legati post paucos dies reuersi sunt captiuis remissis, adducentes quotquot potuerunt transfugas, exulibus etiam pulsis cum Tarquinio: pro quibus meritis à senatu in pristinam societatem amicitiamq; recepti sunt, renouato per faciales fœdere. Hic finis fuit belli quod cum tyrannis post eorum eiectionem per quatuordecim annos gestum est. Tarquinius rex solus suo generi superstes, nonagesimo fermè ætatis anno liberis orbatus & genero, senectamq; vel inimicis miserabilem tolerans, neque Latinis intra oppida eum recipientibus neq; Hetruscis, neque Sabinis, neque vllo alio propinquo & libero populo, in Campaniam Cumas se contulit ad Aristodemum cognomine Malacum Cumanorum tyrannum, apud quem paucis postquam venerat diebus vixit, & mortuus ab ipso sepultus est. eius comitum exulum pars Cumis mansit, pars per alios populos dispersi in exilio vitam finierunt. At Romanis ab externo bello quietis domi seditio nata est, restitutis per senatum iudiciis, & controuersiis quæ propter bellum dilatæ fuerant, ad iudices reuocatis vt dirimerẽtur legibus. nã perplexæ de ære alieno lites multas graues tempestates excitabant, dum plebeij se non esse soluendo impudenter fingunt, causantes agros ob bellorum diuturnitatem tot annis incultos, abacta pecora, mancipiorum captiuitates

& transfugia, rem familiarem exhaustam impensis militiæ: fœneratores contrà referunt communes omnium fuisse has calamitates, non solis incubuisse debitoribus, negantes se ferre posse, si rebus suis per bellum spoliati ab hostibus, insuper ea quoque cogantur perdere, quæ tempore pacis ciuibus egenis mutuum dederint. itaque dum hi nihil de iure suo remittunt, illi iura nihili faciunt, his etiam vsuras reposcentibus, illi ne caput quidem debiti persoluebant. inde iam cœtus & circuli fiebant eorum quos similitudo querelarum contraheret, & in foro conglobati ex aduerso stabant, interdum non temperantes manibus, conturbato omni ciuili ordine. Hæc videns Posthumius, cui etiam tum honor habebatur ex æquo ab omnibus, externo bello ciuiles tempestates sedandas censuit: & priusquam imperij sui tempus exiret eiurata dictatura, & indicto comitiorum die, vnà cum collega consule magistratus constituit. ita denuo consules annuum legitimúmque magistratum assumunt, App. Claudius Sabinus, P. Seruilius Priscus. qui scientes nihil esse magis è Repub. quàm turbulentam plebem ab vrbe in externa bella abstrahere, expeditionem in Volscos, cuius alter ipsorum dux sit, apparant, vlturi quòd contra se Latinis auxilia misissent, & nondum satis paratos præoccupaturi. nuntiabatur enim & illos exercitum magna cura conscribere, & propinquas gentes ad belli societatem per legatos solicitare, cognito quòd plebs dissideat à patritiis, & spe concepta facile excindi posse vrbem laborantem seditione domestica. Ergo postquam ex senatus quoq; sententia visum est consulibus expeditionem facere, edixerunt vt omnes militaris ætatis ad certum tempus præsto essent daturi nomina. cúmque delectu cœpto plebeij citati

non parerent, & sacramentum recusarent, non conueniebat inter consules, & iam inde toto magistratus tempore discordes fuere. Nam Seruilio placebat mitiorem viam ingredi, iuxta M. Valerij popularißimi ciuis sententiam: qui censebat medēdum seditionis principiis decreta remißione aut diminutione debitorum, si fieri poßit, sin minus, non permittendo tunc in neruum duci eos qui non soluissent ad præstitutum terminum: & persuadendos potius quam neceßitate adigendos ad sacramentum inopes: pœnas quoque iussa detrectantibus non graues & immites infligendas, quasi in ciuitate vnanima, sed moderatas & æquitati conuenientes. Periculum enim esse ne cœtu facto ad insolens aliquid se vertant homines quotidiani victus indigi, si cogantur militare sumptu proprio. Appij verò qui præcipuus erat factionis optimatium, sententia fuit austera & rigida: nihil indulgendum plebi, sed permittendam debitorum quocunque iure exactionem fœneratoribus, & consistoria iudicum ordinanda more patrio per vrbanum consulem: pœnas quoque delictorum iuxta leges exigendas: nihilque nisi iustum plebeiis concedendum, nec alendam eorum malā potentiam. Nunc enim, inquit, immodica libertate lasciuiūt, sublatis tributis quæ antea pendebant regibus, & pœnis quas illis luebant corpore, nisi iussa celeriter facerent. quod si quid de præsenti rerum statu mouere aut nouare conabuntur, coërceamus eos per sanam populi partem & sobriam, quam vitiosa longe potiorem videbitis. nec parum virium habemus in iuuentute patritia iußis nostris obsequentißima. sed validißimum telum ad conficiendam plebeiorum insolentiam est senatus potentia, quam pro legibus stantem vbi viderint, non terreri non

poterunt.

poterunt. quod si nos postulatis eorum submiserimus, primò dedecus incurremus permissa plebi Repub. cum eam ab optimatibus regi liceat: deinde periculum est ne si quis ingenij tyrannici vir eius fauorem eblanditus legibus superiorem potentiam sibi comparauerit, rursum libertas nobis pereat. Ad hunc modum disceptantibus inter se consulibus non solum in priuatis colloquiis sed etiam in senatu, & vtrique multis adhærentibus, cum per altercationes & inconditum verborum strepitum nihil salutare decerni posset, patres re infecta dimissi sunt. In has contentiones insumpto multo tempore alter consulum Seruilius, cui sorte exercitus obtigerat, multis precibus & obsequiis demerita plebe vt vellet esse belli particeps, contractisque pro tempore copiis voluntariorum magis quàm ex necessariis delectibus, ad bellum exiit, Volscis etiam tum in apparatu occupatis, opinantibus Romanos nec cum exercitu venturos, vt quorum res ne domi quidem satis pacatæ essent propter mutuas inimicitias, nec si quis vltro lacessat ausuros congredi, sibi verò integrum esse bellum eis inferre quando libet. cum verò contra quos bellum parabatur, ipsos id inferre viderent, territi hac celeritate, seniores honoratissimi ex oppidis progressi obuiam supplices, fassique peccatum, committebant se in fidem & arbitrium Seruilij qui accepto in vsum exercitus frumento ac vestibus, trecentisque obsidibus delectis ex nobilissima quaque familia, retro abiit. finem belli credens quæ fuit dilatio verius, donec qui tum celeritate præuenti sunt, ad id instaurandum per otium se instruerent, quàm primum enim Romanus exercitus abiit, denuo cœperunt munire oppida, & locis opportunis præsidia disponere, ascitis in societatem Sabinis & Hernic

Hernicis propalam, clam verò nonnullis aliis. cæterum Latini legatos eorum societatis petendæ causa ad se missos vinxerunt Romámque perduxerũt: quibus senatus vt fidelibus & studiosis Rom. populi (vltro enim offerebant ad id bellum suam operam) concessit quod eos putabat maximè cupere, sed præ verecundia non audere petere, captorum proximo bello ferme sex milia, idq; sine pretio: & quod maxime ornabat debitam cognatis munificentiam, omnes vestitos & cultos liberaliter. cæterùm auxilio Latinorum negauit se opus habere. Satis sibi virium esse ad sumendas pœnas de imperij desertoribus. cum hoc responso dimissis Latinis, bellum contra Volscos decreuit. Interim patribus in curia consultantibus quantis contra eum hostem opus esset copiis, magno natu quidam se in forum proiecit, pannosus promissáque barba & capillitio squalidus, implorans Quiritium fidem. factóque concursu ex proximo, stans conspicuo loco, ait se ingenuum ciuem & emeritum militem, post duodetriginta prælia, donáque militaria sæpe reportata, difficili Reipublicæ iniquo suo tempore æs alienum fecisse vt tributum imperatum conferret: deinde agello ab hostibus populato, domi re familiari per annonæ caritatem absumpta, cum soluendo non esset ductum se a fœneratore vnà cum duobus filijs in seruitium: & quia domino quiddam durius imperanti respondisset, cæsum flagris affatim. His dictis, pannísque abiectis, ostentabat honestas cicatrices aduerso pectore, tergúmque fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad quam indignitatem clamore cum lamentatione coorto, senatus solutus est: totáque vrbe discurrebant inopes, quiritantes & deplorantes suum infortunium. simúlque è priuatis ædibus nexi ob æs alienum proripiebant se in publicum

blicum squalidi, nemine retinere audente: quos si quis vel attingeret statim res agebatur manibus: tanta rabies plebem id temporis corripuit: moxq; forum erat plenum profugis à creditoribus. Ibi Appius veritus ne in se, vt horum malorum autorem, multitudo impetum faceret, trepidè fugit è comitio. At Seruilius abiecta prætexta procumbēs cum lacrymis ante singulos plebeiorum gratiosos apud suum ordinem, ægrè persuasit eis vt illo die se continerent, & redirent postero, promittens rem curæ fore senatui. His dictis præconem iussit proclamare, nemini creditorum licere ciuium corpora in priuatum vsum abducere, donec senatus super ea re statuat: & præsentes posse abire securè quocunque libeat: atque ita tumultus sedatus est, discedente è foro populo. Sequenti die summo mane non tantum vrbana plebs aderat, sed etiam vulgus vicinorum agrestium: coactóque senatu ad consultandum quid in negotio tali opus facto sit, Appius collegam popularem vocabat & ducem insolentiæ inopum: contra Seruilius illum austerum & arrogantem, causámque malorum præsentium. nec finem faciebant altercandi, donec Latini equites aduolarent in forum nuntiantes Volscos infesto exercitu venire, iamque transisse Latij terminos. Ad quem nuntium ordo patritiorum equitúmque, & quantum erat diuitum vel nobilium, vt in summo periculo arma capiebant celeriter. egeni verò præsertim obærati, nec arma curabant, nec vllam Reipub. nauabant operam, gaudentes insuper & gratè bellum externum accipientes, quasi per id inuenturi finem malorum præsentium: & si quis eos hortaretur ad defendendam patriam, catenas ostentantes ac compedes cum iurgio rogitabant, ecquid horum bonorum causa pugnare æquum sit.

nec deer

nec deerant qui auderent dicere, satius esse apud Volscos seruire, quàm perferre patritiorum iniurias. interea tota vrbs strepebat, referta eiulatu & lamentis mulierum. Id videntes Patres alterum consulum Seruilium, cuius in eo rerum statu grauior videbatur autoritas, obsecrabant vt patriæ succurreret. Is aduocata concione ostendebat præsentem necessitatem, in qua non esset locus ciuilibus contentionibus, orans vt nunc in hostem eant vnanimes, nec patiantur euerti patriam, in qua deos à maioribus cultos, ipsorúmque maiorum monumenta singuli habeant, quæ hominibus sunt carissima: certè parentes reuereantur, qui se per ætatem non possint defendere: misereantúrque mulierum quibus iam iam ferendæ sint infandæ libidines, sed maximè ætatis teneræ non in has educatæ iniurias & contumelias. cæterùm postquàm à præsenti periculo omnibus connitentibus liberati fuerint, deliberandum quonam modo æquabiliter & salubriter constituta Republ. nec diuitibus insidiæ struantur per pauperes, nec illi insultent fortunis humilium. Hæc enim non esse ferenda in ciuitatibus: sed fore vt & pauperibus ciuile non desit auxilium, & creditorum conueniens habeatur ratio. Nam optimum in vita contra omnes iniurias remedium, quo constet concordia ciuium, non omnino nec in perpetuum tollendum è Romana Republ. præter morem cæterarum omnium. Hæc & alia quæ tempus postulabat differens, postremo adiecit nonnihil de sua erga plebem constanti beneuolentia, vnam reposcens gratiam, vt secum expeditionem susciperent, quando penes collegam vrbis cura sit, penes se vero exercitus imperium, sortibus ita volentibus. aiebatq́ pollicitos sibi patres, ratum fore

quicquid ipse plebi promitteret: séque illis vicissim persuasurum plebeiis ne patriam prodant hostibus. His dictis iussit præconem proclamare: quotquot Romanorum contra Volscos ductu consulis profecti fuerint, horum domos nemini licere neq; retinere, neque vendere, neq; oppignerare, neque familias eorum vllo pacto abducere, neque prohibere volentes dare nomina. quotquot verò deseruerint militiam, contra hos actionem esse creditoribus. Hac audita flexerunt inopes, moxq; omnes magna alacritate ad bellum se parabant. pars spe lucri exciti, pars imperatoris gratia, sed plurimi vt Appium & vrbanorum insultationes effugerent. At Seruilius cũ exercitu properat cõtinuato itinere, vt hosti extra fines Romanos obuiam fiat: quẽ cum in Pomptino campo tendentem offendisset, vastantemq; agros Latinorum, quòd noluissent esse belli socij, sub vesperam circa quendam tumulum viginti fermè stadiis à Volscis distantem & ipse castra metatus est: qui noctu consulem aggressi sunt. rati paucos secum habere, eosq; fessos de longo itinere, nec promptos ad nauandam operã propter seditiones inopum quæ vigere videbantur vt cũ maximè. At Seruilius quã diu nox fuit vallo defenso, vbi prima luce animaduertit ab hostibus nullos seruari ordines, ad vnum signum simul omnibus portis immisit in eos militem. qui repentino nec opinato casu territi, pauci resistere conati ante vallum pugnantes contrucidati sunt, reliqui effusissimè fugientes, multis suorum amissis, pleriq; saucij & inermes intra suum vallum se receperunt: sed à Romanis è vestigio sequentibus circundati post nõ longam defensionem castra dediderũt mancipiis & pecoribus armisq; ac cætero apparatu bellico refertissima. captus est etiam liberorum corporum magnus numerus partim Volscorũ, partim

sociarum

sociarum gentium, & pecuniarum, auri, argenti, vestium plurimum, haud secus quàm expugnata opulenta vrbe aliqua: quæ omnia concessa militi à Seruilio vt vnusquisq; lucraretur in publicum. ita præda diuisa & castris incensis exercitus ad Suessam Pometiam ductus est. nam hæc vrbs amplitudine habitatorumq; frequentia, pratérque diuitiis & gloria præcellebat, velut gentis caput. hanc obsessam noctésque diésque sine intermißione oppugnauit, nequid otij hosti daretur ad interquiescendum somnúmve capiendum aut curanda corpora: qua contentione effecit vt fame consiliíque ac propugnatorum defectu preßi expugnati sint intra non longum temporis spatium, omnésque interfecti qui pubertatis annos attigissent. concessaq; hac quoque præda militi, exercitus ad alias vrbes ductus est. Volscis defendere non valentibus, ita domitis Volscis, alter Cos. Appius productos in forum CCC. eorum obsides, nequis post fidem datis obsidibus confirmatam violaret temere, virgis cæsos in conspectu omnium securi percußit. Reuerso deinde post paucos dies collegæ & ex more triumphum à senatu ob rem bene gestam petenti obstitit, seditiosum appellans & corruptorem disciplinæ publicæ. sed maximè incusabat nihil ex eius belli præda relatum in publicum ærarium, absumptáque omnia priuatis largitionibus: persuasítque senatui ne triumphum decerneret. Tum Seruilius iniuriam sibi à senatu factam existimans, præter Romanum morem se gesit arrogantius. aduocata enim in campum Martium concione, denarratisq; rebus à se eo bello gestis et collegæ inuidia, repulsáq; quam ipse à senatu passus sit. ait se ex suis factis & exercitus laborum socij voluntate habere potestatem triumphi rei feliciter gestæ debiti. simulq; laureatis fascibus assump

assumptis, ipse laureatus triumphali habitu procedebat in vrbem, prosequente toto populo vsque in Capitolium, vbi votis redditis dedicauit spolia. quo facto plebis fauorem sibi conciliauit; patritiorum verò maiorem incurrit inuidiam. In tam exacerbatis rebus fuerunt tamen aliquandiu tacitæ quædam induciæ, quiescente seditione dum ciuitas patriis sacris operatur & magnificè festiuitates cōcelebrat: cùm Sabini occasionem adesse rati ex improuiso eos aggrediuntur, initio noctis iter ingressi, vt adessent priusquam sentiretur in vrbe: fuissentq; voti compotes, nisi velites aliquot à reliquo peditatu diuulsi prædæ cupidine, adortique villas tumultum exciuissent: móxque cum clamore agrestium concursus ad mœnia factus est prius, quàm hostes ad portas accederent. quorum aduentum vt cognouit populus coronatus & spectaculis intentus interim, relictis ludis ad arma discursum est: priórque Seruilius voluntariorum manū præsto habuit, qua instructa hostem inuasit fessum nocturno itinere & vigilia, nec expectantem Romanorum impetum. vt verò intra teli iactum ventum est, concurrerunt vtrique nullo ordine præ festinatione nimia: sed vt sors tulit legioni legio, centuria centuriæ, viro vir occurrit, pugnabántque promiscuè pedites & equites: & subueniebant vtrisque è propinquo qui laborantes in integrum restituerent, vt in longum tempus certamen id protractum sit. Tandem Romani equitatu sibi affluēte Sabinos fundunt denuò: multísque cæsis reuertuntur in vrbem ducentes magnum captiuorum numerum: conquisitísque intra mœnia Sabinis, qui spectandi prætextu venerāt, occupaturi in suorum aduentum arces & loca munita cætera vt cōpositum fuerat, omnes trusérunt in carcerem. Sacra

verò per tumultum interrupta duplo maiori quàm antè sumptu ex senatusconsulto instaurata sunt, atque ita rursum populus erat in epulis & hilaritatibus. nondum finito festo legati ab Auruncorum gente veniunt, quæ campi campani regionem tenebat præcipuam. hi in senatum introducti reposcebant Volscorum Ecetranorum agrum, quem populus Romanus de Ecetranis captum diuiserat eius loci præsidiariis, deducíque inde præsidium postulabant. quod ni fieret denuntiabant Auruncos breui venturos in Romanum agrum, & sumpturos pœnas pro illatis in finitimos iniuriis. quibus ita responsum est: Renunciate legati Auruncis, populum Romanum iusto bello & virtute quæsita tanquam res proprias solere prognatis ex se relinquere: neque timere bellum ab Auruncis, ut nec primum nec grauissimum, nimirum assuetos cũ quibusuis certare de virtute imperióque, & si ad manus ventum fuerit, excepturos hostem intrepidè. Post hæc Auruncis cum valido exercitu venientibus Romani cum domesticis copiis Seruilio duce occurrerunt ad Ariciam, quæ ab urbe distat centesimo & vigesimo stadio. vtrique castra posuerunt in natura munitis montibus non multum inter se distantia, vallóque circundato processerunt in aciem: collatísque signis à manè vsque meridiem tam acriter præliabantur, vt multi vtrinque caderent. bellicosa enim Auruncorum gens erat, statura & robore trucique oris aspectu præ se ferens ferum quiddam & terribile. in hoc prælio laudatur equitum Romanorum opera, & in primis ducis eorum A. Posthumij Albi qui dictator superiore anno fuerat. locus enim in quo pugnabatur non capiebat equites, confragosus saxeis tumulis & interruptus profundis angustisq; vallibus, vt neutri parti equi-

tutus qualiscunque posset esse vsui. Ibi Posthumius equitibus iussis descendere, & facto sexcentorum globo, qua maximè parte legiones laborabant, eà hostes inuasit, confestimque repressit illorum impetum. tum reiectis semel barbaris Romanos audacia subiit, accensis equitum æmulatione peditibus: factóque ex vtrisque cuneo dextrum hostium cornu impulsum est vsque ad tumulum. quo factum est vt pars in castra refugiens caderetur ab insequentibus, altera constanter pugnans à tergo circumueniretur. Sed his quoque auersis & laboriose per accliuia fugientibus instabant neruos pedum & poplites succidentes obliquis ictibus donec intra vallum compulsi sunt. cuius propugnatoribus per vim submotis facilè, neque enim multi erant, castra quoque capta & direpta sunt, non magno lucro militum. nihil præter arma equósque & instrumenta belli repertum est. Hæc sunt quæ gessere in suo consulatu Claudius & Seruilius. post hos creati sunt COSS. A. Virgilius Cælimontanus, T. Veturius Geminus, principe Athenis Themistocle, anno ab V. C. ducentesimo, sexagesimo, quorum consulatus præcessit initium septuagesimæ secundæ Olympiadis, qua Tiscrates Crotoniensis vicit iterum. his COSS. Sabini rursus contra popu. Rom. maiorem quàm antè parabant exercitum, & Medullini defecerunt icto cum eis societatis fœdere. quorum mente cognita patritij volebant confestim eos totis adoriri viribus, plebe imperium detrectante. quæ meminerat se toties falsam eorum pollicitationibus de subleuanda inopia, decretis omnibus irritis. itaque cœtus paulatim facientes coniurabant non amplius armis iuuare patritios, & vnicuique inopum adesse contra cuiuscunque violentiam: apparuitque statim ea conspiratio cum in aliis conten-

tionibus & rixis, tum maximè COSS. *delectum habentibus. cum enim citati ad danda nomina venire nollent, iussus est lictor vnum quendam arripere. ac mox conglobati inopes eripuerūt hominem, repulsis & malè mulctatis lictoribus. quod si quis eques aut patritius se interponeret, ne ab his quidem manus abstinebant: paulatímque tota ciuitas confusione ac tumultu, repleta est: & interim dum intus gliscit seditio, foris bellum magno conatu parabatur ab hostibus, Volscis ad defectionem spectantibus, quibus Aequi se adiunxerant, & crebris sociorum legationibus senatum solicitantibus ne se deserat abiectos in via hostibus vrbi bellum inferentibus. Latini enim aiebant agros suos vastari Aequorum populationibus, iámque direpta aliquot oppida. Crustumeriæ quoque præsidiarij significabant Sabinos propè esse, cupidos oppugnandi præsidij: alij aliud malum nuntiabant iam factum aut immineñs, poscentes opera celerem. Iámque & Volscorum legati aderant, à senatu postulantes vt agro suo decedatur, bellum minantes ni fiat. Ergo consultantibus patribus, primus sententiam rogatus T. Largius, dignitate tunc præcellens & prudentia, sic locutus est. Mihi P. C. quæ alij timenda existimant & celeri habere opus remedio, nec timenda videntur nec admodum vrgentia, quæ ad opem sociis ferendam & arcendos hostes attinent. quæ autem illi nec maxima mala putant, nec curam necessariam nunc postulare, negligentes, tanquam nihil damni datura, ea verò mihi horrenda apparent, & nisi reprimantur celeriter extremam confusionem & subuersionem Respubl. allatura, videlicet plebeiorum inobedientia detrectantium iussa consulum, & nostra ipsorum erga refractarios & liberius se gerentes morositas. ego*

certè

certè nunc nihil aliud magis prospiciendum censeo, quàm quomodo sublatis ex vrbe his vitiis, vnanimes maiore publicæ rei quàm priuatæ respectu ciuitatem gubernemus: quæ concors erit satis idonea tuendis amicis terrendísque hostibus: seditionibus verò iactata, vt nunc, neutrum horum præstare poterit: mirum ni seipsam confectura, & hostibus sine labore traditura victoriam. quod per Iouem deósque omnes breui fore opinor, si ita pergamus vt cœpimus. deducti enim sumus vt videtis in duas ciuitates, quarum alteram paupertas & necessitas regunt, alteram superbia & satietas. pudor autem & decorum & ius, in quibus consistit omnis ciuilis societas, ab vtraque exulant. Itaque manu iam iura reddimus, & summum ius ponimus in summa violentia, sicut bestiæ, malentes aduersarios nostro malo perdere, quàm nostra securitati consulendo vnà cum illis manere incolumes. Huic ego rei prospiciendum & super ea consulendum censeo quàm primum legatos absolueritis: quibus ita nunc responderi placet: Volscis repetentibus à nobis quæ victores armis quæsiuimus, & ni reddamus bellum minantibus, dicemus Romanis honestissimè acquisita videri quæ iusto bello parta sint, nec tam stultos esse vt virtutem fraudent suo præmio, sed daturos operam vt huiusmodi possessiones ad nepotes transeant, alioqui si ipsi nobis eas adimeremus, nos ipsos tractaremus hostiliter. Latinis verò laudata prius eorum beneuolentia timorem eximamus iubentes bono esse animo. nunquam enim opem defore, donec in fide popul. Roma. manserint: nec passuros quicquam propter nos, sed maturè affuturas eis copias quantæ ad defensionem sufficiant. Hæc responsa puto fore optima & iustissima: post discessum autem legatorum aio

primum senatum dandum urbanis tumultibus, idque die crastino. hac sententia collaudata à patribus, legati cum iam dictis responsis profecti sunt. Sequenti verò die consules coacto senatu de corrigendis rebus urbanis ad eum retulerunt. ac primus sententiam rogatus P. Virginius vir popularis, mediam viam ingressus dixit: quoniam superiore anno plebs egregiam operam nauauit Reip. Volscorum & Auruncorum validis exercitibus nos inuadētibus opposita, mihi videtur eis quorum ope in bello adiuti sumus concedenda remissio, vt creditoribus nec in corpora eorum ius sit, nec in bona. & idem ius esse parentibus eorum vsque ad auos, natis quoque ad nepotes, in cæteros ius esse creditoribus iuxta obligationes contractuum. Post hūc T. Largius dixit. Mihi P. C. videtur optimum, non hos solos qui in bello fortes fuerunt, verum etiam totam plebem à contractibus liberam facere. nec enim aliter poterimus totam ciuitatem in concordiam redigere. Tertius deinde Ap. Claudius superioris anni COS. dixit. Quoties P. C. de hoc negotio consultandum est, semper eandem obtineo sententiam, plebi permittendum nihil eorum quæ postulat. nisi iustum & honestum. neque summittendos ei generosos ciuitatis animos. neque me hactenus huius consilij pœnitet, alioquin essem mortalium stultißimus, si cùm præterito anno collegæ dissentienti & plebem in me concitanti restiterim constanter in proposito perseuerans, nec terrore flexus, nec precibus, nec gratia: nunc priuatus meipsum deiicerem, & libertatem loquendi proderem. vtcunque cuique vestrum appellare libet hāc animi mei libertatem, siue generositatem siue arrogantiam. nunquam eum inducam vt malis viris æs alienum largiar, imò etiam autores eius sen-

tentiæ

tentiæ oppugnabo alacriter, reputãs quòd omnia vitia & dissensiones, & vt compendio dicam, subuersio ciuitatis ex interuerso ære mutuatitio nascitur. & siue quis prudenter, siue insanè quasi priuata magis quàm publica spectem commoda, siue quomodocunque hæc à me dicta opinabitur, fruatur sua ista opinione per me licet, modò mihi vicissim liceat semper aduersari noua instituta præter patrium morem inducentibus. quoniam autem non de ære alieno vt agatur tempus postulat, sed de præsentaneo quopiam contra seditionem remedio, dictatorem quàm primùm dicendum censeo, qui pro imperio & senatũ & plebem cogat ad consilia Reipubl. vtilissima. aliàs nullus erit horum malorum finis. Finem Appij verborum iunioribus fremitu approbantibus, Seruilius contradicturus assurrexit & aliquot alij seniores qui parati ad hoc venerant: quibus tamen frustra obnitentibus vicit tandem Appij sententia. deinde consules de communi consilio, præter plurimorum opinionem qui Appio dictaturam destinabant vt soli ad hoc idoneo, repulso illo M. Valerium fratrem Publij primi consulis, valde popularem vt apparebat, iam senem creauerunt dictatorem, rati ad terrorem potestatem ipsam sufficere, cæterùm miti viro esse opus in tali negotio, ne rebus exasperatis existeret aliqua nouitas. is inito magistratu, & electo magistro equit. Q. Seruilio, fratre collega Appij, in concionem vocauit populum. qui cùm frequens adesset, tunc primum ex quo Seruilius magistratum deposuerat, & plebs dum ad militiam cogeretur ad manifestariam insolentiam se verterat, pro tribunali sic locutus est: Sat scio Quirites, nunquam vos pœnitere magistratuum gentis Valeriæ, per quã à grauissima tyrannide liberati estis,

& consecuti æquè omnia, permittentes vos arbitrio virorum plebis amantissimorum. quare non opus est vt vos doceam conseruaturos populo libertatem qui eius autores fuerunt, sed vt paucis admoneam, posse vos nobis tutò fidere quicquid polliciti fuerimus. ea enim ætate sumus in quam non cadit doli suspicio, ea dignitate quàm minimè decet temeritas: & quod vitæ superest non alibi agetur quàm inter vos, vt decepti possitis pœnas de me sumere. verùm hæc (vt dixi) apud vos totius rei non ignaros tacebo, vt quæ multis verbis non egeant. Cæterùm quoniam meritò suspectos habetis omnes, toties frustrati ab aliis, qui ad arma in hostem sumenda vos cohortando, quicquid opus haberetis impetraturos se à senatu polliciti nihil hactenus præstiterunt: idem & de me suspicari vos iure non posse, duobus modis fidem faciam: vel quòd senatus me plebis amantissimo non abuteretur ad tale ministerium, cum non desint alij magis idonei: vel quòd non in aliud me ornarit hoc summo imperio, quàm vt quæ priuato visa sint optima, & nunc ad opem vobis ferendam exequar. certè non est cur putetis me prudētem & doli conscium velle vobis inferre iniuriam. quod si me putatis adeò hominum omnium nocentissimum, facite de me quod libet, tantùm suspicionem istam ex animis vestris eximite: iras porrò ab amicis transferte in hostes, qui patria vos & libertate spoliare cogitant, aliísque grauissimis cladibus afficere, & nuntiantur iam non longè abesse à nostris finibus. expedite igitur vos alacriter, ostendite eis quòd etiam inter se dissidentium Romanorum virtus potētior est quàm aliorum concordia. aut enim non expectabūt nos si contra eamus vnanimes, aut meritas pœnas dabunt audaciæ. Sic enim putate, Volscos esse Sa-

binósque

binósque qui bellum nobis inferunt, multis à vobis victos prœliis, & neque maiora corpora afferre, neque fortiores animos, fretos tantum vestra discordia. vbi verò de hostibus vindictam sumpseritis, ego spondeo vobis Senatum non solùm quod nunc de ære alieno contenditis ex æquo & bono concessurum, sed etiam alia virtutis præmia. interim libera sunto omnia corpora, omnia bona Roman. ciuium, abesto ab eis omnis omnium fœneratorum vexatio cuiuscunque obligationis nomine. qui verò fortiter certauerint, iis pro honestissima corona erit incolumitas patriæ, nec minus honesta continget laus à sociis. nos quoque talibus eum honestabimus præmiis, quæ & rem familiarem possint restituere, & clariorem reddere ipsam familiam. Exemplum audendi à me sumite. pro vobis enim periculis me obiiciam, non secus quàm si essem vestrum validissimus. Hæc dicentem tota plebs & libenter audiit loquentem sine fuco ac serio, & mox pollicita est ad bellum suam operam. decem legiones conscriptæ sunt quaternorum millium. ex his ternæ consulibus attributæ sunt & equitum quantum sat erat, reliqui dictatoris auspicia sequebantur cum quatuor legionibus: confestímque maturauerunt iter, in Aequos T. Veturius, in Volscos A. Virginius, ipse dictator Valerius in Sabinos. ad vrbis custodiam cum senioribus & paucis iuniorum T. Largius est relictus. cum Volscis citò debellatum est. fidentes enim maioribus copiis, & obliti superiorum cladium, vt primum Romanos videre, castra contulerunt cum eis: progressíque in aciem, post acrem pugnam maiore clade accepta quàm reddita, in fugam versi sunt: simúlque castra vi capta, & Velitræ expugnatæ nobile gentis eius oppidum, pari modò & Sabinorum su-

perbia intra breue temporis spatium est domita, decretúmque vno prælio: deinde ager vastatus & expugnata aliquot oppidula, unde magna præda tum rerum tum corporum miles potitus est. Aequi autem diffisi suis viribus, postquam audiuere debellatum cum sociis, continebant se locis munitioribus non ausi in aciem procedere, & qua poterant recedebant per saltus aut iuga mõtium, elusis aliquandiu hostibus. non potuerũt tamen incolumem exercitum reducere, castris vi captis, milite Romano audenter euadente per ardua rupium. quo facto fuga se proripuerunt ex agro Latinorum, ac mox secutæ crebræ deditiones oppidorum quæ primo impetu ceperant, aut expugnationes etiam, si qui obstinatè arces retinere contenderent. Valerius re feliciter gesta ex more triumphans urbem inuectus dimisit milites non admodum volente senatu, ne tam citò inopes promissa repeterent. agrum Volscis ademptum diuisit selectis ex inopibus qui contra hostem essent præsidio, & seditiosam in vrbe turbam minuerent. His ita ordinatis petiit à senatu, vt pro nauata in bello opera quod promiserat redderet. quo negligente rem & vt anteà reclamante ipsius sententiæ, non pauci iuniores audaces conspiratione facta aduersabantur viro in curia, etiam in foro totam eius familiam infamantes vt adulatricem plebis & malarum legum autorem. quod vbi dictatori nuntiatum est, esse qui apud populum vociferentur eius consiliis aboleri totam patritiorum potentiam, multum questus de iniustis eorum calumniis cum deploratione infelicis talium consiliorum exitus: & vt fieri solet in talibus aduersitatibus, vel præ dolore, vel vt erat precellenti prudentia multa vaticinatus, è curia se proripuit. aduocata deinde concione

cione ſic populum allocutus eſt. Cum magnam gratiam vobis Quirites haberem ob promptos ad militiam animos, maiorem etiam ob ſpectatam veſtram virtutem in bellicis certaminibus, valde mihi curæ fuit eam vobis referre præſtando quæ ſenatus nomine ſum pollicitus, & reconciliando exaſperatos ſeditionibus animos, ſi monitor & arbiter vtriuſque partis fierem. Sed huic meæ voluntati obſtat quorundam non benè reipublicæ conſulentium & priuatis tantum commodis ſtudentium obſtinatio: qui numero ac viribus cæteros ſuperant, ipſi pro iuuenili ætate feruidiores quàm præſens rerum ſtatus poſtulat. Ego contrà ſenex, vt videtis, ſimiles habeo ſocios, conſilio pollentes, ſed ad ea exequenda deſtitutos viribus: nec aliud nobis eſt reliquum, quàm vt hæc, quam habere videmur, vtilis reipublicæ prouidentia, tranſuerſa abripiatur ſimultatibus & diſsidiis partium, quas ambas offendimus. nam ſenatus me criminatur vt plus ſatis ſtudioſum veſtræ multitudinis: apud vos traducimur quaſi patres conſcriptos maiore proſequamur beneuolentia. Si igitur plebs prior affecta beneficio non ſtetiſſet promiſsis ſenatui, merito pro me reſpondiſſem, veſtrum id mendacium eſſe, me verò alienum à [illegible]a. nunc quoniam ſenatus pollicita ſunt irrita, neceſſe habeo apud plebem cauſam meam agere, non factum id conſenſu meo, ſed fucum factum ambobus, imò mihi magis quàm vobis: cui non ſolum vt cum aliis omnibus decepto ſit iniuria, ſed priuatim etiam male audio, quaſi prædam de hoſte captam egenis plebeiis non ex ſenatus ſententia dederim, captans propria commoda, & nunc ciuium velint nolint bona publicare cupiam: inuitóque ſenatu vos abſoluerim à militia præter diſciplinæ rationem

nem, quos debuerim in hostico castrensibus laboribus durare crebrisque itineribus. Obiicitur mihi & colonorum in Volscos deductio, quòd agrum magnum & bonum non patritiis aut equitibus largitus sim, sed egenis ex vestro numero diuiserim, &, quod eos pessimè habet, quadringenti viri aut amplius censu aucti in equestrem ordinem allecti sint. Hæc si mihi corpore valenti accidissent, declarassem inimicis quali viro contumelia facta sit. nunc quia sum maior septuagenario, nec possum me ipse vlcisci aut defendere, nec vestras seditiones compescere, magistratum depono, & siqui se à me deceptos putant, eis mei corporis potestatem facio, tractent me vt libet. His auditis tota plebs ad miserationem mota è foro discedentem domum deduxit, id quod magis etiam senatum exasperauit. ac mox varij motus secuti sunt. inopes non amplius clam neque noctu vt antea, sed propalam cœtus facientes, consultabant de secedendo à patritiis: senatus verò vetare volens iussit consules nondum exercitus dimittere. habebat enim legiones in potestate quòd sacramento tenerentur, nec possent signa deserere. tanta erat in vnoquoq; iurisiurandi religio. prætexebatur autem causa, quasi Sabini & Aequi contra pop. Rom. conspirauerint. eductis deinde legionibus cum consules vicina inter se castra haberent, milites cum armis in vnum omnes congressi autore quodam Sicinio Belluto, raptis signis defecerunt à consulibus: nihil enim in Romanis castris habetur venerabilius, haud secus quàm deorum simulacra: creatisque nouis tribunis & rei summa delata ad Sicinium, montem quendam occupant situm ad Anienem non longe ab vrbe, qui nunc inde vocatur Sacer mons. cúmque à consulibus & tribunis reuocarentur cum

precib

precibus & lacrymis, multa interim pollicentibus, responderunt dicentes: quid vobis vultis patricij, nunc eos reuocantes, quos ipsi expulistis patria, redactos è libertate in seruitium? aut qua fide promissa vestra firmabitis, toties deprehensi in mendacio? Si ita placet, ut soli urbem habeatis, abite, non erunt vobis molesti humiles & inopes. nos contenti erimus quacumque terra ubi libertatem tueri licebit, eámque patriam nobis putabimus. His in urbem renuntiatis magnus tumultus fuit & comploratio discursúsque per vias, plebeiis urbem deserere parantibus, patritiis eam à proposito diuertere conantibus, aut per vim retinere inuitos etiam: erátque clamor circa portas & trepidatio, nec dictis factísque temperabatur hostilibus, nulla ætatis, amicitiæ, dignitatis, virtutis reuerentia. reiectis deinde custodibus exituum, quòd pauci non valerent subsistere contra impetum multitudinis, tum verò magna pars plebis se effundebat, ut capta urbe plorantibus qui relinquebantur, non sine incusatione mutua desolari urbem videntium. secutæ sunt consultationes multæ, & accusationes eorum qui causam secessioni præbuerant. per idem tempus & hostes prædabundi excurrebant vsque ad mœnia. Sed qui defecerunt milites contenti frumentum in propinquos agros petere, cætera temperabant à maleficiis, sub diuo manentes & receptantes confluentem ad se tam urbanam plebem quàm agrestium è castellis finitimis, crescente in horas numero. refugiebant enim eò non hi soli qui iudicia miseriásque inde secuturas vitabant, verum & alia turba otiosorum ac segnium, nec habentium unde satisfacerent suis cupiditatibus: tum eorum qui malis artibus studebant, aut inuidebant felicioribus, vel quacunque de causa

iniqua

iniquo animo ferebant præsentem statum reipublicæ. At patritij tanto malo [illegible] metuebant ne illi prima quaque occasione cum externo hoste coniuncti facerent in urbem impetum. ac velut signo dato armati unà cum familiaribus & clientelis, pars vias seruabant quà timerent aduentum hostium, pars castella proxima occupabant præsidiis: alij castrametati sunt pro mœnibus. qui verò propter senium nihil horum facere poterant, in mœnibus sunt dispositi. postquam autem urbani cognouere, secessores nec hosti se adiungere, nec agros vastare, nec quidquam damni dare quod alicuius momenti esset, desierunt metuere: & mutata sententia deliberabant quibus reconciliari possent conditionibus: variatúmque est in senatu inter consulares, maximis natu modestè differentibus & pro ratione præsentis temporis: non malitia secessisse plebem, sed partim compulsam calamitatibus, partim inductam à malis consiliariis, & ira magis obsecutam quàm sano iudicio, ut fit in imperita multitudine. præterea ipsos patres sibi conscios, quòd plerique male consuluerint reipublicæ, & correctionem erratorum iam requirere, modo detur honesta occasio. cum igitur præ se ferant pœnitentiam, si bona spe in futurum concepta impunitatem eis decernant, & honestas conditiones præscribant, fore ut illi quoque contenti sint in proprias sedes se recipere. orabant deinde ne præcellentes cætero, deteriores essent quantum ad iracundiam, néve expectarent donec tempus partes conciliet, dementibus necessitate coactis sapere; aut minore malo maiori mederi traditis armis, deditisque in seruitutem liberis hactenus corporibus, id quod videatur penè impossibile. Quod si modestè se gerant patres, initium ab eis fore consiliorum

liorum vtilium, ipsósque priores reconciliationem tentaturos, reputantes quòd ad patritios magis reipublicæ cura pertineat, & bonos viros deceat pacis & amicitiæ principium quærere. Maiestatem porrò senatus non eo detrimentum acceptu-ram, quòd necessarios casus ferens fortiter, tuta sequatur consilia, sed si per iracundiam cladem reipub. afferat. Insanorum autem esse, magis decoro quàm saluti consulere. Optandum enim vtrunque, si possint simul contingere. quod si alterutro carendum sit, honestati præferendam incolumitatem vt magis necessariam. Huc denique tendebat horum admonitio, vt legati mitterentur acturi cum secessoribus de amicitia, quando erratum eorum non sit immedicabile. Placuit id senatui: móxque electi ad eam legationem maximè idonei missi sunt in castra cum mandatis, vt quærerent ab eis, quanam re opus habeant, & quibus legibus in vrbem redire postulent. Si enim æqua petant & possibilia, nō habituros senatum difficilem. nunc si positis armis in vrbem reuertantur, cum impunitate obliuionem offensarum in posterum eis concedere: quòd si strenuam operam reip. præstiterint, & pro patria periculis se fortiter obiecerint, non defutura honesta & commoda præmia. His mandatis expositis apud exercitum legati orationem adiecerunt conuenientem ei tempori. Respuerunt eam inuitationē secessores grauiter inuecti in patritiorum morositatem ac superbiam: quasi verò ignorarent quibus rebus plebs opus habeat, aut quāta necessitate coacta sit secedere. largiri eos sibi secessionis impunitatem, quasi ea penes illos adhuc sit, cum egeant ciuiū auxilio contra externum hostem iamiam affuturum cum totis viribus, contra quos ne vultum quidem possint attollere, qui nunc ipso-

rum

rum salutem putent non tam sibi fore bono, quàm ferentibus opem commodo. postremo sic orationem clauserunt: scire ipsos in qua necessitate constituta sit ciuitas, & breui intellecturos quales habituri sint aduersarios: multa minati insuper. ita legati infecta re ad patritios reuersi exposuerunt quid responsum sit. Tum verò in vrbe multo magis tumultuatum & trepidatum quàm prius: & neque senatus expediebat malorum remedium aut dilationem aliquã, principibus patrum nihil aliud quàm inter se altercantibus: neque plebs vrbana quæ adhuc detinebatur patritiorum fauore aut desiderio patriæ, sui perstabat similis: sed hi quoque clámve palámve magna ex parte diffugiebant, & nihil firmi videbatur reliquum. Interea consules, quorum magistratus pauci menses supererant, indixerunt comitia. quorum tempus vbi aduenit, cum iam deberent in campo ferri suffragia, nemine illum honorem ambiente, ac ne vltro quidem oblatum admittente, ipse designauit consules qui eum magistratum iam antè gesserant, viri ex æquo gratiosi apud optimates ac plebem, Posthumius Cominius & Sp. Cassius, quorum auspiciis Sabini debellati fuerant. Horum consulatus incidit in septuagesimam secundam Olympiada, qua vicit stadio Tisicrates Crotoniensis, principe Athenis Diogneto. Hi cùm maturius solito consulatum iniissent Calend. Septembribus, ante omnia retulerunt ad senatum de plebis reditu: primùmque rogauerunt Agrippam Menenium, virum ętata ętate insignique prudentia, sed maxime laudatum quòd honestè se gereret in cura reip. medius inter partes, neque superbiam fouens optimatium, neque plebi permittens licentiam: qui ad pacem hortans sic locutus est.

est. Si omnes quotquot hîc adestis P. C. eandem mentem haberetis, nec esset qui obstaret paci cum plebe quibuscunque componendæ conditionibus, & de his tantum consultandum esset, paucis exponerem quid ego censeam. nunc quoniam quidam de hoc ipso ambigunt, vtrum satius sit reconciliari plebi, an bellum cum ea gerere, non videtur mihi facile in pauca verba conferre meam sententiam: sed necesse habeo prolixiore vti oratione, vt intelligatis eos qui inter nos a pace abhorrent, parum reip. prospicere, & inaniter nos terrere obiectis leuibus incommodis faciléque medicinam admittentibus, maxima verò & incurabilia mala negligere: quod non aliam ob causam faciunt, nisi quia magis iram quàm rationem in consilium adhibent. Quis enim diceret istos prauidere quid vtile aut possibile, qui putant ciuitatem hanc cuius tam late patet imperium, vt inuidiosa, & grauis sit finitimis, posse in officio continere aut incolumes seruare gentes subditas absque ope plebeiæ multitudinis: aut pro hac quæ secessit, aliam meliorem introducere, quæ foris pugnet pro imperio, domi quiete degat, neutrobi discedens à modestia. quid enim aliud possunt dicere, quo freti à pace nos dehortentur? quàm autem vtrunque hoc stultum sit, vobisipsis considerandum relinquo, reputantibus post discessum infimæ plebeculæ non ferentis quosdam inciuiliter abutentes suis calamitatibus, quæ tamen nihil vobis mali nec facit nec cogitat, tantum honestam pacem expectans; multos esse vobis male volentes qui cupidè arrepta occasione insultantur, iactantes hoc esse illud tempus optatissimum, quando imperium vestrum euertere dabitur. Nam Aequi, Volsci, Sabini, Hernici,

hostes nostri perpetui, & nunc recentibus exasperati cladibus, agros nostros sibi diuidendos spe præcipiunt. Campaniæ verò Hetruriæque quicquid dubia fide reliquimus, aut apertè desciscunt, aut occulte defectionem cogitant. Quin & Latinorum cognata gens videtur parum constans in officio, & fide amicitiæ, verùm eius quoque magna pars nuntiatur laborare nouarum rerum cupidine, quarum pleriqúe omnes natura sunt auidi. Nos qui nuper aliis arma inferebamus, nunc ipsi obsidemur, aruis sine semente relictis: prospectamúsque villas diripi, prædas abigi, seruitia transfugere, nec possumus his malis occurrere & hæc patimur adhuc sperantes cum plebe concordiam, scientes in nobis situm vno senatusconsulto seditionem componere. nec melior est rerum nostrarum status domi quam foris. nam neque sociorum auxiliis instructi sumus contra externam vim, neque ipsi propter vrbanorum infrequentiam ad arcendam sufficimus; infensis nobis tot gentibus. atque in hoc ipso modico & imbelli numero maior pars plebeia est, quotidianis operarum mercedibus se sustentantes clientes nostri & opifices, non admodum firmi custodes periclitantis optimatium regiminis. ad hæc crebri ad secessores transfugæ & reliquos omnes suspectos faciunt. Sed super omnia commeatus per hostes interclusus fame nos iam territat: quod si accesserit inopia, magis etiam terrebit. præterea bellum nunquam finit animos nostros conquiescere: & quod molestissimum est mulierculæ secessorum paruulique pueri & parentes senio confecti, habitu squalido ac miserabili oberrant per fora & compita, plorantes, supplicantes, tangentes dextram vniuscuiusque atque genua, lamentantes suam præsentem, & magis

etiam futuram desolationem, miseranda & non ferenda specie. nemo enim tam immanis est ut ad horum aspectum non turbetur animo & afficiatur hominum infortunio. quapropter si plebeiis fidere nolumus, tollenda sunt è medio & hæc corpora, partim obsidioni ferendæ inutilia, partim dubiæ fidei. quibus expulsis quid virium reliquum erit ad urbis custodiam? aut quibus auxiliis freti audebimus aduersus tot simul ingruentia mala resistere? nam proprium nostrum refugium & vnica firma spes, robur patritiorum paruum est vt videtis, nec dignum ob quod de nobis sentiamus magnifice. quid igitur belli ferendi autores vel ipsi delirant, vel nos decipiunt, ac non potius apertè suadent, sine sanguine ac labore vrbem inimicis iam nunc dedere? At fortasse ipse vaniloquus non timenda timeo: cæterùm vrbi nihil aliud accidere potest quàm mutatio, res non magni negotij. quòd facile fit ex quibusuis gentibus & locis mercenarios colonos & clientelarium vulgus recipere. hoc enim est quod plerique iactant plebis aduersarij, per iocum non omnino vt ipsis videtur stolide. nam eò stultitiæ iam ventum est, vt pro salutaribus sententiis afferantur vota inania. Quos ego libenter rogauerim quantum temporis nobis ad ista exequẽda concedatur, hoste imminente vrbi è proximo. aut quam veniam meretur cunctatio in expectandis auxiliis, aduersitatibus nostris nil cunctantibus? aut quis mortaliũ immortaliũmve interim nos tuebitur, dum per otium vndecunque contrahuntur & huc adducuntur auxilia. Isti verò qui relicta sua quisque patria commigrabunt ad nos, qui tandem erunt? Vtrum domi diuites & honorati vel maiorum suorum nobilitate vel virtute propria? Et quis sustineat relictis domesticis bonis alienorum ma-

horum turpiter fieri particeps? Non enim vt pace ac delitiis vnà nobiscum fruantur huc venient, sed ad bellum & pericula, quorum incertus exitus. An plebeiam & lare carentem introducemus multitudinem, expulsa hinc similem, videlicet æs alienum & mulctationes ac huiusmodi mala libenter quocunque secum translaturam: quam vt demus alioqui frugi & modestam fore, certè vel hoc ipso plebe nostra longe deterior erit, quòd aliena à nostra consuetudine, vita ratione, moribus', legibus, institutione omnium harum rerum imperita, male nobis conueniet. Et indigenarum liberi, vxores, parentes, aliíve affectus hic sunt obsides, atque adeo natalis soli desiderium, quod omnibus inest necessariò, nec potest eximi. At accersitum istud & inquilinum vulgus si nobiscum cohabitet, cum nihil tale hic queat ostendere, nihil boni habebit pro quo se exponat periculis: nisi quis eis promittit agros & partem vrbis ad domicilia, spoliatis horum possessoribus: quæ etiam ciuibus ægrè concedimus post multa pro Republica certamina. ac fortasse ne his quidem solis contenti fuerint, affectaturi etiam honores & magistratus, aliarúmque bonarum rerum communionem ex æquo cum patritiis. Ita fiet vt si non concesserimus quicquid postulauerint, inimicos eos habeamus: si verò permiserimus, pereat Respublica, à nobisipsis pessundata. taceo quòd corporibus bello idoneis nunc opus habemus, non agricolis, nec operariis, nec negotiatoribus, nec opificibus sellulariis, qui bellando discant bella gerere. durum enim est non assueto periculum facere: quales vtique erunt isti collectanei ex omnibus nationibus. at militare auxilium neque vsquam video, neque si se ex improuiso offerret, suaderem recipiend

piendum intra mœnia, cùm constet multas vrbes oppressas à suis præsidiis. Hæc sanè atque alia iam dicta considerantes, simúlque inuitantium vos ad concordiam memores, quódque non nouo exemplo pauperes dissideant a diuitibus, humiles à nobilibus, sed in omnibus vt ita dicam paruísque magnísque ciuitatibus male inter plus & minus conueniat, in quibus Reip. præsides moderatione seruauerunt patrias, superbia verò & sua bona & sese perdiderunt: & quòd quicquid ex multis partibus constat, aliqua vitiosum sit necesse est: præterea neque in humano corpore semper resecandum membrum vitiatum, ne fœdetur reliqui species, & natura breui deficiat: neque à ciuili societate malo aliquo infectam partem excludendam continuo: quod alioquin partibus paulatim depereuntibus vniuersitas ipsa consistere salua haudquaquam valeat: postremo cogitantes necessitatis vim, cui soli coguntur vel dij cedere, ferte æquo animo fortunæ vicissitudines, neque quasi semper futuri compotes votorum túmete arrogantia & inscitia, sed flectimini & cedite, exemplo felicium consiliorum nō aliunde sumpto quam à vobismetipsis. Oportet enim tum ciuitates, tum singulos viros cum seipsis contendere, operámque dare vt posteriores eorum actiones à prioribus non degenerent. Ergo vos ipsi multos infensissimos hostes sub iugum redactos neque occidistis, neque expulistis è sua patria: sed domibus & agris redditis siuistis eos retinere sedes pristinas, nonnullis etiam ciuitatem largiti & ius suffragij: quódque magis mirandum est, vestrorum ciuium multis, post grauia peccata in vos admissa, pœnam remisistis contenti in autores iram effudisse, vt missis colonis Antemnas, Crustumeriam, Medulliam, Fidenas,

multiſque aliis. quorſum enim attinet omnes enumerare, quos vi captos moderatè caſtigeſtis & ciuiliter? nec vllum vnquam ciuitati aut periculum aut dedecus inde accidit: ſed laudatur veſtra clementia, in tuto eſt hac parte ciuitas. Et qui hoſtibus pepercistis, cum amicis pugnabitis? qui perdomitis mulctam remiſiſtis, propugnatores imperij veſtri male mulctabitis? qui vrbem veſtram præbetis omnibus cò refugientibus tutum receptaculum, ſuſtinebitis indigenas ex ea pellere, cum quibus diuturnam habuiſtis conſuetudinem, pariter educati, communium aduerſitatum & felicitatum bello pacéque participes? Non, ſi quod iuſtum eſt & vos decet volueritis facere, & ſine ira quid vtile ſit iudicaueritis. Dixerit aliquis: Nobis quoque placet ſedari diſſidium, & vehementer id cupimus. ſed quonam modo id faciendum, oſtende ſi potes. Vides quanta ſit in plebe arrogantia: quæ cum prior nos læſerit, tamen non dignatur legatos de pacere mittere, ac ne noſtris quidem reſpondet humanè & ciuiliter, ſed tumens faſtu minitatur, nec quid ſibi velit coniectura eſt facilis. Audite igitur meum conſilium. Ego neque plebem tam infenſam nobis exiſtimo vt reconciliari non cupiat, neque facturam quæ minatur, hoc inde conjiciens, quòd dictis facta non reſpondere videam: immo puto eam pacis magis quàm nos cupidam. nos enim habitamus cariſſimam patriam, rem familiarem, domos, parentes, omnia quæ magni faciunt homines in poteſtate noſtra habemus: illa exul aris focíſque caret, orbata propinquis neceſſitudinibus, ne quotidiano quidem victu ſuppetente. Quòd ſi quis roget, cur igitur miſera neque noſtras inuitationes admittit, neque per legatos nobiſcum agit? ei hoc tantum referam: quia per Iouem cum ſemper

eadem

eadem verba à nobis audiat, nihil postea vel humanitatis vel æquitatis videt quod re illis respondeat: & proinde verbis solis se lactari existimat, nobis semper prouisionem aliquam pollicentibus, nunquam pollicita præstantibus. nec potest animum inducere vt legatos mittat, verita ne propter istos accusatores suos quotidianos repulsam patiatur. Aut forte insanæ contentionis id vitium est. Nec mirum, quando hoc pernicax contentionum studium aliquot nostri ordinis occupauit, & vulgato vitio nolunt aduersæ parti cedere, sed quocunque modo vincere, nec prius largiri beneficium, quàm accepturos obnoxios sibi fecerint. Hæc sanè reputans censeo legatos ad plebem mittendos ex his quibus facillimè fidem habitura sit, dandámque eis potestatem res componendi conditionibus quibuscunque ipsis æquum visum fuerit, nihil ad senatum referendo amplius. Ipsi enim se præbebunt faciles, qui nunc videntur nos velut è sublimi despicere, vbi senserint serio vos studere concordiæ, & ad æquiores condescendent conditiones: nihilque inhonestum postulabunt nec impossibile. Sic enim natura comparatum est, vt vel modestissima ingenia exasperentur irritata contumeliis, sed eadem facile mitescant officiis. Hæc Menenij dicta murmur excepit, patribus per partes capita conferentibus: & qui plebi æquiores erant sese inuicem cohortantibus ad omnem operam nauandam quo plebs reducatur in patriam, quandoquidem ducem ad id se præbeat nobilissimus factionis optimatium: diuersæ autem sententiæ hominibus, qui nihil omnino volebant mutari de pristino statu Reip. cum nullum expedirent præsentaneum consilium, non libenter discedentibus à proposito, nec tamen volentibus in eo persistere: integris porrò & neutri

factioni deditis, pacem cupientibus, & id vnum spectantibus quomodo praecaueri posit obsidio. postquã autem omnes conticuerunt, maior consul laudata ingenuitate Menenij, caeteros etiam hortatus ad capessendam curam Reipubl. liberéque promendum quicquid sentiant, & exequendum quae comprobata fuerint sequentem nominatim rogauit M. Valerium, fratrem vnius ex patriae liberatoribus. virum optimatium nemini secundum populari gratia. Qui cũ assurrexisset, primùm cõmemorauit patribus acta sua ciuilia & saepe se praedixisse his calamitates, alijs verba sua nihili facientibus. Deinde suadebat paci reclamantibus, non vt aequitatis rationem haberent, sed quandoquidem seditionem non passi sint eximi ex vrbe priusquam glisceret, nunc saltem dispicerent quomodo tolli queat quantocyus, priusquam iam adultior fortasse insanabilis fiat, aut certè curatu perdifficilis, magnam aliquam calamitatem ipsis afferat. Plebis enim postulata nunc alia fore, nec videri staturam intra eosdem quos antè terminos, & aris alieni remissionem tantum petituram: sed fortasse aliquid etiam auxilij, quo tuta permaneat in posterum. Dictatura enim introducta in Rempub. antiquatam legem per quam libertas eius antea sarta tecta fuerat: quae non sinebat ciuem indemnatum à quoquam interfici, aut plebeios in nexum adiudicari patritijs, sed prouocationem eis concedebat ad populum, absoluendis damnandisue ex eius suffragijs. Aliam quoque potestatem plebi penè in totum ademptam, quae penes eam fuerat superioribus seculis. quando nec triumphum à senatu impetrare potuerit viro nemini virtute secundo & hoc honore dignissimo P. Seruilio. quapropter vulgus offensum meritò male sperare de securitate sua,

quand

quando nec consulis, nec dictatoris fauor sibi profuerit, adeò vt magistratus ipsi ob id studium incurrerint contumeliam. Quæ omnia clam effecta non à gratiosissimo quoque ordinis patritij, sed à contumeliosis quibusdam & iniustorum lucrorum auidissimis: qui ciuibus mutuati pecuniam magno fœnore oppressos abduxerint in seruitiū, & crudeliter eis ac superbè dominando alienauerint vniuersam plebem ab optimatibus: & factione conflata duce Ap. Claudio, viro paucorum potentiæ studioso & infenso plebeijs hominibus, illius opera subuertant Rempub. & nisi sanior senatus pars id genus impedimenta repulerit, periculum esse vrbi ne diripiatur & diruatur ab hostibus. Postremo probari sibi dixit sententiam Menenij & vt propere mittatur legatio. Legatos verò tentare an possint arbitratu suo seditionem comprimere: quod si plebs oblatas conditiones dedignata fuerit, ipsos quascunque illa dederit accipere. Post hunc rogatus est Ap. Claudius, aduersæ plebi factionis vir multum sibijpse tribuens, nec omnino immerito. nam & quotidiana eius vita sobria fuit ac venerabilis, & generosus in administrandis rebus animus, dignitatis optimatium conseruandæ studiosissimus. Is occasione arrepta ex concione Valerij, verba fecit in hunc modum. Rectius existimationi suæ consuluisset Valerius, si contentus suo loco sententiam dicere, temperasset ab incusandis diuersum sentientibus. Sic enim poterat nihil audire de suis ipsius vitijs. nunc quoniam ei non fuit satis id consulere, quod nos in teterrimorum ciuium seruitutem conijciat, verum etiam in sibi aduersantes inuectus, in me quoque velitatus est, valde mihi necesse est ad hæc respondere, & primum ad ea quibus me calumnia-

tus est. Exprobrauit enim mihi nec ciuile nec liberale studium, quòd lucra consectter modis omnibus, multósque pauperes libertate spoliauerim, quódque non minima causa secessionis plebis sim, quorum nihil verum esse neque sanum facilè vobis ostendero. Dic mihi Valeri, scin' aliquem à me nexum ob alienum æs? quos vnquam ciues in neruo habui, aut nunc habeo? quis è secessoribus propter meam crudelitatẽ aut auaritiam caret patria? certè proferes neminem. Tantum enim abest vt alicuius ciuis libertatem ob æs alienum oppresserim, vt multos etiam de meis bonis subleuauerim, remisso debito, nec vnquam quenquam qui soluendo non esset in seruitutem vindicauerim: sed omnes per me sunt liberi, omnes gratiam habent vt clientes & amici deuincti summa necessitudine. Nec hoc dico in accusationem eorum qui non idem faciunt, sed quod legibus permittuntur facere: verùm calumniatori ad meum crimen respondeo. Quòd autem morosum me appellauit & antesignanum malorum hominum, infensúmque plebi & paucorum potentiæ studiosum, insimulans quòd optimatibus faueam: communia hæc mihi vobiscum sunt crimina, quotquot cum sitis ipsi meliores detrectatis deteriorum imperium, & quam à maioribus accepistis Rempub. non fertis degenerare in vilissimam omnium speciem popularis regiminis: non potest enim iste optimatum administrationem significare paucorum potentiæ nomine, vt res per se bona nouato vocabulo adducta in inuidiam pereat: nos iustius & verius exprobraremus ipsi ambitionem & affectationem tyrannidis. constat enim fermè omnes tyrannos ex plebis adulatoribus fieri: & expedita via est ad opprimendam ciuitatis libertatem, quæ per fauorem pessimorum ciuium ducit ad potentiam:

tiam: quos iste semper coluit, ac ne nunc quidem desinit. Scitis vos ipsi nunquam hæc ausuros fuisse viles & abiectos homines, nisi ab hoc magnifico amatore patriæ concitatos spe non impunitatis solum, verum etiam potioris conditionis quàm antea. & hæc verè dici ex ipsius verbis potestis colligere, si meministis dum vos bello terreret, & reconciliationem esse necessariam vellet ostendere, negasse contentos fore pauperes æris alieni remissione, sed postulaturos aliquod auxilium, nec imperium nostrum vt antea laturos. postremo suasisse vt boni consuleremus & permitteremus plebi quascunque leges reditus, nullo honestarum inhonestarúmve, iustarum iniustarúmve discrimine. Tanta arrogantia repleuit insanum vulgus vir senex & nostro fauore omnibus defunctus honoribus. Id verò te dignum erat Valeri, alijs falsa probra obijcere, cum ipse talibus sis obnoxius criminibus? Sed hæc contra istius calumniam suffecerint. Quod verò ad præsentem consultationem attinet, mihi videtur iustum & pop. Rom. dignum nobisque vtile, si quemadmodum à principio dixi, & nunc quoque constanter eadem assevero, non cōfundamus bene constitutum reipub. statum, nec moueamus non mouendos mores acceptos à maioribus, nec tollamus è vita fidem, rem sacram, per quam ciuitatibus contingit securitas: tum ingratæ plebi non cedamus, concupiscenti res iniustas ac nefarias. Tantúmque abest vt ab aduersarijs perterrear. qui ideo vulgus in hac vrbe in me concitant, vt duplo magis quàm antè indigner plebi postulanti talia. Vestram quoque P. C. absurdam mentem demiror, qui quod ei negastis prius quàm ex professo hostis fieret, æris alieni & iudiciorum remissionem petenti, nunc armatæ & hostiliter agenti cōcedere vultis,

vultis, & quicquid illi præterea collibuerit: libebit autem ante omnia postulare ius æquum gerendorum honorum, & vt earundem rerum quarum & nos sint participes. Ergo ad plebis administrationem patiemini res recidere, quæ forma reipub. vt dixi est crassissima, & vobis minime digna qui aspiratis ad imperium. Non, si saperetis: aliâs essetis omnium stultissimi, si dedignati vnius viri tyrannicum dominium, nunc plebis belluæ multorum capitum vosipsi subijciatis tyrānidi, idque non gratus inducti, sed necessitate adacti, quasi verò nihil superfit aliud, nisi præter animi sententiam illi cedere. Quod si semel insensata multitudini pro debita peccato pœna insuper honorari contigerit, quàm arrogantem & superbam putatis fore? non est enim quod speretis his impetratis modestiorem futuram postea, si ab omnibus vobis ea sibi decreta cognouerit. multum hic opinione sua fallitur Menenius, vir integer, & alios ex suis moribus æstimans. perget enim molesta esse per arrogantiam, quæ victoriam comitari solet, & per insipientiam, cui maxima vulgi pars est obnoxia: quod si non statim, certè aliquanto pòst ob vnamquanque repulsam armis arreptis eodem modo vos terrere conabitur. Itaque si prima postulata concesseritis ei pro tempore, mox accersetis vobis aliquid deterius, ac mox rursus aliud illo ipso molestius, quasi & prima illa terrore vobis expresserit, donec postremo vrbe pellamini, sicut in alijs multis ciuitatibus accidit, & nouissimè Syracusis, vbi agrorum domini à colonis suis clientibus pulsi sunt. Sin autem pertæsi tandem eius improbitatem concessuros vos negabitis, quid vetat iam nunc vti ea libertate incipere? præstat enim minore periculo & nondum accepto detrimento ingenuè

genuè

genuè mentem proferre, quam post admissa damna indignari errori præterito, & nihil tale committere amplius, seróque tandem sapere. Nec est quod aut desertorum motu, aut externo bello terreamini, aut desperetis de domesticis viribus, quasi ad vrbis tutelam non sufficiant. nam profugorum istorum vis non diuturna est, nec sicut nunc æstate, ita per hyemem durare sub diuo poterunt in tuguriys, aut rapto viuere consumptis commeatibus. ac ne aliunde quidem comparata aduehere propter inopiam, vt qui nec priuatam vllam pecuniam habeant, nec publicam. nam bella plerunque sustentantur pecuniarum copia. at istis nec pecunia est nec imperium: vnde credibile est secutura dissidia, & ex his confusa irritáque consilia. neque enim dignabuntur Sabinis aut Hetruscis aliisve exteris in seruitutem sese dedere, quibus ipsi prius nobiscum libertatem ademerunt: imò ne fides quidem eis habebitur, quòd post desertam turpiter patriam, non idem facturi sint his à quibus recepti fuerint. Reguntur autem & finitimæ gentes ab optimatibus, nec apud vllam earum plebs æquo iure degit cum proceribus. haud patientur illi, cum in vnaquaque ciuitate plebem contineant in officio, externam istam seditiosam turbam in suas patrias recipi, ne ab admissis in æquam partem hac ipsa priuentur postea. quod si me fallat opinio, & excipiantur ab aliquo populo, tum pro hostibus habiti patientur hostilia. Habemus obsides eorum parentes & coniuges cæterámque cognationem, quo quid optabilius dij concederent? hos in conspectu cognatorum trucidabimus si nos aggredi ausi fuerint, quo nihil eis facere possemus cruciabilius. Qui si audirent vos hoc velle facere, credite mihi mox venirent supplices, & cum lacrymis inermes se vobis dederent

derent quantumuis duris conditionibus. Vehementes enim sunt necessitates huiusmodi, & ad frangendam quamlibet contumaciam valida, redigendámque in nihilum. Iam satis dictum puto cur istos profugos timendos non putem. Externos verò terrores sæpe sensimus intra minas consistere, aut si quid vlterius hostis audeat, res verbis non respondere. Quod autem aliqui verentur ne nobis domestica vires non sufficiant, & ideo bellum timent, sciant se non satis quanta sint intelligere. certè quos desertoribus opponamus habebimus, si voluerimus delectu ex seruitijs habito libertate donare quenque robustissimum: quod satius fuerit, quàm ab illis imperio exui. sunt satis periti rei militaris, vt qui toties interfuere nostris expeditionibus. cæterùm externo hosti obuiam ipsi alacriter ibimus, assumptis omnibus clientelis; & reliqua plebe quæ manet in officio. quam vt alacriorem reddamus ad subeunda pericula, æris alieni remissionem eis largiemur, non in commune sed viritim. Nam si moderatione opus est pro ratione temporis, non erga inimicos cives vtendum est ea, sed erga amicos, quibus persuasi non coacti gratificari videbimur. quod si his copijs non sufficientibus aliunde indigebimus auxilio, è castellis præsidiarios euocabimus, & in colonias dimissos reuocabimus: quorum quanta multitudo sit, è proximo censu licet cognoscere. C X X X M. sunt Romanorum ciuium qui pubertatem attigerint, quorum ne septimam quidem partē numero æquarint profugi. Quid dicam Latinorum X X X. populos, quibus propter cognationem nihil optabilius posset contingere quàm vt pugnent pro nobis, si modo decernatur eis æquum ciuitatis ius, quod petere non desinunt. Finem faciam si vnum etiam

addid

addidero, quod quamuis in bello momenti sit maximi, nec vos animaduertitis, nec consultorum quisquam monuit. Nulla re ad victoriam æquè opus est ac bonis ducibus, his nos abundamus, apud aduersarios rari aut nulli sunt. Numerosa porrò turba si imperitos duces habeat, nihil agit vt decet, sed sua se impedit multitudine, tantóque magis conflictatur quanto maior est. boni verò imperatores etiamsi paruas acceperint copias, augent eas celeriter. proinde quantisper bonos ductores habuerimus, non deerunt qui eorum ductu libenter militent. Hæc igitur cogitantes & gestorum populi Romani memores, nihil humile & vobis ipsis indignum decreueritis. Rogare posset vestrum aliquis: quid igitur nobis faciendum censes? hoc enim forte iamdudum audire cupitis. Nullam ad desertores legationem mittendam, nec ad alienum remittendum, nec faciendum aliud quicquam quod vllam timoris ac trepidationis speciem præ se ferat. Quod si positis armis in urbem reuersi vobis potestatem de se per otium deliberandi fecerint, moderatè statuendum de eis: quando scitis omnes stultos, præsertim vulgus, in humiles superbire, erga superbos se demissè gerere. Vbi Claudius desijt, vociferationes & ingens strepitus in senatu diu fuit. nam qui optimatium factionis videbantur, & de iure suo nolebant decedere, probabant nouissimam hanc sententiam, hortabanturque ambos consules vt meliori parti accederent, memores regiam se potestatem habere non plebeiam. sin minus, saltem æquos se præberent vtrique, donec dinumeratis sententijs appareat maior numerus. quod si neutrum horum facere volentes ad se arbitrium rerum traxerint, negabant se id permissuros, sed reclamaturos verbis

donec licuerit, atque etiam armis repugnaturos si opus sit. erat autem is globus validus, & penè tota patritiorum iuuentus adhærebat huic proposito. pacis studiosis sententia Menenij Valeriique magis placebat, præcipuè senioribus, reputantibus quantæ calamitates soleant ciuilia bella consequi. Sed superante clamore ac petulantia iuuenum, contentionem eorum veriti & contumaciam erga consules, ne forte nisi eis cederetur res ad manus deueniret, versi in preces & lacrymas obtestabantur aduersarios. Sedato tumultu, ægréque reddito silentio, COSS. prius inter se collocuti, hanc tandem suam pronuntiauerunt sententiam. Nos P. C. imprimis vellemus vt omnes consentiretis, cum aliás, tum maximè quoties de publica salute incidit consultatio: sin minus, saltem senioribus vestrum cedere iuniores, & non contendere, cogitantes sibi quoque vbi ad id ætatis ventum fuerit eundem honorem habēdum à natu minoribus. sed quoniam videmus vos ad rixam prolapsos omnium malorum nocentissimam, & arrogantiæ multum in vobis iuuenibus, nunc quia parum diei superest, nec potest quicquam statui tam cito, abite redituri senatu proximo sed cum melioribus mentibus. quòd si à contentionibus non destiteritis, vobis iuuenibus posthac nec iudicibus vtemur nec cōsultoribus. sed imposterum hanc confusionem lege arcebimus, præscripto annorum numero, quem senatores habere oporteat. Seniores verò denuo rogati si dissenserint, contentionem eorum dirimemus ratione compendiaria, quam audire nunc vos operæprecium ducimus. Scitis sanè legem nobis esse iam inde ab V. C. quæ omnia in senatus potestate facit, præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi finiendive arbitrium. horum trium

potest

potestatem esse penes suffragia populi. nunc non de alio consultatur, quàm de bello & pace: quare necesse est nostras sententias confirmari populi calculis. Itaque indictis ex hac lege comitiis, sententias à vobis dictas committemus suffragiis, ut sic optimè tollatur vestra contentio: & quod plurium calculis probatum fuerit, id ratum habebimus. digni sanè sunt hoc honore qui permanserũt in fide reip. nobiscum bonorum malorúmque participes. His dictis senatum dimiserunt. Deinde cum per nuntios iußissent omnem agrestium & castellanorum multitudinem sibi praesto esse, senatúmque in diem certam indixissent, postquam cognouere plenam esse vrbem turbis aduentitiis, patritiósque victos lacrymis, precibus, & querelis quibus à parentibus secessorum & paruulis liberis fatigabantur, ad praestitutam diem summo manè in forum progreßi sunt, refertum vulgo omnis generis: & pro aede Vulcani, vbi concionari mos erat, primùm laudauerunt plebem quòd frequens adesset ac alacris, deinde rogauerunt vt quieti expectarent donec senatusconsultum fieret. domesticos autem secessorum bono animo esse iusserunt, recepturos breui affectus suos carißimos. tum ingreßi curiam & ipsi leniter ac modestè locuti sunt, & alios orabant vt mites & humanas proferrent sententias: primúmque rogauerunt Menenium. Is cum assurrexisset eadem dixit quae anteà, hortando senatum ad reconciliationem: eandem quoque sententiam, propere mittendos ad profugam plebem legatos cum potestate, qui agant de reconciliandis partibus. Post hunc alij consulares secundum aetatis ordinem rogati omnes accedebant Menenij sententiae, donec veniretur ad Appium. Qui surgens, Video, inquit, P. C. & consulibus & vobis

firmè omnibus placere, plebem reduci quibus ipsi libet conditionibus: meq́ ex omnibus qui ante reclamabant solum superesse, & illis exosum, nec vobis utilem. non tamen desistam à pristino proposito, nec mea sponte fraudabo rempub. unius senatoris sententia quo magis nunc ab aliis destituor, eo maiore in precio ero aliquando apud vos: & viuus laudem merebor, defunctus memoriam apud posteros. Faxis Capitoline Iupiter & dij vrbis huius præsides, Semonésque & genij, ut bono commodóque Reipubli. profugi redeant, & ego fallar opinione quam concepi de futuro tempore. quòd si quid mali propter ista consilia ciuitati acciderit, id quod breui apparebit, vos celerem opem & salutem rebus labantibus attuleritis. mihi verò qui nec aliàs vnquam iucunda malui quàm vtilia dicere, nec nunc prodo rempub. meæ securitati consulens, benigni eritis ac propitij. Hæc sunt vota mea: verbis enim non opus est amplius. cæterùm in sententia permaneo, & iis qui urbem non reliquerunt remittendum æs alienum censeo, cum desertoribus verò bellum gerendum modis omnibus, quandiu in armis perstiterint. His dictis obticuit. Approbata senioribus Menenij sententia, vbi ad iuniores secundum ordinem rogandi ventum est, omnibus patribus expectatione arrectis surrexit Sp. Nautius familia natus honestissima. Nam autor eius generis vnus ex Aeneæ sociis fuerat, qui sacerdos Mineruæ in arce Iliensi consecratæ, palladium secum transtulerat, cuius custodia mansit penes successionem gentis Nautiæ. is etiam suis virtutibus conspicuus, videbatur breui consulatum assecuturus. Hic tum exorsus à communi defensione iuuenum, negans eos per contendendi studium aut arrogantiam dissensisse à maioribus natu cum di-

uersam

versam tuerentur sententiam, sed culpam, si quid culpa esset, in feruorem ætatis ad lapsum facilem transferens: tandem ait se fidem suis verbis facturum mutatione sententiæ. Itaque permittere se eis, vt prudentioribus, decernerent quicquid videatur è republica. se nihil contradicturos, sed obsecuturos senioribus. Similia deinde cæteris iuuenibus pollicentibus, præter paucos propinqua cognatione iunctos Appio, consules laudata horum modestia, iussísque vt semper in publicis consiliis ita se gererent, decem legatos elegerunt nobilissimos seniorum, omnes vno excepto consulares. fuerunt autem hi. T. Largius Flauus, Agrippa Menenius C F M. Valerius M F, P. Seruilius P F, P. Posthumius Q F. Tubertus, T. Ebutius T F, Flauus. Ser. Sulpitius P. F. Camerinus, A. Posthumius P. F. Albus, A. Virginius A F Calimontanus, & Sp. Nautius. Dimisso deinde senatu COSS. in comitium progressi S. C. legerunt & legatos produxerunt. Omnibus verò cupientibus mandata eis data cognoscere, apertè responderunt: vt plebem quocunque modo patritiis reconcilient sine dolo malo, reducántque secessores in sua primo quoque tempore. Cum his mandatis legati eadem die profecti sunt. præuenit tamen eorum aduentum rumor eorum quæ in vrbe acta fuerant: móxque totis castris plebs effusa est eis obuiam. erat inter eos qui secesserant vir quidam admodum seditiosus, acri ad prouidendum ingenio expeditáque facundia, nomine L. Iunius, quod illi cõmune erat cum regum expulsore: cognomen Bruti vsurpauit ipse, vt expleret appellationis similitudinem. hac affectatio multis fuit ridiculo, vt per iocum Brutus vocitaretur. Hic cum præfectum castrorum docuisset, consultius esse plebi si se difficilem faciat,

ne iniquioribus legibus consequatur reditum, si aliquantisper aduersetur per commentum quodpiam tragicum: pollicitus se acturum causam plebis, commonstratóque quid dicendum faciendúmve, persuasit homini. Ac mox plebe ad concionem excita, legatis dicendi copia data est, quánam de causa venerint. Tum M. Valerius legatorum maximus natu & popularis maximè, faustis acclamationibus & salutationibus multitudinis gratitudinem testantibus exceptus, postquam hæ consiluerunt, verba fecit in hunc modum. Nihil amplius vetat vos Quirites reuerti ad vestra domicilia, & in gratiam redire cum patribus. Decreuit enim vobis senatus honestum atque vtilem reditum, cum omnium præteritarum offensarum obliuione. nósque quos nouit vestri amantissimos, & à vobis vicissim meritò honoratos, legatos misit cum libera potestate componendi huius negotij: ne nobis opus sit coniecturis vti de vestris voluntatibus, sed audita ex vobis postulatione, quibus legibus cupiatis finiri discordiam, si vestra postulata æqua sint & possibilia, & salua S. P. Q. R. dignitate concedi queant, impetretis à nobis non expectata senatus deliberatione amplius, non procrastinando nec alendo vlterius inuidiam hostium. Hanc igitur senatus gratiam libentes & alacres accipite Quirites pro magna felicitate: diísque gratias agite, quòd pop. Romanus cuius tam latè patet imperium, & senatus penes quem sunt reipub. gubernacula, non soliti aduersariis cedere, in vestrum honorem se submittant, non habita diligenti ratione quid vtrosque deceat, quódve sit superiorum aut inferiorum officium: prioréſque ipsi vos inuitent ad amicitiam, ne superbo quidem responso quod iam legationi proximæ dedistis offensi, condonantes

tes

tes vobis puerilem istum fastum & petulantiam, non aliter quàm indulgentes parentes pueris nondum per ætatem rectè sapientibus: decretáque noua legatione parati nonnihil de iure suo decedere. Tantam ergo felicitatem nacti ne cunctemini indicare quánam re opus habeatis ciues charissimi, & nolite nobis illudere. Missam facite seditionem, ite læti in Vrbem quæ vos genuit & aluit, cui malam educationis gratiam redditis, desolatæ quantum ad vos attinet, & relictæ pecorum pascuis. Quod si hanc occasionem amiseritis, frustra optaueritis similem. Eius verba sic excepit Sicinius. Non ex vna oratione æstimandum est bonum consilium, sed oportet etiam contrariam expendere. Simulque iubebat vt loqueretur qui vellet, pudore atque timore posito. eum enim esse rerum statum, qui pudorem & cunctationem non ferat. Silentio deinde facto cum alius in alium oculos iactantes, requirerent aliquem qui pro vniuersis diceret, nemo existebat, Sicinio sæpius repetēte verba eadem. Tandē vt erat pollicitus, prodiit L. Iunius ille qui Brutus vocari volebat, & magno assensu totius multitudinis talem concionem exorsus est. Metus patritiorum vos Quirites, quo tabescitis, attonitos habere videtur nunc quoque: eóque pressi non audetis in medium proferre quæ iactatis quotidianis sermonibus. fortasse quisque vestrum putat proximū aliquem locuturum pro omnibus suo periculo, ipse malens per tuta incedere, securè pro parte sua fruiturus aliena audacia, iniquo sanè consilio. Si enim idem omnibus esset animus, singulorum timiditas vnà omneis læderet: & dum vnus quisque sibi priuatim prospicit, periret respublica. Ergo si antea nesciebatis finem adesse vestrò timori, & libertatem confirmatam ex quo arripuimus arma, nunc

saltem discite his vos docentibus. Superbi enim & imperiosi homines non iam vt anteà cum iussis & minis ad nos veniunt, sed rogant & inuitant vt redeamus ad propria, incipiuntque vt liberos alloqui. Cur igitur etiam nunc metu attoniti siletis? quin mentem liberam sumitis, & frenis abruptis, quantis iniuriis ab eis affecti sitis, profertis coram omnibus? ô miseri, quid timetis me autore loquendi liberè? Loquar enim ipse cum eis intrepidè nullo respectu periculi, nilque dissimulans: & quoniam Valerius negat quicquam vetare quin redeamus ad propria, postquā senatus concessit reditum, decretúmque addidit de abolenda omnium offensarum memoria: respondebo quod veritas dictat & necessitas postulat. Nos Valeri cum aliæ multæ causæ vetant positis armis vestræ fidei nosipsos committere, tū apertissimæ tres. Primùm quia nos accusatis quasi peccauerimus, & pro beneficio imputatis concessionem reditus. deinde quia inuitatis ad pacem, nec indicatis quibusnam legibus. postremo quia toties decepti & elusi, nihil certi putamus inesse vestris pollicitis. Dicam seorsim de singulis, & à iure incipiam, cuius in omnibus vel priuatis vel publicis disceptationibus prima debet esse ratio. Ergo si vobis iniuriam fecimus, non opus habemus nec obliuione vlla nec venia: ac ne ciuitatem quidem desideramus, habituri sedes quas fata dederint, quæsituri eas Fortuna diisque ducibus. Quòd si vestris iniuriis exagitati compulsi sumus hanc fortunam experiri, quin culpam agnoscitis ingenuè, vobísque magis opus esse ista obliuione ac venia? Nunc verò quam petitis, eam vos dare fingitis: & iram quàm vobis remitti cupitis, remisisse iactatis, confundentes veritatis naturam & iuris rationem inuertentes. Quòd autem afficiatis

iniuria

iniuria non afficiamini, multis magnis plebis beneficiis vel in tuenda libertate vel in parando imperio deuincti, audite. loquar quæ ipsi scitis: & si quid mentiar, sine mora me arguite obsecro. Nostra respub. olim sub regibus fuit, durauitque is status septem ætatibus: totóque illo tempore nihil detrimenti plebs accepit à regibus, præsertim nouissimis: ut interim taceam multas magnas felicitates quas ex illorum principatu percepit. nam præter alia blandimenta, quibus eam sibi obnoxiam, vobis infensam studebant reddere, qui mos est omnium legitimam potestatem in tyrannicam vertere cupientium: cum Suessam vrbem florentem longo bello expugnassent, potuissentque prædam nemine in partem eius admisso retinere sibi, & regum fieri ditissimi, noluerunt, malentes eam cedere vulgo militum, ut nobis præter mancipia & pecora rèsque alias magni pretij, viritim quinque minæ argenti cederent. Quibus nos neglectis quòd potestatem tyrannicè exercerent, non in plebem, sed in vos, facta eorum indignè ferentes, à beneuolis regibus desciuimus, vestras partes secuti: & vnà vobiscum in eos tam in vrbe quàm in castris coorti, illis expulsis vobis principatum eorum detulimus. cúmque sæpius licuisset nobis transire ad exules magnis largitionibus nos solicitantes, non sustinuimus id facere ne vestram fidem desereremus. sed continuata bella periculosissima propter vos pertulimus, quibus iam decimumseptimum annum atterimur, pro communi libertate pugnantes cum omnibus hominibus. vix dum enim constituta republ. ut fieri solet post repentinas mutationes, duobus nobilissimis Hetruscorum populis cum magno exercitu reges reducentibus obuiam profecti, pauci cum multis decreuimus ferro, & alacri-

tate maxima deuictis pulsisq́; hostibus superstiti consuli principatum conseruauimus. nec ita multo pòst Porsena Hetruscorum rege volente exules reducere, & cum totius Hetruriæ viribus veniente, cum pares non essemus longo tempore comparatis regiis copiis, conclusi obsidione, consiliorúmque simul & rerum inopia, perdurando coëgimus regem ex hoste amicum factum discedere. Tertio dein & vltimo regibus reditum tentantibus, cum præsto illis essent triginta Latini nominis populorum auxilia, vos supplices nostram opem implorantes, & vt in quenq; incideretis sodalitates communésque vel educationem vel militiam commemorantes deserere non sustinuimus: ratique nihil honestius aut magnificentius quàm pro vobis pugnare, iecimus periculosam aleam: & cum hoste congressi multis acceptis vulneribus, desideratis multis cognatis amicísque ac contubernalibus vicimus cæsisq́; ducibus extinximus totum genus regium. Hæc sunt quæ vobis pro libertate pugnantibus præstitimus, penè plura quàm pro viribus, vtpote magis necessitate coacti quàm virtutis ostendæ gratia. nunc quàm egregiam operam nauauerimus imperium afferentibus, & maiorem existimationem atque potentiam quærentibus, audite: & si quid à veritate discessero, quemadmodũ à principio dixi, reclamate. Postquam in tuto visa est libertas, non hac contenti ausi estis res nouas moliri, habentes pro hostibus quicunque liberi esse cuperent, & bellum penè omnibus hominibus intentantes: rati ad hæc pericula & cupiditatum vestrarum propugnationem abutendum nostris corporibus. ex eo tempore quoties singulas binásue ciuitates pro libertate pugnantes, partim acie victas, partim expugnatas, sub imperium coëgerimus ta-

ceo.

ceo. quorsum enim attinet minutatim recensere gesta, quæ tantam verborum præbent materiam? malo uti compendio. Vniuersam Hetruriam in [illegible] decim diuisam ducatus, terra marique poten[illegible], quis perdomitam coëgit imperium agnoscere? qu[illegible] ni isti gens tam valida, & imperij æmula, ne [illegible] lius de æquo iure vobiscum contendat, quo[illegible] [illegible]amnam ope factum est? Quid? triginta Latini nominis populos, non potentes solum, verumetiam potiora iura iactantes, quis perdomuit, effecitque vt deditione facta deprecarentur direptiones & diruitiones suarum vrbium? Omitto alia quæ nondum à vobis dissidentes, & ipsi quoque nonnihil commodorum ex imperio sperantes, vnà vobiscum in militia gessimus. Cæterùm postcaquam apertè iam tyrannicam dominationem vsurpantes, deprehensi estis nostra quoque velut mancipiorum abutentes opera, & nostros animos à vobis alienastis, desciscentibus interim subditis penè omnibus, initio defectionis à Volscis orto, . c mox eorum exemplum secutis Aequis, Hernicis, Sabinis, multisque aliis: cum potuissent, si per nos licuisset, alterutrum facere, aut excutere vestrum imperium, aut in posterum moderatiores dominos reddere: meministisne in quantam desperationem de imperio veneritis? & quàm soliciti fueritis ne vel vos desereremus, vel indignatione moti ad hostes transiremus, tum quàm multas preces ac pollicitationes effuderitis? Quid igitur nos humiles & à vobis oppressi fecimus, victi precibus & inducti pollicitis quæ hic Seruilius vir optimus tunc C O S. plebi obtulit? obliti præteritarum iniuriarum, in futurum sperantes melius, nos vobis præbuimus: & quicquid vsquam erat hostium debellatis breui tempore, cum multis captiuis rediimus prædáque egre-

gia. pro ea opera quam nobis reddidistis gratiam? iustam scilicet dignámque talibus periculis. imò nihil minus: frustrati estis nos omnibus quæ consulē iusseratis reipubl. nomine promittere. ipsum hunc virum optimum, quo fueratis abusi ad imposturam faciendam, priuastis triumpho, quem m[...] quàm vllus hominum meruerat: hácque igno[...]nia non ob aliud eum mulctastis, nisi quia suo i[...]re postulabat vt præstaretis pollicita, & ægrè ferebat fucum factum suo nomine. Nuper autem (vnū etiam hoc addam, móxque desinam de iure disserere) cùm in vos Aequi, Sabini, Volsci, de communi sententia consurrexissent, concitarént q; alios, nónne ad nos coacti estis refugere, venerandi viri & graues ad vile vulgus & humile, nihil non pollicentes præsentis salutis gratia. & ne nos rursum, ut sæpè antè, decipere velle videremini, prætexistis fraudi hunc M. Valerium virum plebi gratissimum: cuius fide inducti, quasi nullo modo à dictatore, præsertim erga nos benigno decipiendi, socij vobis & huius belli fuimus, hostémq; multis magnis præliis vicimus. cumque spe citius debellatum fuisset egregiè, tantum abfuistis à reddenda plebi gratia, ut nos inuitos in armis & sub signis retinere voluerītis, vt possetis promissa irritare, sicut decreueratis à principio. Dictatore verò ægrè ferente tum vestram iniustitiam, tum suum dedecus, relatísque signis dimittente militem, vos arrepta occasione fallendi & ipsum affecistis iniuria, nec nobis quicquam ex pactis est redditum: vnóq; hoc facto violastis ius triplici nomine, maiestate senatus diminuta, fide huius viri fracta, benefactoribus nulla pro labore gratia reddita. Hæc aliaq; huiusmodi multa cum possemus vobis patritiis obiicere, non dignabamur fieri supplices, nec velut post graue aliquid admissum

admissum, impunitatis & obliuionis iniuriarum conditionibus reditum impetrare. Non tamen hæc diligentius excutienda nunc arbitror, quando acturi de concordia conuenimus, sed obliuioni tradenda potius. Quin igitur apertè dicitis, quæ nam afferatis mandata, quidve ipsi petatis, quanam spe iubetis nos vrbem repetere? quam fortunam sequi? quo gaudio, quibus excipiendos gratulationibus? nihil humanitatis aut benignitatis nobis afferri hactenus audiuimus, non honores, non magistratus, non leuamen inopiæ, non quicquam aliud. Quanquam non opus est quid facturi sitis dicere, sed quid feceritis, vt percepto aliquo beneficio, possimus ex eo coniecturam de cæteris futuris sumere. Respondebunt opinor, venire se cum libera potestate agendi de rebus quibuslibet: & ratum fore quicquid inter nos conuenerit. Sit ita, fiat nūc quod sequi debet, nihil contradico. Sed cupio ex ipsis discere, vbi nos conditiones proposuerimus, quibus recipi velimus in vrbem, eásq; impetrauerimus, quis erit sponsor pacta non fore irrita? quis erit fideiussor, positis armis tuto nos posse in horum potestatem concedere? vtrum credemus futuro senatusconsulto? nam nondum vllum super hoc negotio factum est. & quid vetat id antiquari posterioribus, quando Appio & eius factioni visum fuerit? an dignitati legatorum suam fidem interponentium? atqui per hos deceperunt nos & antea. an diis testibus, iureiurando firmata fide? at hæc mihi magis quàm humana suspecta est, quando eam à potestatibus contemni video. Et societates quæ inter imperandi auidos & libertatis tenaces non sponte coëunt, sæpe iam didici tantisper durare, quandiu eas coniungit necessitas. quanam igitur hic potest intercedere amicitia,

vbi non ex animo colemus alteri alteros, factionibus obseruantibus suas opportunitates temporum? Certè suspiciones & mutua calumniæ non aberunt, & odium ac inuidia, cateráque vitiorum genera, vtrisque alteros dolo præuenire contendentibus, & in mora periculum intelligentibus. Nihil aut
C *est ciuili bello peius confeßione omnium, in quo vi*
C *ctos sequitur miseria, victores impietas, & alteri*
C *carißimis perimuntur, alteri perdunt carißimos. ad tales fortunas nec vos vocate patritij, nec vos plebeij obsequimini vocantibus, & quando nos fortuna diuisit, contenti simus eius beneficio. habeant sibi vrbem totam & sine nobis ea fruantur eiusque commoditatibus, quando nos humilem & ingloriam plebem è patria libuit eiicere. eamus & nos quocunque fortuna duxerit, existimantes alienam vrbem non nostram deseri: quando nostrum nemo hic relinquit agellum aut larem aut sacra commmunia aut dignitatem velut in patria, vt inuiti retineamur eorum desiderio: immo ne libertas quidem superest armis parta & laboribus. omnia vel bellum absumpsit vel quotidiana inopia, & si quid relictum est, cessit his superbis fœneratoribus. ad vltimum eò miseriæ ventum est, vt nostros agros illis cogamur colere, fodiendo, plantando, arando, pecora pascendo, nostrorum mancipiorum conserui, pars catenis nexi, pars pedicis, nonnulli velut truculentißimæ bestiæ compedibus ligneis, vel millis ferreis. taceo tormenta & contumelias, flagráque & labores continuatos à summo mane ad noctem vsque, reliquásque iniuriarum neceßitates & intolerabilem*
C *superbiam. tot tantis malis bono quodam euentu*
C *liberati fugiamus læti quisque pro viribus, deo*
C *duce fortunáque, qui nobis ad salutem viam muniunt.*

niunt, habituri libertatem pro patria, virtutem pro domesticis facultatibus. quauis enim terra nos excipiet, conuicturos innocenter & vtiliter. exemplo nobis sint multi Græci, plurimi barbari, præcipuè verò horum simul & nostri autores generis: quorum pars Aeneæ ductu in Europam profecti ex Asia condiderunt vrbem in Latio, pars aliquanto pòst ex Alba secuti Romulum, coloniam deduxerunt in loca quæ nunc relinquimus. nobis verò triplo maiores quàm illis vires sunt, & causa migrandi iustior. Ilienses enim migrauerunt pulsi ab hostibus, nos verò hinc à ciuibus. minus autem miserabile ab alienis pelli quàm à domesticis. Tum qui secuti sunt auspicia Romuli, meliorem terram prætulerunt patriæ. nos autem qui hactenus vrbe patriáque caruimus, nec diis inuisam, nec hominibus molestam, nec terræ cuiquam grauem deducimus coloniam: non cruenta cæde conflictati cum expulsoribus, nec igni ferróque vastata terra quam deserimus, nec alio monumento relicto sempiternæ inimicitiæ, sicut mos est contra pacis fœdera violatis & in necessitates huiusmodi redactis nationibus: sed deos geniósque testati qui iustè moderantur res mortalium, illísque committentes vindictam. Illud vnum postulamus qui habemus in vrbe paruos liberos & parentes, aut etiam vxores si quæ volunt esse nostræ fortunæ comites, vt earum corpora nobis recipere liceat. hoc nobis sufficit, nec aliud quicquam petimus è patria: sed valete felices & viuite vt libet, quando tam inciuiliter & auarè vos erga humiliores geritis. Sic Brutus dixit: visúsque est tum de iure suo tum de senatus superbia vera dixisse, præsertim quod ad dubiam conditionum fidem & fraudulentiam attinet. ad vltimam autem iniuriarum commemoration

rationem quas à fœneratoribus pertulerant, renouata singulis miseriarum suarum memoria, ne mi erat adeo rigidus vt contineret lacrymas aut abstineret à lamentationibus, id quod etiam his qui à senatu venerant accidit. nam nec legati tempera bant à lacrymis, cogitantes secessionis miserias: diúque mœstum silentium eos tenuit, lacrymantes & quidnam ad hæc dicendum dubios. vt verò lamentis cessantibus concioni quies reddita, prodiit ad respondendum is qui cæteros ciues videbatur ætate ac dignitate antecedere T. Largius bis consul, qui dictaturæ summa cum laude gestæ plurimum sacræ cuiusdam maiestatis addiderat, cum ea potestas aliás inuidiosa sit. aggressúsque de iure differere, & nunc fœneratores vt immanes criminans, nunc inopes taxans, quòd male faciant, malentes vi extorquere æris alieni remissionem quàm impetrare gratia, & irasci senatui qui nihil æquum concedat, potius quàm his qui in culpa sunt: ostendere conatus minimam plebis partem non data opera peccare, coactámque longa inopia remissionem petere, plurimos verò qua in luxum & intemperantiam profundant rapinis velle quærere: discernendósque censens sceleftos à miserabilibus, & à benignitate opus habentibus dignos odio: aliáque in hanc sententiam locutus vera quidem, cæterúm non perinde grata audientibus, nihil proficiebat, obmurmurante ad singula multitudine, aliis indignantibus refricari dolorem, aliis apertè vera eum dicere fatentibus. sed hi pauciores erant alteris, vt obscurarentur in turba, præpollente clamore indignantium. cúmque præterea Largius adiecisset pauca in temeritatem eorum & rebellationem: excipiens eius verba dux plebeiorum Sicinius magis etiam exasperabat eorum animos, dicens

dicens eos vel ex his posse discere, qui honores, quæ gratia reuersos in patriam maneant. quibus enim nunc in ipso grauissimorum periculorum articulo plebis opem inuocantibus nulla verba humanitatis ac modestiæ in mentem veniant, quales putandos si res ex voto successerint, & quos nunc contumeliosis verbis lacerant, potestati suæ habuerint obnoxios. à quibus iniuriis temperaturos, quibus tormentis, quibus immanitatibus tyrannicis. Si vobis, inquit, placet seruitutem seruire toto vitæ tempore, & vinculorum, verberum, ignis, ferri, famis, cæterísque iniuriis atteri, quid cunctamini proiectis armis & manibus post terga reflexis in vrbem eos sequi? quod si libertatis amore tenemini, nolite eos ferre amplius. Et vos legati aut reditus leges dicite, aut si hoc non vultis, relicta concione discedite. non enim audiemus vos postea. Hæc ducis verba secutus est multitudinis approbantis fremitus. qui vbi consiluit, tum Agrippa Menenius plebis apud senatum patronus & eius legationis autor, significauit se quoque velle aliquid dicere. Id verò pergratum fuit plebi, tum demum speranti audituram se conditiones veras & salutares parti vtrique. ac primùm ore vno acclamatum est vt diceret: mox tantum silentium tota concio præbuit, vt nemo se moueret vestigio. Ille post alia quædam ad eorum ingenium & voluntatem dicta quàm potuit appositissime, postremo sermonem clausit fabula ad Aesopearum formulam conficta: quæ quoniam vt ad rem præsentem accommodatissima visa est maximè flexisse plebem, celebratur omnibus priscis historiis. Locutus est autem in hanc sententiam. Nos à senatu missi sumus ad vos Quirites, nec pro illo responsuri, nec accusaturi vos: non enim hic status ciuitatis præsens aut

fortun

fortuna postulat: sed modis omnibus daturi operam vt compositis dissidiis in pristinum ordinem restituatur Respublica cúmque in hoc potestatem acceperimus liberam, non opus videtur de iure disserere, quod prolixa oratione fecit Iunius. quod verò ad æquas pacis conditiones & confirmationẽ ac fidem earum attinet, quid ipsi censeamus audite. Nos animaduertentes quamlibet seditionem in quauis ciuitate rectè curari, si tollantur eius caussæ, necessarium duximus præcipuas huius dissidij caussas cognoscere atque eximere. compertóque quòd inclementes æris alieni exactiones præsentium malorum caussa fuerint, sic eas corrigimus. Qui soluendo non sunt, iis omnibus æs alienum remitti æquum videtur. Et si quorum corpora elapso iam legitimo termino creditoribus sunt obnoxia, hæc quoque placet esse libera. Et si qui per iudices addicti sunt creditoribus, & hos liberos esse volumus, eorúmque mulctas irritas facimus. & de præteritis quidem contractibus, propter quos hæc secessio videtur facta, ita statuimus. de futuris verò quicquid ex vestra & senatus populique sententia communi statutum fuerit, id pro lege habeatur. Nónne hæc sunt quæ vos plebeios alienauerunt à patritiis, & his impetratis contentos vos fore putabatis, nec desideraturos quicquam præterea? dantur nunc vobis. Ite nunc læti in patriam. Fides autem & certa conuentorum confirmatio erit ea quæ solennis est omnibus in gratiam redeuntibus. Senatusconsulto hæc sancientur, & inter leges incisa referentur in ærarium. vel potius nos hic scribamus quod videbitur, & senatus assentiet. Vt autem hæc quæ conceduntur rata fore certum sit, nec senatum quicquam contrà moliturum, primùm nos legati vobis corpora & animas & familias nostras opp

ſtras oppignerabimus, deinde alij ſenatores idem facient, quorum in S.C. aſcribentur nomina. non enim nobis inuitis quicquam ſcribetur quod plebi officiat. nos enim ſumus ſenatus proceres, & primi ſententias dicimus. Vltima fides eſt communis omnium Græcarum ac barbararum gentium, quam ex earum vſu nullum tempus eximet, videlicet iuſiurandum & icta diis teſtibus fœdera: quæ multas priuatorum ſimultates, multa populorum bella finiit. hæc quoque dabitur, ſiue paucos principes pro toto ſenatu iuſiurandum interponere permittitis, ſiue mauultis omnes ſenatores, quorum nomina S.C. aſcribentur, iurare per omnia ſacra, vtique ſeruaturos ſe conditiones fœderis. huiuſmodi autem fidem dextráſque diis teſtibus acceptas & datas calumniari Brute deſine, nec è vita tolle rem pulcherrimam: neque vos cæteri auſcultate memoranti hominum impiorum & tyrannicorum ſcelera, à quibus Romana virtus abeſt plurimum. vnam etiam dicam nemini vel ignotam vel dubiam, nec addam amplius. Quam tandem? Communem vtilitatem, quæ alteros ſeruat per alteros. hæc nos prima & ſola contraxit in vnum, nec vnquã ſinet ſeparari ab inuicem. eget enim ſempérque egebit imperita multitudo prudentibus ducibus: itidem qui præeſſe poſſunt & rebus conſulere, opus habent aliquibus qui parere velint: idq; non rationibus tantum, verum etiam quotidianis experimentis diſcimus. Quid igitur terremus & terremur inuicem? quid malis dictis vtimur, cùm bona facta ſint præ manibus? Quin potius obuiis brachiis complexi nos inuicem abimus in patriam, frui turi priſtina carorum conſuetudine iucundiſſima, & ſuauiſſimum expleturi deſiderium? At nos requirimus ſecuritates parum ſecuras, & fides infi-

 das,

[illegible]

modo poterit vt corpus duret diutius, ac non intra paucos dies fame consumatur genere mortis pessimo? nemo negare potest. Eodem sanè modo & de ciuitate cogitate. nam & hanc conficiunt multa hominum genera inter se dissimilia, quorum quodque proprium aliquem vsum in commune confert sicut membra suo corpori. quidam agros colunt, pro his pugnant alij contra hostes, alij mercaturam exercentes per mare important multa commoda, sunt qui necessaria tractant opificia. quod si omnes hi contra senatum ex optimatibus constantem insurgendo dicerent: tu verò quid nobis boni facis? cur aliis imperare postulas? non enim vllam causam afferre potes. nunquámne nos vindicabimus ab hac tua tyrannide? nunquámne sine principe degemus? hæc inquam si sibi proponerent, & à consuetis studiis discederent, quid vetabit hanc ciuitatem malam male perire, fame, bello, aliis omnibus calamitatibus ingruentibus? Discite igitur Quirites, sicut in nostris corporibus venter iste à multis male audiens, alit corpus dum alitur, & seruat dum seruatur, estque velut commune penuarium, suum cuique attribuens conseruánsque pacem omnium: ita in ciuitatibus dispensantem publica senatum & cuique conuenienter prouidentem, omnia seruare, custodire, corrigere: & desinite inuidiosas in eum voces iactare, expulsos vos patria per eum vt errones & mendicos vagari. nihil enim mali vobis fecit, nec faciet: sed reuocat & orat obuiisque manibus & portis patentibus vos excipit. Dum hæc loqueretur Menenius, multæ variæque voces existebant per totam concionem, vt quídque dicebat: postremo cum in fine orationis versus ad lamenta proponeret calamitates vtrisque imminentes tam relictis quàm

expulsis, deploraréntque horum miserias, effusi in lachrymas vna voce conclamauerunt, duceret se in vrbem, nec tempus tereret. Nec multum aberat quin celeriter è concione abirent re tota legatis commissa, nihil amplius de securitate curantes, ni Brutus cohibuisset eum impetum, dicens rectè habere cætera quæ senatus plebi offerat, habendámque pro his magnam gratiam. Vereri se tamen futurum tempus & quorundam animos tyrannicos ne iras seruent, quas per occasionem in plebem effundant. Vnam porro securitatem esse omnibus qui se potentiores timent: si certum sit, etiamsi velint lædere illi, nocendi potestatem eis defore. quandiu enim malis relinquatur potestas malefaciendi, adfore & voluntatem procul dubio. hanc igitur securitatem si plebs assequatur, nihil opus fore præterea. Cúmque Menenius iuberet eum dicere, quænam sit illa securitas qua putet indigere plebem amplius: Concedite, inquit, nobis creare annuos magistratus aliquot nostri ordinis, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi vt oppreßis iniuria plebeiis & vim patientibus succurrant, nec patiantur quenquam fraudari iure suo, hoc à vobis precibus contendimus præter illa quæ vltro dedistis, si non verbis, sed re vera de pace agitur. His auditis plebs virum laudauit magnis acclamationibus, rogabátque legatos vt sibi hoc concederent. tum legati è concione secedentes post breue colloquium redeunt: factóque silentio Menenius ita locutus est. Hæc res Quirites magna est, & multis plena suspicionibus absurdis: timor etiam & cura quædam nos subit, ne forte duas ciuitates faciamus in vna: tamen quantum in nobis est ne has quidem preces vestras repellimus. hoc tamen nobis concedite, quod & in rem

vestr

vestram est, permittite legatos in vrbem reuerti & senatui hæc proponere, quamuis enim potestatem habeamus ab eo pacem nostro arbitratu componere, & quicquid placuerit promittere, ipsi tamen non æquum censemus tantum nobis sumere: sed quia præter opinionem occurrit nobis res noua, potestatem hanc deponentes, ad senatum rem totam referimus. confidimus tamen ei quoque probatum iri eadem quæ nobis probantur. Ego igitur hic manebo & mecum legatorum pars. Valerius ibit cum reliquis. Placuit hoc: properéque conscensis equis aduolarunt in vrbem qui significarent senatui quid agatur. & COSS. ad senatum referentibus, Valerius censebat concedendam plebi hanc gratiam. Appius verò qui ab initio paci contradixerat, tunc quoque se opponebat, vociferans, deos obtestans, prædicénsque quantarum reipublicæ calamitatũ semen iacerent. sed nihil proficiebat, quòd maxima pars (vt dixi) ad pacem esset proclimior. factúmque est S. C. quod & cætera legatorum pollicita plebi confirmabat, & hanc securitatem quam peterent permittebat. His ordinatis legati sequenti die in castra reuersi senatus placita indicauerunt. deinde plebs monitu Meneniĵ misit ad senatum qui ab eo fidem acciperent, L. Iunium Brutum, de quo iam dixi, cum eóque M. Decium & Sp. Icilium. ex Senatus autem legatis media pars cum Bruto in vrbem profecta est: Agrippa cum reliquis mansit in castris, rogatus à plebe vt legem præscriberet qua magistratus crearent. Sequenti die Brutus vnà cum collegis aderat, pace cum senatu per feciales quos vocant composita. Plebs curiatis comitiis annuos magistratus creauit L. Iunium Brutum, C. Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat, cum hisque

C. & P. Licinios, & Sp. Icilium Rugam. hi quinque primi tribunitiam potestatem acceperunt, ad quartum Iduum Decembrium: quemadmodum fit & nostro tempore. post peracta comitia legatis senatus videbantur bene se habere omnia quorum causa missi fuerant. Brutus verò concione aduocata suasit plebi vt eum magistratum sacrosanctum & inuiolabilem esse decerneret, lege in hoc lata & iureiurando addito quo confirmaretur hæc securitas. placuit hoc omnibus, léxque à tribunis scripta est. eius verba sunt: Tribunum inuitum nemo, vt vnum è vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto: nec occidito, nec occidere iubeto. Si quis contra fecerit, sacer esto: & bona eius Cereri dicata sunto. & qui eum occiderit, purus à cæde esto. Et ne in posterum plebi potestas esset abrogare hanc legem, sed perpetuo maneret immobilis, adacti sunt omnes ciues iurare per sacra omnia, vtique vsuros se hac lege in sempiternum & ipsos & posteros, additáque imprecatio: ita eius confirmatores superos ac inferos habeant propicios, transgressores verò iratos vtrosque, vt obligati grauissimo scelere. Indéque mos apud Romanos obtinuit, vt Tribunorum corpora sacrosancta sint, qui manet vsque ad nostrum seculum. his ita decretis aram posuerunt in vertice montis eius in quo castra habebant, sacrarúntque Ioui Fauno, cognomine iuxta ipsorum linguam ducto à panicis quibus tum infestati fuerant terroribus quo sacrificiis placato, consecratóque loco, redierunt in vrbem legatis deducentibus: & hic quoque persolutis pro gratiarum actione victimis, impetratáque sui magistratus confirmatione à patritiis, petierunt à senatu permitti sibi vt quotannis duos è plebe

crearent subministraturos tribunis quicquid opus sit, & lites nonnullas eorum permissu dijudicaturos, ædiúmque sacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habituros. hoc quoque per senatum concesso creauerunt quos tum ministros & socios Tribunorum ac iudices appellabant: nunc verò ab officiorum vno Aediles vocant, potestatem habentes alterius magistratus ministram vt antea. curant autem multas magnas res. sunt'que maxima ex parte Græcorum agoranomis similes. Pace domi parta & restituta in pristinum ordinem republica, externorum bellorum causa delectus sunt habiti magna plebis alacritate, ita vt intra breue temporis spatium ad bellum parata fuerint omnia: ac mox consulibus ex more sortitis munia, Spurio Cassio cura rerum vrbanarum obtigit, relictúmque militum quantum ad præsidium vrbis videretur sufficere. cæteras copias eduxit Posthumius Cominius, nec tantum legiones, sed & Latinorum non contemnenda auxilia: primósque Volscos aggressus vi cepit oppidum eorum Longulam, ausis oppidanis prodire obuiam, & venientem arcere, sed turpiter compulsis intra mœnia, & ne hac quidem fortiter defendentibus. vno igitur die tum ager eorum sine puluere (vt vulgus loquitur) in potestatem redactus est, tum oppidum ipsum expugnatum non magno negotio. Consul præda militibus concessa, & relicto ibi præsidio duxit Polustiam non procul à Longula dissitam: nemineque obuio facile agrum emensus admouit exercitum ad mœnia. ibi milites pars valuis portarum excisis, pars per scalas superato muro, primo die oppugnationis oppido potiti sunt. quo capto in paucos defectionis autores animaduertit, reliquos pecuniis & ar-

mis mulctatos populi Romani iussa facere coëgit in posterum. Hic quoque relicta modica manu militum, sequenti die cum exercitu Coriolos petijt vrbem nobilem & quasi caput Volscorum, in quam bene munitam validus exercitus se receperat, & apparatus bellicus iam antè ibi inerat. hanc cum vsque ad vesperam oppugnasset, amißis suorum compluribus repulsus est. postero die comparatis arietibus, vineis, & scalis instauraturus erat oppugnationem totis viribus: sed cognito aduentu Antiatium Coriolanis propter cognationem magna manu succurrentium, diuiso exercitu dimidium ad oppugnationem reliquit cum legato Tito Largio, reliquo hostem arcere proposuit. eodem die res vtrobique gesta est feliciter, omnium egregia opera, sed vnius viri virtute incredibili vix referenda ostentantis facinora. is genere patritius erat, non obscuris natus parentibus, nomine Cn. Marcius, homo frugi & perliberali ac generoso animo. pugnatum est autem vtrobique in hunc modum. Largius prima luce admoto exercitu ad Coriolana mœnia multis locis tentabat aditum. oppidani verò erecti Antiatium auxilio, quod credebant iamiam affore, omnibus portis apertis simul in hostem fecerunt impetum. Romani primam impreßionem exceperunt fortiter, irruentibus inferentes multa vulnera: deinde pluribus eodem procurrentibus impulsi per decliuia, cedentes in castra refugiebant reliqui: solus Marcius de quo dixi, hoc viso cum paucis restitit, excipiens aduersum cuneum. prostratísque aliquot, reliquos in vrbem se recipientes persequebatur, cadens interim quotquot assequebatur, & suos ex fuga ad se reuocans: effecitque vt præ pudore in hostem conuersi, breui mutatis vicibus eum ad mœnia repellerent. & Marcius iam audacius

vrge

vrgebat, ita vt tergo hærens fugientium per portam unà cum suis irrumperet. ac mox aliquot locis intra vrbem pugnabatur, multis vtrinque cadentibus, tum per vias, tum in expugnationibus adium. nec otiosæ erant mulieres, è tectis petentes hostem tegulis, & pro se quisque quantum poterat opem ferebat patriæ. non tamen diu restiterunt, coacti dedere se victoribus. capta in hunc modum vrbe milites ad prædam versi diripiebant bona & mancipia. At Marcius qui primus impetum hostium retulerat, insignémque præ alijs operam in expugnatione nauauerat, in secunda pugna cõtra Antiates maiorem etiam virtutem præstitit: nec enim æquum putabat vel huic deesse prælio. sed mox post deditionem cum paucis qui consequi poterant accurrit: cúmque offendisset instructas iam acies mox congressuras, & vbem captam primus suis nuntiauit, fumum ostendens erumpentem ex incensis domibus, & locum à COS. impetrauit aduersum hostium robori. signis deinde canentibus primus oppositos aggressus, multis cæsis in mediam perrupit aciem. nam Antiates non sustinentes eum cominus, quà se inferret loco cedebant, & corona circundatum eminus telis impetebant. ibi Posthumus veritus ne desolato grauius aliquid accideret, auxilio submisit globum validissimorum iuuenum, vt hostes disijceret: qui aperta ferro via, fusísque aduersarijs, impetu elati vlterius, inuenerunt Marcium consauciatum vndique, & circa eum stratos multos occisos aut semineces. huic adiuncti ductu eius reliquos inuaserunt qui etiam tum seruabant ordines, cadentes quotquot resisterent haud aliter quàm mancipia vilissima. memorabilem operam ediderunt in ea pugna Romani milites, cum alij, tum præcipuè qui Marcium protexerant: sed om-

rationem quas à fœneratoribus pertulerant, renouata singulis miseriarum suarum memoria, ne mi erat adeo rigidus vt contineret lacrymas aut abstineret à lamentationibus, id quod etiam his qui à senatu venerant accidit. nam nec legati tempera bant à lacrymis, cogitantes secessionis miserias: diúque mœstum silentium eos tenuit, lacrymantes & quidnam ad hæc dicendum dubios. vt verò lamentis cessantibus concioni quies reddita, prodiit ad respondendum is qui cæteros ciues videbatur ætate ac dignitate antecedere T. Largius bis consul, qui dictatura summa cum laude gesta plurimum sacra cuiusdam maiestatis addiderat, cum ea potestas aliás inuidiosa sit. aggressúsque de iure disserere, & nunc fœneratores vt immanes criminans, nunc inopes taxans, quòd male faciant, malentes vi extorquere æris alieni remissionem quàm impetrare gratia, & irasci senatui qui nihil æquum concedat, potius quàm his qui in culpa sunt: ostendere conatus minimam plebis partem non data opera peccare, coactámque longa inopia remissionem petere, plurimos verò quæ in luxum & intemperantiam profundant rapinis velle quærere: discernendósque censens scelestos à miserabilibus, & à benignitate opus habentibus dignos odio: aliáque in hanc sententiam locutus vera quidem, cæterùm non perinde grata audientibus, nihil proficiebat, obmurmurante ad singula multitudine, aliis indignantibus refricari dolorem, aliis apertè vera eum dicere fatentibus. sed hi pauciores erant alteris, vt obscurarentur in turba, præpollente clamore indignantium. cúmque præterea Largius adiecisset pauca in temeritatem eorum & rebellationem: excipiens eius verba dux plebeiorum Sicinius magis etiam exasperabat eorum animos,

dicens

dicens eos vel ex his posse discere, qui honores, quæ gratiæ reuersos in patriam maneant. quibus enim nunc in ipso grauissimorum periculorum articulo plebis opem inuocantibus nulla verba humanitatis ac modestiæ in mentem veniant, quales putandos si res ex voto successerint, & quos nunc contumeliosis verbis lacerant, potestati suæ habuerint obnoxios. à quibus iniuriis temperaturos, quibus tormentis, quibus immanitatibus tyrannicis. Si vobis, inquit, placet seruitutem seruire toto vitæ tempore, & vinculorum, verberum, ignis, ferri, famis, cæterísque iniuriis atteri, quid cunctamini proiectis armis & manibus post terga reflexis in vrbem eos sequi? quod si libertatis amore tenemini, nolite eos ferre amplius. Et vos legati aut reditus leges dicite, aut si hoc non vultis, relicta concione discedite. non enim audiemus vos postea. Hæc ducis verba secutus est multitudinis approbantis fremitus. qui vbi consiluit, tum Agrippa Menenius plebis apud senatum patronus & eius legationis autor, significauit se quoque velle aliquid dicere. Id verò pergratum fuit plebi, tum demum speranti audituram se conditiones veras & salutares parti vtrique. ac primùm ore vno acclamatum est vt diceret: mox tantum silentium tota concio prabuit, vt nemo se moueret vestigio. Ille post alia quædam ad eorum ingenium & voluntatem dicta quàm potuit appositissime, postremo sermonem clausit fabula ad Aesopearum formulam conficta: quæ quoniam vt ad rem præsentem accommodatissima visa est maximè flexisse plebem, celebratur omnibus priscis historiis. Locutus est autem in hanc sententiam. Nos à senatu missi sumus ad vos Quirites, nec pro illo responsuri, nec accusaturi vos: non enim hic status ciuitatis præsens aut

fortun

fortuna postulat: sed modis omnibus daturi operam vt compositis dißidiis in pristinum ordinem restituatur Respublica cúmque in hoc potestatem acceperimus liberam, non opus videtur de iure disserere, quod prolixa oratione fecit Iunius. quod verò ad æquas pacis conditiones & confirmationē ac fidem earum attinet, quid ipsi censeamus audite. Nos animaduertentes quamlibet seditionem in quauis ciuitate rectè curari, si tollantur eius causæ, necessarium duximus præcipuas huius dißidij causas cognoscere atque eximere. compertóque quòd inclementes æris alieni exactiones præsentium malorum causa fuerint, sic eas corrigimus. Qui soluendo non sunt, iis omnibus æs alienum remitti æquum videtur. Et si quorum corpora elapso iam legitimo termino creditoribus sunt obnoxia, hæc quoque placet esse libera. Et si qui per iudices addicti sunt creditoribus, & hos liberos esse volumus, eorúmque mulctas irritas facimus. & de præteritis quidem contractibus, propter quos hæc secessio videtur facta, ita statuimus. de futuris verò quicquid ex vestra & senatus populique sententia communi statutum fuerit, id pro lege habeatur. Nónne hæc sunt quæ vos plebeios alienauerunt à patritiis, & his impetratis contentos vos fore putabatis, nec desideraturos quicquam præterea? dantur nunc vobis. Ite nunc læti in patriam. Fides autem & certa conuentorum confirmatio erit ea quæ solennis est omnibus in gratiam redeuntibus. Senatusconsulto hæc sancientur, & inter leges incisa referentur in ærarium. vel potius nos hic scribamus quod videbitur, & senatus assentiet. Vt autem hæc quæ conceduntur rata fore certum sit, ne senatum quicquam contrà moliturum, primùm nos legati vobis corpora & animas & familias nostras opp

stras opp

ſtras oppignerabimus, deinde alij ſenatores idem facient, quorum in S. C. aſcribentur nomina. non enim nobis inuitis quicquam ſcribetur quod plebi officiat. nos enim ſumus ſenatus proceres, & primi ſententias dicimus. Vltima fides eſt communis omnium Græcarum ac barbararum gentium, quam ex earum vſu nullum tempus eximet, videlicet iuſiurandum & icta diis teſtibus fœdera: quæ multas priuatorum ſimultates, multa populorum bella finit. hæc quoque dabitur, ſiue paucos principes pro toto ſenatu iuſiurandum interponere permittitis, ſiue mauultis omnes ſenatores, quorum nomina S. C. aſcribentur, iurare per omnia ſacra, utique ſeruaturos ſe conditiones fœderis. huiuſmodi autem fidem dextráſque diis teſtibus acceptas & datas calumniari Brute deſine, nec è vita tolle rem pulcherrimam: neque vos cæteri auſcultate memoranti hominum impiorum & tyrannicorum ſcelera, à quibus Romana virtus abeſt plurimum. vnam etiam dicam nemini vel ignotam vel dubiam, nec addam amplius. Quam tandem? Communem vtilitatem, quæ alteros ſeruat per alteros. hæc nos prima & ſola contraxit in vnum, nec vnquã ſinet ſeparari ab inuicem. eget enim ſempérque egebit imperita multitudo prudentibus ducibus: itidem qui praeſſe poſſunt & rebus conſulere, opus habent aliquibus qui parere velint: idq́ non rationibus tantum, verum etiam quotidianis experimentis diſcimus. Quid igitur terremus & terremur inuicem? quid malis dictis vtimur, cùm bona facta ſint præ manibus? Quin potius obuiis brachiis complexi nos inuicem abimus in patriam, fruituri priſtina carorum conſuetudine iucundiſſima, & ſuauiſſimum expleturi deſiderium? At nos requirimus ſecuritates parum ſecuras, & fides inſi-

fidas, quasi hostes infensissimi suspicantes omnia in deterius. Nobis quidem senatoribus una fides sufficit, vos plebeios post reditum bonos fore ergà nos, videlicet non ignota vestra bona disciplina, studia legitima, & virtus domi militiæque spectata sæpius. Quòd si videtur fides ad componendas res & confirmandam meliorum spem necessaria, nos certè vobis bene fidimus, nec moramur iusiurandum aut obsides & id genus alia: vobis tamen nihil æquum negabimus. atque hæc de fide suffecerint, quam Brutus conatus est convellere. Quod si qua in vobis residet mala de senatu cogitatio, libet nonnihil hac quoque de re dicere, quod vos Quirites per deos oro vt attenti audiatis per silentium. Videtur ciuitas humano corpori similis. Vtrunque enim constat è multis partibus, quarum singula nec eandem vim habent, nec vsus pares exhibent. Iam si per se quæque humani corporis pars proprium sensum itémque vocem accipiat, deinde si ditione inter eas orta reliquæ omnes contra vnũ ventrem conspirent, dicántque pedes, totum sibi corpus incumbere, tum manus, opificia se exercere, victum comparare, cum hostibus pugnare, aliásque vtilitates in commune conferre, item humeri onera se baiulare omnia: caput, videre se & audire: os, loqui se, alimentorúmque sapores discernere: deinde ventri dicant: tu verò bone quid horum facis? ad quid prodes? quam nobis refers gratiam? immo tantum abest vt aliquid in commune conferas, vt officias etiam & interturbes, nec ferendus sis nobis, cogens ministrare tibi & vndecunque conquirere quæ tuas cupiditates expleant. age asseramus nos in libertatem, & excutiamus tot occupationes quas sustinemus huius gratia. Si hæc eis placeant, & nulla posthac faciat suum officium, fierine vllo

modo

modo poterit ut corpus duret diutius, ac non intra paucos dies fame consumatur genere mortis pessimo? nemo negare potest. Eodem sanè modo & de ciuitate cogitate. nam & hanc conficiunt multa hominum genera inter se dissimilia, quorum quodque proprium aliquem vsum in commune confert sicut membra suo corpori. quidam agros colunt, pro his pugnant alij contra hostes, alij mercaturam exercentes per mare important multa commoda, sunt qui necessaria tractant opificia. quod si omnes hi contra senatum ex optimatibus constantem insurgendo dicerent: tu verò quid nobis boni facis? cur aliis imperare postulas? non enim vllam caussam afferre potes. nunquámne nos vindicabimus ab hac tua tyrannide? nunquámne sine principe degemus? hæc inquam si sibi proponerent, & à consuetis studiis discederent, quid vetabit hanc ciuitatem malam male perire, fame, bello, aliis omnibus calamitatibus ingruentibus? Discite igitur Quirites, sicut in nostris corporibus venter istè à multis male audiens, alit corpus dum alitur, & seruat dum seruatur, estq; velut commune penuarium, suam cuique attribuens conseruánsque pacem omnium: ita in ciuitatibus dispensantem publica senatum & cuique conuenienter prouidentem, omnia seruare, custodire, corrigere: & desinite inuidiosas in eum voces iactare, expulsos vos patria per eum vt errones & mendicos vagari. nihil enim mali vobis fecit, nec faciet: sed reuocat & orat obuiisque manibus & portis patentibus vos excipit. Dum hæc loqueretur Menenius, multæ variæque voces existebant per totam concionem, vt quidque dicebat: postremo cum in fine orationis versus ad lamenta proponeret calamitates vtrisq; imminentes tam reliquis quàm

expulsis, deplorarétque horum miserias, effusi in lachrymas vna voce conclamauerunt, duceret se in vrbem, nec tempus tereret. Nec multum aberat quin celeriter è concione abirent re tota legatis commissa, nihil amplius de securitate curantes, ni Brutus cohibuisset eum impetum, dicens rectè habere cætera quæ senatus plebi offerat, habendámque pro his magnam gratiam. Vereri se tamen futurum tempus & quorundam animos tyrannicos ne iras seruent, quas per occasionem in plebem effundant. Vnam porro securitatem esse omnibus qui se potentiores timent: si certum sit, etiamsi velint lædere illi, nocendi potestatem eis defore. quandiu enim malis relinquatur potestas malefaciendi, adfore & voluntatem procul dubio. hanc igitur securitatem si plebs assequatur, nihil opus fore præterea. Cum'que Menenius iuberet eum dicere, quænam sit illa securitas qua putet indigere plebem amplius: Concedite, inquit, nobis creare annuos magistratus aliquot nostri ordinis, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi vt oppressis iniuria plebeiis & vim patientibus succurrant, nec patiantur quenquam fraudari iure suo, hoc à vobis precibus contendimus præter illa quæ vltro dedistis, si non verbis, sed re vera de pace agitur. His auditis plebs virum laudauit magnis acclamationibus, rogabátque legatos vt sibi hoc concederent. tum legati è concione secedentes post breue colloquium redeunt: factóque silentio Menenius ita locutus est. Hæc res Quirites magna est, & multis plena suspicionibus absurdis: timor etiam & cura quædam nos subit, ne forte duas ciuitates faciamus in vna: tamen quantum in nobis est ne has quidem preces vestras repellimus. hec tamen nobis concedite, quod & in rem

vestr

vestram est, permittite legatos in vrbem reuerti & senatui hac proponere, quamuis enim potestatem habeamus ab eo pacem nostro arbitratu componere, & quicquid placuerit promittere, ipsi tamen non æquum censemus tantum nobis sumere: sed quia præter opinionem occurrit nobis res noua, potestatem hanc deponentes, ad senatum rem totam referimus. confidimus tamen ei quoque probatum iri eadem quæ nobis probantur. Ego igitur hic manebo & mecum legatorum pars. Valerius ibit cum reliquis. Placuit hoc: properéque conscensis equis aduolarunt in vrbem qui significarent senatui quid agatur. & COSS. ad senatum referentibus, Valerius censebat concedendam plebi hanc gratiam. Appius verò qui ab initio paci contradixerat, tunc quoque se opponebat, vociferans, deos obtestans, prædicénsque quantarum reipublicæ calamitatũ semen iacerent. sed nihil proficiebat, quòd maxima pars (vt dixi) ad pacem esset proclivior. factúmque est S. C. quod & cætera legatorum pollicita plebi confirmabat, & hanc securitatem quam peterent permittebat. His ordinatis legati sequenti die in castra reuersi senatus placita indicauerunt. deinde plebs monitu Menenij misit ad senatum qui ab eo fidem acciperent, L. Iunium Brutum, de quo iam dixi, cum eóque M. Decium & Sp. Icilium. ex Senatus autem legatis media pars cum Bruto in vrbem profecta est: Agrippa cum reliquis mansit in castris, rogatus à plebe vt legem præscriberet qua magistratus crearent. Sequenti die Brutus vnà cum collegis aderat, pace cum senatu per feciales quos vocant composita. Plebs curiatis comitiis annuos magistratus creauit L. Iunium Brutum, C. Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat, cum hísque

C. & P. Licinios, & Sp. Icilium Rugam. hi quinque primi tribunitiam potestatem acceperunt, ad quartum Iduum Decembrium: quemadmodum fit & nostro tempore. post peracta comitia legatis senatus videbantur bene se habere omnia quorum causa missi fuerant. Brutus verò concione aduocata suasit plebi vt eum magistratum sacrosanctum & inuiolabilem esse decerneret, lege in hoc lata & iureiurando addito quo confirmaretur hæc securitas. placuit hoc omnibus, léxque à tribunis scripta est. eius verba sunt: Tribunum inuitum nemo, vt vnum è vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare iubeto: nec occidito, nec occidere iubeto. Si quis contra fecerit, sacer esto: & bona eius Cereri dicata sunto. & qui eum occiderit, purus à cæde esto. Et ne in posterum plebi potestas esset abrogare hanc legem, sed perpetuo maneret immobilis, adacti sunt omnes ciues iurare per sacra omnia, vtique vsuros se hac lege in sempiternum & ipsos & posteros, additáque imprecatio: ita eius confirmatores superos ac inferos habeant propicios, transgressores verò iratos vtrosque, vt obligati grauissimo scelere. Indéque mos apud Romanos obtinuit, vt Tribunorum corpora sacrosancta sint, qui manet vsque ad nostrum seculum. his ita decretis aram posuerunt in vertice montis eius in quo castra habebant, sacraruntque Ioui Fanno, cognomine iuxta ipsorum linguam ducto à panicis quibus tum infestati fuerant terroribus quo sacrificiis placato, consecratóque loco, redierunt in vrbem legatis deducentibus: & hic quoque persolutis pro gratiarum actione victimis, impetratáque sui magistratus confirmatione à patritiis, petierunt à senatu permitti sibi vt quotannis duos è plebe

crearent subministraturos tribunis quicquid opus sit, & lites nonnullas eorum permissu dijudicaturos, ædiúmque sacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habituros. hoc quoque per senatum concesso creauerunt quos tum ministros & socios Tribunorum ac iudices appellabant: nunc verò ab officiorum vno Aediles vocant, potestatem habentes alterius magistratus ministram vt antea. curant autem multas magnas res. sunt'que maxima ex parte Græcorum agoranomis similes. Pace domi parta & restituta in pristinum ordinem republica, externorum bellorum causa delectus sunt habiti magna plebis alacritate, ita vt intra breue temporis spatium ad bellum parata fuerint omnia: ac mox consulibus ex more sortitis munia, Spurio Cassio cura rerum vrbanarum obtigit, relictúmque militum quantum ad præsidium vrbis videretur sufficere. cæteras copias eduxit Posthumius Cominius, nec tantum legiones, sed & Latinorum non contemnenda auxilia: primósque Volscos aggressus vi cepit oppidum eorum Longulam, ausis oppidanis prodire obuiam, & venientem arcere, sed turpiter compulsis intra mœnia, & ne hac quidem fortiter defendentibus. vno igitur die tum ager eorum sine puluere (vt vulgus loquitur) in potestatem redactus est, tum oppidum ipsum expugnatum non magno negotio. Consul præda militibus concessa, & relicto ibi præsidio duxit Polustiam non procul à Longula dißitam: neminéque obuio facile agrum emensus admouit exercitum ad mœnia. ibi milites pars valuis portarum excisis, pars per scalas superato muro, primo die oppugnationis oppido potiti sunt. quo capto in paucos defectionis autores animaduertit, reliquos pecunijs & ar-

mis mulctatos populi Romani iussu facere coëgit in posterum. Hic quoque relicta modica manu militum, sequenti die cum exercitu Coriolos petijt urbem nobilem & quasi caput Volscorum, in quam bene munitam validus exercitus se receperat, & apparatus bellicus iam antè ibi inerat. hanc cum vsque ad vesperam oppugnasset, amissis suorum compluribus repulsus est. postero die comparatis arietibus, vineis, & scalis instauraturus erat oppugnationem totis viribus: sed cognito aduentu Antiatium Coriolanis propter cognationem magna manu succurrentium, diuiso exercitu dimidium ad oppugnationem reliquit cum legato Tito Largio, reliquo hostem arcere proposuit. eodem die res vtrobique gesta est feliciter, omnium egregia opera, sed vnius viri virtute incredibili vix referenda ostentantis facinora. is genere patritius erat, non obscuris natus parentibus, nomine Cn. Marcius, homo frugi & perliberali ac generoso animo. pugnatum est autem vtrobique in hunc modum. Largius prima luce admoto exercitu ad Coriolana mœnia multis locis tentabat aditum. oppidani verò erecti Antiatium auxilio, quod credebant iamiam affore, omnibus portis apertis simul in hostem fecerunt impetum. Romani primam impressionem exceperunt fortiter, irruentibus inferentes multa vulnera: deinde pluribus eodem procurrentibus impulsi per decliuia, cedentes in castra refugiebant reliqui: solus Marcius de quo dixi, hoc viso cum paucis restitit, excipiens aduersum cuneum. prostratísque aliquot, reliquos in urbem se recipientes persequebatur, cædens interim quotquot assequebatur, & suos ex fuga ad se reuocans: effecitque vt præ pudore in hostem conuersi, breui mutatis vicibus eum ad mœnia repellerent. & Marcius iam audacius

vrge

vrgebat, ita vt tergo hærens fugientium per portam vnà cum suis irrumperet. ac mox aliquot locis intra vrbem pugnabatur, multis vtrinque cadentibus, tum per vias, tum in expugnationibus ædium. nec otiosæ erant mulieres, è tectis petentes hostem tegulis, & pro se quisque quantum poterat opem ferebat patriæ. non tamen diu restiterunt, coacti dedere se victoribus. capta in hunc modum vrbe milites ad prædam versi diripiebant bona & mancipia. At Marcius qui primus impetum hostium retulerat, insignémque præ alijs operam in expugnatione nauauerat, in secunda pugna cōtra Antiates maiorem etiam virtutem præstitit: nec enim æquum putabat vel huic deesse prælio. sed mox post deditionem cum paucis qui consequi poterant accurrit: cúmque offendisset instructas iam acies mox congressuras, & vbem captam primus suis nuntiauit, fumum ostendens erumpentem ex incensis domibus, & locum à COS. impetrauit aduersum hostium robori. signis deinde canentibus primus oppositos aggressus, multis cæsis in mediam perrupit aciem. nam Antiates non sustinentes eum cominus, quà se inferret loco ced.bant, & corona circundatum eminus telis impetebant. ibi Posthumus veritus ne desolato grauius aliquid accideret, auxilio submisit globum validißimorum iuuenum, vt hostes disijceret: qui aperta ferro via, fusísque aduersarijs, impetu elati vlterius, inuenerunt Marcium consauciatum vndíque, & circa eum stratos multos occisos aut semineces. huic adiuncti ductu eius reliquos inuaserunt qui etiam tum seruabant ordines, cædentes quotquot resisterent haud aliter quàm mancipia vilißima. memorabilem operam ediderunt in ea pugna Romani milites, cum alij, tum præcipuè qui Marcium protexerant: sed om-

nes superauit ipse Marcius, cui citra controuersiam imputabatur victoria. crepusculo tandem milites retulerunt se in castra, læti eo successu, multis Antiatium cæsis, multos etiam captiuos secum ducentes. Sequenti verò die Posthumius aduocato in concionem exercitu prolixè laudauit Marcium, coronis honoratum virtutis ergò, aliisque donis militaribus: inter quæ fuit equus faleratus, & decem captiua corpora ex optione ipsius, argentique quantum ipse ferre posset, & ex reliqua præda honestæ primitiæ. militibus verò acclamatione crebra gratulantibus, Marcius ad consulem accedens ait se pro honore habere gratias ei cæterisque omnibus: non tamen se vsurum eius liberalitate, contentum equo propter falerarum pulchritudinem, & vno captiuo qui hospes sibi fuit. tum milites qui prius venerabantur viri fortitudinem, magis etiam diuitiarum contemptum admirati sunt, & in tanta felicitate tantam modestiam: ex quo facinore Coriolanus cognominatus est, omnium ætatis suæ nobilissimus. Post eam pugnam reliqui Volscorum populi pacati sunt, & si qui alij bellum cogitabant, Antiatium clade territi aut arma posuerunt, aut ne sumere quidem ausi sunt. quibus omnibus clementer habitis Posthumius domum reduxit exercitum. alter consul Cassius in vrbe relictus interim ædem Cereris & Liberi Liberæque dedicauit, quæ est in fine circi maximi super ipsos carceres sita, bello Latino ab A. Posthumio dictatore vota pro salute reipublicæ, & post victoriam ex S. C. locata, absoluta ex manubijs his consulibus. quorum consulatu etiam cum Latinorum populis omnibus fœdus renouatum est, & instauratæ amicitia: quoniam seditionis tempore nihil contra populum Romanum mouerant, & publicè gratulati

lati plebis reditum, fidelem operam nauauerant contra populos qui à Romanis defecerant. continebantur autem hæc in eo fœdere. Romanis & Latinorum populis omnibus mutua pax esto dum cælum & terra stationem eandem obtinent: & neutri alteris bellum inferant, aut aliunde hostes inducant, nec bellum inferentibus iter tutum præbeant: & bello infestatis opem ferant totis viribus, prædámque ac spolia ex æquo diuidant. de priuatis contractibus lites iudicio dirimantur intra decem dies in foro eius populi vbi contractus is factus sit. conditionibus fœderis nihil addatur aut demetur nisi ex consensu Romanorum & Latinorum populorum omnium. in has conditiones fœdus inter vtrosque ictum est, iuratúmque per sacra omnia. Supplicationes etiam senatus decreuit ob plebis in gratiam reditum, & ferijs Latinis diem tertium addidit, cum prius duo tantum fuerint, primus consecratus à rege Tarquinio quo tempore deuicit Hetruriam, alter à populo additus, quando regibus pulsis libertatem adeptus est. tunc verò tertius accessit post reconciliatam plebem patribus. Earum feriarum & sacrificiorum certaminúmque curam Senatus commisit ædilibus, ornatis prius prætexta & sella eburnea, regijs insignibus, nec ita multo post consularium vnus Agrippa Menenius diem suum obijt, is qui de Sabinis triumphauerat: cuius etiam suasu senatus profugis concesserat reditum, & cuius fidem secuta plebs ab armis discesserat: elatúsque est impensis publicis. & sepultus magnificentissimè. nam priuatæ facultates hominis non sufficiebant ad honestum funus & sepulcrum: quamobrem tutores liberorum decreuerãt vt vnum è vulgo efferre & humo condere. At non

perm

permisit hoc plebs: & tribuni aduocata concione multis laudibus prosecuti eius memoriam, commemoratisque gestis eius tam bellicis quàm ciuilibus, temperantia quoque ac frugalitate, maximéque pecuniarum abstinentia, indecorum aiebant tantum virum ignobiliter & humiliter sepeliri ob inopiam: autorésq; plebi fuerunt vt in funeris sumptum conferrent quantum ipsis libeat: quibus libenter obtemperatum est, confectáque mox ex collatitia stipe magna vis pecuniæ. cæterùm senatum pudor cepit hoc cognito, rem indignam, nobilissimum Romanorum sepeliri collatis à plebe viritim assibus: decreuitque sumptum ex ærario, cõmissa hac cura quæstoribus. qui multo ære funus locauerunt libitinarijs, corpusque ornatum magnificentissimè pari apparatu cætero sepelierunt pro dignitate ac virtute hominis. nec tamen plebs patribus cessit in honoranda defuncti memoria, noluítque collectitium illud æs à quæstoribus recipere: sed largita est ipsius liberis, miserata inopiam, ne exercerent aliquid indignum paternis virtutibus. Eodem tempore & census actus est, censáque capitum centum & decem millia, eóque amplius. atq; hæc sunt gesta his consulibus.

DIONY

DIONYSII
ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.
Antiquitatũ siue Originum Romanarum,
LIBER VII.

In quo annonæ difficultas eiúsque remedia. digreſsio de Ariſtodemo. Volſcorum motus. Tribunorum plebis conciones in ſenatum. Lex de concionibus. Cn. Marcij Coriolani in Volſcos expeditio. eiuſdem conciones in pleb. Tribunorum pleb. in eum impetus. Conciones Bruti, Appij, M. Valerij. Coriolani exilium. De ludis digreſsio. tempus trium omnino annorum.

TITO *Geganio Macerino*, P. *Minucio* COSS. *annona caritas vrbem inuaſit ex ſeceßione orta. plebs enim à patritijs ſeceſſerat poſt æquinoctium autumnale, ſub ipſum ſementis initium: agérque per hos motus à colonis deſertus eſt, dum ditiores ſenatum & patritios, inops autem ac mercenarium vulgus plebis partes ſequitur: manſerúntque ita ſeparatim donec rurſus in vnum coiret ciuitas, quod paulo ante brumam contigit. medio temporis ſpatio, quod maximè ſementi faciendæ eſt appoſitum, rura colonis erant vacua: atque etiam poſt agricola-*

rum

rum reditum aliquandiu cultura agri poterat reparari propter seruitiorum fugam & perniciem iumentorum quibus opus erat, nec multum parati fuit in sequentem annum vel alimentorum vel seminum. Quo cognito senatus legationes dimisit in Hetruriam & Campanos atque Pomptinos campos ad coëmenda frumenta pro viribus. In Siciliam missi sunt P. Valerius & L. Geganius, alter filius Publicolæ, alter Geganij COS. *frater: in qua tum oppidatim tyranni regnabant, & inter hos eminentissimus Gelo Dinomenis filius, qui recens tum in Hippocratis fratris sui dominationem successerat, non Dionysius Syracusanus, vt Licinius scripsit & Gellius aliique aliquot Romani historici, non habita ratione temporum vt res ipsa indicat, sed temere narrantes quicquid in mentem venerit. nam hæc legatio secundo anno septuagesimæsecundæ Olymp. nauigauit in Siciliam principe Athenarum Hybilide,* XVII. *annis elapsis post pulsos reges, vt constat inter hos & alios ferme omnes autores: Dionysius senior anno ab hinc quinto & octuagesimo Syracusis inuasit tyrannidem anno tertio Olimpiad. nonagesimætertiæ principe Athenis Callia qui successit Antigeni. Ferendum erat siquis paucis annis falleretur in supputatione temporum, præsertim in prisca & multorum annorum historia, sed totis duabus aut tribus ætatibus à vero recedere non permittitur. mihi videntur posteriores secuti errorem primi alicuius, qui hoc tantum in priscis commentarijs inuenerat, his* COSS. *legatos missos in Siciliam frumenti comparandi gratia, & aduexisse inde à tyranno donatum: nec amplius scrutatus Græcorum historias quis tum fuerit tyrannus Siciliæ, temere & inconsiderate Dionysij nomen*

posuit. Illi igitur Siciliam petentes aduersas tempestates habuerunt, & circumnauigare insulam coacti sero ad tyrannum peruenerunt, exactáque ibi hyeme, in Italiam æstate demum reuersi aduexerunt multū commeatuum. Qui verò in Pomptinum campum missi sunt, parum abfuit quin à Volscis interficerentur pro exploratoribus, falsò delati ab exulibus Romanis: ægréque seruati à suis hospitibus amissa pecunia réque infecta in vrbem reuersi sunt. Idem accidit his qui Cumas venêre. cum enim in hac vrbe multi Romani degerent, qui cum Tarquinio rege euaserāt ex vltimo prælio, primò à tyranno ad mortem deposcebant hos viros, quo non impetrato postulabant vt sibi liceat eos detinere, donec ipsi bona sua recipiant, quæ aiebant iniustè publicata à Romano populo, & eius litis tyrannum faciebant iudicem. Dominabatur tunc Cumis Aristodemus Aristocratis filius, vir non obscuri generis, cognominatus Malacus, qua appellatione pòst magis innotuit: siue quòd puer passus esset muliebria, vt quidam produnt: siue vt alij malunt, quòd mollis esset miniméque iracundo ingenio. qui cuiusmodi occasione ad tyrannidem peruenerit, & quomodo se in ea gesserit, quémve habuerit vitæ exitum, non intempestiuum videtur intermissa paulisper Romanarū rerū narratione compendio dicere. Olympiade sexagesimaquarta principe Athenis Miltiade, Cumas Græcā vrbem in Opicis ab Eretriensibus & Chalcidensibus conditam. Hetrusci superi maris accolæ suis sedibus à Gallis pulsi, cúmque his Vmbri & Daunij aliíque nonnulli barbari conati sunt excindere, non ob aliud quàm felicitatem inuidiosam & nimiam. erant enim eo tempore Cumæ per totam Italiam opinione diuitiarum ac potentiæ celebres, quòd agrum ha-

berent

berent Campani campi fertilißimum, & portus circa Misenum opportunißimos. his felicitatibus insidias struentes barbari expeditionem contra urbem eam fecerunt, peditum quingenta millia non minus, equitum duodeuiginti millia. his non procul ab urbe castra habentibus prodigium accidit, quale nullum extat in omni hominũ memoria, nec apud Græcos nec apud barbaros. qui præter eorum castra fluebant amnes, Vulturnus & Glanis, omisso naturali meatu verterunt cursus, aliquandiu ab ostijs rètrocedentes ad fontes suos. quod vbi Cumani audiuerunt, ausi sunt cum hoste congredi, interpretati deum depressurum elatas res hostium, elaturum suas humiles: diuisáque trifariam iuuentute, parte vna ad vrbis præsidium, altera ad nauium custodiam relicta, tertiam in aciem produxerunt excepturi impetum hostium. erant autem sexcenti equites, peditum quatuor millia, & quingenti insuper. tam paruo numero sustinuerunt tam multa millia. quos vt pugnare paratos animaduerterunt barbari, clamore vt illis mos est sublato inuaserunt eos nullo ordine permixti peditibus equites, quasi omnes deleturi. erat autem ante vrbem vbi pugnabatur vallis angusta montibus & paludibus clausa, pro virtute Cumanorum faciens, iniqua barbarorum multitudini. protrudentes enim & proculcantes se inuicem, cum alibi, tum circa cœnosam paludem, priusquam ad manus cum Græcis venirent obterebantur à suis plerique. ita ingens ille pedestris exercitus mutua collisione afflictus, nullo facinore memorabili edito fuga dispersus est. equites autem strenuè pugnantes exhibebant Græcis multum negotij: sed quia propter loci angustias circumuenire hostem non poterant, supernè etiam fulminibus & imbribus Græcos adiuuantibus,

terga

terga verterunt territi. In hac pugna eximia fuit equitum Cumanorum opera, vt qui causa victoriæ fuerint confeßione omnium: sed inter omnes Aristodemus Malacus enituit. etenim ducem hostium prostrauit congressus cum eo singulari certamine, multósque fortes viros alios. Pace reddita, & sacro diis peracto pro victoria, sepultísque honorifice qui in pugna ceciderant ciuibus, magna contentione certatum est, cuinam deberetur prima corona ob rem gestam fortiter. nam sinceri iudices Aristodemum hoc honore dignabantur plebe quoque fauente: potentes ciues & senatus propensiores erant in Hippomedontem magistrum equitum. erat autem tunc penes optimates Cumana respub. plebs verò non multum poterat. ex hoc ambitu orta seditione, veriti natu maiores ne in arma & cædes exiret contentio, persuaserunt vtrique factioni, vt ambo viri ex æquo honorarentur. quo factum est vt Aristodemus Malacus haberetur plebis patronus in posterum: qui quòd esset facundus concionibus eam ductabat, concilians sibi actionibus popularibus, & proceres peculatus arguens, pecuniáque priuata multos ciuium adiuuans. quapropter optimatibus reipub. molestus timebatur etiam. vigesimo deinde anno post pugnam illam barbaricam venerunt ad Cumanos Aricinorum legati supplices, opem orantes contra Hetruscos. nanque post pacem Romanis datam rex eorum Porsena filium suum Aruntem cum dimidio copiarum misit, vt propriã ditionem sibi quæreret, sicut suprà dictum est, is tũ Aricinos oppugnabat compulsos intra mœnia, sperans se breui eos fame in suam potestatem redacturum. hac legatione admissa proceres optimatium Aristodemo infensi, & timẽtes ne ille in aliquam calamitatem coniiciat Remp. videbantur sibi egre-

giam occasionem nacti tollendi hominis sub prætextu honestißimo: persuasoq́ populo vt Aricinis duo millia virorum auxilio submitteret ductu Aristodemi, quòd esset rei militaris peritißimus: postea parabant insidias homini, per quas vel ab Hetruscis interimeretur vel inter nauigandum periret. cum enim delectus habēdi potestatem à senatu accepissent, ex nobilibus aut alicuius pretij hominibus nullius nomen retulerant in matriculam: sed conscriptis ex plebe pauperrimis ac nequißimis, quos semper vt nouandarum rerum cupidos habuerant suspectos, in classem eos imposuerunt, deductis decem vetustis & nauigationi parum idoneis triremibus, quarum præfecti erant Cumanorum egentißimus quisque, & proposita pœna capitali signa non sequentibus, Aristodemus hoc tantum præfatus, non nescire se inimicorum mentem, qui auxiliorum ferēdorum specie se in manifestam mittant perniciem, suscepit earum copiarum imperiū: emensusq́ cum Aricinorum legatis mare quod est inter Cumas & littus Ariciæ proximum, exscensione ibi facta, & relicto nauibus præsidio, eadem noctè confecto itinere terrestri, quod non longū est, diluculo in Aricinorum cōspectum peruenit. cúmque propè vrbem posuisset castra, persuasit obsessis vt in campum prodirent, confestímque hosti pugnæ fecit copiam. ac mox collatis signis commissum est acre prælium: non tamen Aricini diu locum suum tenuerunt, sed semel impulsi refugerunt iterum intra mœnia. Aristodemus stipatus lectißimo quoque totam eius pugnæ molem sustinuit: & sua manu cæso duce hostium fugatisque barbaris, pulcherrimam acquisiuit victoriam. His gestis honoratus ab Aricinis perquam munificè, abnauigauit quantocyus, vt ipse Cumanis nuntiaret suam victoriam.

eum sequebantur multa Aricinorum oneraria, vehentes captiuos Hetruscos & spolia. Iámque propinquus Cumis naues ad littus appulit: & aduocata concione militum, multis verbis inuectus in ciuitatis proceres, laudatis quorum opera in prælio fuerat clarior, diuisóq; viritim argento & muneribus Aricinorum in medium propositis, rogabat vt beneficiorum memores, post quàm in patriam restituti fuerint, si quod sibi periculum ab optimatibus immineret, opem ferrent pro viribus. Omnibus autem gratias agentibus pro insperata salute quam ipsi deberent, & quòd non redirent vacuis manibus, & suas citius animas quàm illius salutem inimicis se udituros pollicentibus, laudata eorum voluntate concionem dimisit. ac mox vocatum in suũ tentorium scelestißimum quenque & manu promptißimum, largitionibus, communitate, denique spe neminem non illicere solita corrupit, vt paratos haberet ad mutandum præsentem statum Reipubl. His assumptis opera ac periculi sociis monitis prius quid agendum cuique, & captiuis quos secum portabat, sine pretio libertate concessa, vt eorum quoq; vteretur beneuolentia, ornatis nauibus in portus Cumanos delatus est, effusis ad littus cognationibus militum, & parentibus, liberis, coniugibus suos lacrymis, oculis, amplexu excipientibus, suauißimísque appellationibus consalutantibus. nécnon & alia multitudo vrbana cum gratulatione plausúq; ducem deducebat ad ipsius domicilium. Quam rẽ molestè ferentes, præsertim qui copiarum imperiũ ei dederant, & alia in perniciem ipsius machinati fuerant, malè de futuris cogitare cœperunt. Ille post paucos dies quos votiuis sacrificiis exsoluendis insumpsit, & recipiendis tardioribus onerariis, ratus iam adesse tempus ait se velle apud senatum de

rebus à se gestis disserere, & prædam eo bello partam ostēdere. Cúmque frequens senatus coactus esset, affuit & ipse, omniáque concionabundus denarrabat ordine. Interim parati iam antè facinoris socij sicas habentes sub veste, per confertam turbam pro curia stantem insinuati in senatum, interemerunt omnes optimatium proceres. ac mox omnes è foro diffugere, domum quidam, extra vrbem alij, exceptis consciis. hi arcem & naualia, locáq; vrbis munitiora occupant. Sequenti verò nocte solutis vinctis & damnatis capitis quorum magnus erat numerus, armatísque vnà cum amicis aliis in quibus erant Hetrusci captiui iuuenes, satellitium ex his circa se constituit: & postquam illuxit dies, conuocato in concionem populo, multum in occisos à se ciues inuectus, pronuntiauit illos pœnas luisse meritas toties sibi appetito insidiis: cæteris libertatem se afferre & ius æquum, aliáque bona plurima. His dictis, repletísque mirifica spe plebeiis hominibus, à duabus egregiis actionibus administrationem Reipu. orsus est, quæ solent esse tyrannidis cuiuslibet exordia, agrorum diuisio, & alieni æris remissio, in se curam vtriusque recipiens, imperator creatus causa constituendæ & in popularē formam redigendæ Reipubl. Vulgò autem libenter alienorum bonorum rapinam accipiente, iam plenariam potestatem adeptus aliud intulit consilium, per quod deceptos ciues pariter libertate omnes exuit. Fingēs enim vereri se ne quis tumultus à diuitibus in plebem cooriretur, propter diuisionem agrorum & æris alieni remissionem, néue bellum ciuile ac cædes existerent, ait se vnicum modum inuenire quo caueri hoc posset, si omnes arma ex ædibus prolata diis dedicarent, vt queant eis vti contra externum hostem si opus fuerit, non contra se-ipsos,

ipsos interim rectißimè de: oni penes deos. Quod vbi persuasit, abstulit vna die Cumanorum arma omnium: deinde sequentibus scrutatus priuatas ædes, multos bonos viros in eis occidit, quasi non omnes indicassent arma diis debita. quo facto tribus custodiis tyrannidem suam communiit: quarum vna constabat ex sordidißimis & nequißimis ciuibus. quorum ope Reipub. gubernacula optimatibus ademerat: altera ex impiis seruis, quos ipse herorum suorum occisores manumiserat: tertia ex conductitiis barbaris immanißimis. hi non pauciores erãt duobus millibus, in re militari longè præstantiores cæteris. Interemptorum effigies ex omnibus templis in profanos locos transtulit suis in locos earum substitutis: domos eorum & prædia bonáque cætera inuadens, exportato inde auro argentóque, & si quid aliud inerat dignum possessione tyrannica, reliqua largiebatur suæ dignitatis assertoribus sed plurima & maxima dona dabat iis qui heros suos occiderant. at illi petebant etiam vxores eorum & filias in coniugium. cæterùm masculam occisorum progeniem principio contemptam, postea siue oraculo quopiam monitus, siue ipse reputans eam in suũ ali periculum, conatus est omnem vna die perdere. sed deprecantibus id matrũ maritis apud quos alebantur pueri, pro magno munere concessit eis vitam, ita tamen vt caueret nequando conspiratione facta molirentur aliquid contra tyrannidem: iussitq́ omnes ex vrbe abire aliũ aliò, & per rura sparsos degere procul omnibus liberalibus disciplinis ac studiis, exercentes pastoralia munia & agrestia opera facientes, mortem interminatus si quis eorum deprehenderetur intra mœnia. Illi relictis paternis laribus ruri alebantur quasi mancipia, seruientes patrum suorũ interfectoribus. Et ne vel in alio-

rum ciuium quoquam animus fieret generosus ac masculus, dedit operam vt effœminaretur tota vrbana iuuentutis educatio, sublatis gymnasiis & armorum meditationibus, & mutata victus ratione qua prius vtebantur pueri. iussit enim eos more virginum comam alere ac plectere sertisque redimiri & reticulis, induique pictis tunicis talaribus, amicirique tenuibus & mollibus palliolis, & in vmbra degere. In ludum saltatorium, aut euntes ad tibicinem fidicinémve comitabantur pædagogæ mulieres cum flabellis & vmbellis, ipsaq; lauabant eos, pectines in balnea deferentes & alabastros vnguentarias atque specula. huiusmodi educatione corruptos vsque ad annum ætatis vigesimum, tum demum inter viros censeri passus est. Cúmque his aliisque multis modis illusisset & insultasset Cumanis ciuibus, à nullo libidinum crudelitatúmve genere temperans, iam in tuto putans suam tyrannidem, senex tãdem pœnas dedit excisus à stirpe diis hominibúsque plaudentibus. Insurrexerunt enim in eum, & ciuitatem pristinæ libertati reddiderunt filij occisorum ab ipso ciuium, quos olim vna die volens occidere, cohibitus fuerat satellitum qui matres eorum habebant precibus, relegatis in agros pueris. Nam cùm aliquot annis pòst iter per vicos faciens, animaduertisset in eis multum iuuentutis valida, timens eorum conspirationem & præuenire volens, cogitauit omnes ex improuiso interficere: adhibitísque amicis consultabat quomodo posset eos citò & facilè opprimere. Hoc vbi sensere iuuenes, siue alicuius consciorum indicio, siue suspicione moti verisimili, fugerunt in montes arreptis ferramentis rusticis: móxque adfuit eis auxilium Cumanorum exulum qui agebant Capuæ: inter quos nobilissimi erant, & plurimos Campano-

rum

rum habebant hospites, Hippomedontis filij, eius qui Hetrusco bello fuerat magister equitum: omnes armati & arma illis quoque afferentes, adducentésque Campanos mercede conductos & amicorum manum validam. coniunctis deinde viribus agros inimicorum infestabant latrociniis, prædas abigentes, & seruos abducentes à dominis vinctósque soluentes armabant: & si quid rerum pecorúmve non poterant ferre agerèque, incidebant & iugulabant. Ibi tyranno perplexo animi, nec expedienti rationem qua inimicis occurreret, quòd nec apertè rem gererent, nec eodem loco hærerent diutius, sed pro nocturni diurnive itineris spatio, nunc hic manè, nunc illic vespere grassarentur, eluderentq; militem præsidio missum agrestibus, vltro quidam è numero exulum se obtulit, lacerato verberibus corpore perfugam simulans. is veniam à tyranno stipulatus, pollicitus est perducturum se copias illius eò loci, vbi sequentem noctem acturi essent exules. & habita est fides homini, quòd nihil præmij poscens seipsum præberet obsidem. móxque missi ducum fidissimi addito equitatu & mercenariis copiis, cùm mādatis vt exules omnes si possent, aut certè plurimos vinctos in vrbem pertraherent. tum fictus ille transfuga exercitum per inuios & desertos saltus itinere laborioso tota nocte continuato abduxit ab vrbe quàm longissimè. Interea fugitiui exulésque in Auerno monte prope vrbem positis insidiis, vbi signo vt conuenerat à speculatoribus dato cognouerunt discessum exercitus, miserunt ex suis circiter LX. audacissimos, mastrucatos & fasces sarmentorum gerentes, qui crepusculo alij per alias portas velut operarij se clam in vrbē insinuauerunt: depromptísque quos in fascibus celauerant gladiis conuenientes in vnum simul portam inua-

serunt quæ ad Auernũ fert: cæsisq; custodibus per cubilia, suos iam mœnibus propinquos admiserunt portis patentibus, sentiente nemine. erat enim illa nocte festum quoddam publicum, & totum vulgus vacabat potationibus aliísque hilaritatibus, ita vt sine impedimento peruenirent ad tyranni regiam. ac ne circa ianuam quidem multi vigilabant custodes: sed hic quoque alios sopitos alios ebrios confoderunt non magno negotio: & irruentes in ædes vno agmine, alios omnes nec corporis iam nec mentis præ vino compotes iugulauerunt more pecorum: cæterùm Aristodemum cum liberis & cognatis comprehensum, ad multámque noctẽ prius laceratum & excruciatum omni tormentorum genere, postremo & ipsum interfecerunt. atque ita radicitus euulsa tyranni familia, vt nec paruulos filios, nec vxorem, nec vllum ex eorum vniuersa cognatione reliquum finerent, scrutati etiam per totam noctem adiutores tyrannidis, simul cum luce orta in forum processerunt: aduocatáque concione, & armis positis, restituerunt in integrum rempu. Ad hunc Aristodemum quartodecimo anno eius tyrannidis exules Tarquiniani venerunt, poscentes sibi ius reddi contra patriam. Legati primùm negabant se venisse ad iudicium, quòd potestatem dicendæ causæ non haberent, quàm à senatu non acceperint: deinde cum nihil proficerent, videréntque tyrannum propensiorem in partem aduersam propter preces exulum, petito temporis spatio, & vadati pecuniis, nemine amplius obseruante, & causa etiam tum pendente furtim dederunt se in viam. famulitium eorum & iumenta pecuniásque allatas frumentationis gratia tyrãnus detinuit. ita hæ legationes re infecta reuersæ sunt. cæterùm qui missi fuerunt in Hetruriam, milium & frumẽtum

ab

ab eius regionis populis coemptum in urbem cõportauerunt nauibus secundo flumine, quo commeatu breui absumpto laborabatur inopia sicut anteà, vt nullum cibum intentatum relinquerent, ad quem adigere solet necessitas. quo factum est vt multi vel præ inopia, vel præ insuetis alimentis affectis essent corporibus, pauperes verò præ inedia prorsus inualidis. quod vbi Volscis nuper deuictis est cognitum, occultis legationibus se inuicem ad bellum sollicitabant, rati populum Roman. nequaquam parem fore fami simul & hostibus. Sed diuina prouidentia cui erat curæ ne is populus inimicis succumberet, tum quoque manifeste vim suã exeruit. tanta enim pestilentia repentè Volscos inuasit, quanta in omni hominum memoria nec apud Græcos fuit nec apud barbaros, nulli ætati parcens vel conditioni vel sexui, siue in debiles incideret siue in validos. cuius cladis magnitudo satis liquere potest ex nobili eius gentis vrbe Velitris, quæ magna prius & populosa sic tum exhausta est, vt decima tantum pars incolarum reliqua manserit. qui superfuere incolumes legatis in hoc missis desolationem patriæ conquesti, se & sua dediderunt in fidem Romani populi. nam & antea colonos ex vrbe acceperant, in quorum agros tunc vacantes petebant submitti nouos dominos. quò cognito Romanos alienarum calamitatum miseratio subiit, ita vt obliuiscerentur iniuriarum. rati satis pœnæ diis luisse inimicos pro cogitato scelere. Velitras verò non paruum colonorum numerum mitti placuit, reputantibus multa inde prouentura commoda. nam & locus ipse videbatur idoneus qui occuparetur valido præsidio, vt impedimento esset res nouas molientibus: & in vrbe apparebat leuiorem fore alimentorum inopiam, si migraret non contemnen-

da plebis portio. Sed nihil æquè mouit ac seditio vix dum priore extincta suppullulans, quæ ne maturesceret eò facilius decreta est colonia. rursus enim vt antè plebs concitabatur infensa patritiis, multáque in eos iactabantur conuicia: aliis incuriam eorum & supinitatem incusantibus, qui non multò antè prospexerint annonæ: aliis data opera caritatem inductam asseuerantibus, per iracundiam & libidinem vexandæ plebis, à qua se desertos fuisse meminerint. quo citius coloni deducti sunt à creatis in hoc triumuiris, ex senatus autoritate. plebi autem principio gratum erat mitti aliquos in coloniam, famè carituros & regionem habitaturos fertilē. deinde cōsiderantes pestem, quæ vrbem ipsis destinatam vacuefecerat absumptis habitatoribus, & aduenas metu similis tractationis terrebat, paulatim mutabant animos, vt multo pauciores darent nomina, quàm quantum senatus decreuerat. atque hos ipsos iam consilij pœnitebat, & tergiuersabantur exitum. relicta est tamen domi hæc pars, & quotquot non sponte proficisci cuperent, senatusconsulto facto vt ex omni ciuium numero sorte coloni ducerentur, grauissima & irremissibili multa proposita ire detrectantibus. Ita bene magna manus necesse habuit Velitras migrare, nec multis diebus post alia Norbam Latini nominis vrbem non ignobilem. Fefellit tamen sua spes patritios quantum ad compescendam seditionem attinet: quòd reliqua plebs magis etiam efferaretur, vociferans in patres per cœtus & sodalitia, paucis primùm coëuntibus, mox gregatim, grauius iam vrgente inopia: concursúque facto in comitium tribunos vocabant. Coacta deinde concione, progressus in medium Sp. Icilius, qui tunc locum principem inter colle-

gas tenebat, & ipse vehementer in senatum inue-ctus est quantum poterat grauans eum inuidia, & alios iubebat suam mentem coram populo proponere, nominatim Sicinium & Brutum tunc adiles, qui & primæ secessionis plebi autores fuerant, & introducto in rempublic. tribunatu primi eum magistratum effecuti sunt. Hi progressi malitiosissimas conciones habuerunt, iam dudum præparatas, quas multitudo libenter audiebat: quasi data opera & insidiis diuitum contigerit præsens inopia, quia libertatem illis inuitis plebs per secessionem inuenisset. non enim æqui grauari fame locupletes atque inopes. nam illis esse occulta penuaria, pecuniásque ad emendos commeatus aduectiuos, quibus freti facilè possint hoc malum contemnere: plebeios carere vtroque. Addebant coloniam deductam in locos pesti obnoxios manifesto periculo, exaggerantes id quantum poterant, & rogantes quis tandem malorum finis, refricantesq́ memoriã prioris diuitum sæuitiæ, qua in nexos vsi fuerant, & alia similia declamantes magna licentia. Postremo Brutus sermonem suum comminatione clausit: si velint sibi parcere, breui se effecturum vt qui malum hoc accenderunt, ipsi restinguerent. ita tum concio dimissa est. Postera die consules senatum conuocauerunt nouationem aliquam timentes, & soliciti quonam Brutus plebis assentator euaderet: multa ibi dicta sunt ab ipsis consulibus, multa à natu maioribus, nonnullis censentibus deliniendã plebem omni comitate verborum, & pollicitatione opera: placandósque duces eius, proposita rerum difficultate, rogandósque vt velint in commune consulere: aliis contrà suadentibus nihil indulgendum vulgo imperito & refractario, nec ab alendam improbam & intolerabilem eius adulato-

rum

rum insaniam: sed respondendum non esse patritios in culpa, & senatui rem curæ fore pro viribus: cæterùm turbatores plebis obiurgandos cum intermi-natione, daturos meritas pœnas ni seditiones fouere desinant. Huius sententiæ princeps fuit Appius, quæ & vicit magna patrum contentione, ita vt populus clamoribus eorum territus è comitio in curiam concurreret, erectis in expectationem omnibus. post hæc COSS. *die iam vergente in concionem à se vocatam progressi conabantur senatus voluntatem ostendere: sed intercedente tribuno aperta est indecora altercatio, nam vtrinque clamoribus agebatur, & obstrepebant sibiinuicem, vt difficile esset quid sibi vellent intelligere. Consules pro potestate postulabant sibi tota pariter vrbe ius imperij. e diuerso tribuni contendebant suum locum esse concionem, sicut illorum senatum: & in sua potestate esse quicquid per plebem iudicandum decernendúmve. pro his plebs stabat acclamatione addens animos, & parata congredi cum obstantibus si opus sit: consules stipabantur à patritiis eratque ingens certamen, quasi in præsenti victoria ius omne quod in posterum habituri essent consisteret. iámque sol circa occasum erat, & procurrebatur passim è domibus in forum: videbantúrque, ni nox litem diremisset, à manibus non temperaturi & iactu lapidum. quod ne fieret, progressus in medium Brutus à consulibus dicendi potestatem sibi petiit, seditionem se compositurum pollicitus. illi putantes se vicisse, quòd præsentibus tribunis concionator plebeius à se dicendi copiam petierit, permiserunt hoc ei. qui silentio facto nihil aliud locutus sic interrogauit consules. Meministisne, inquit, inter conditiones pacis concessum nobis, vt quoties tribuni concionem aduocauerint, ei se patritij non*

nisi

misceant, neque interturbent? Meminimus, inquit Geganius. Tum Brutus: Cur igitur impeditis nos, & non finitis tribunos quæ volunt dicere? Respondit Geganius quia non ipsi conuocauerunt plebem in concionem, sed nos COSS. quam si ipsi vocassent, non ingereremus nos: nunc quia coiuit ex autoritate nostra, non hos concionari vetamus, sed nos vetari iniquum ducimus. Tum Brutus, Vicimus Quirites, concesserunt nobis aduersarij quod volumus. Abite nunc & desinite contendere: cras vobis ostensurum me polliceor, quantam habeatis vim. Vos quoque tribuni in præsentiarum eis foro cedite, non cessuri vbi potestatem vestri magistratus intellexeritis intelligetis autem breui. ego hoc vobis declarabo, & superbos istos docebo modestiam. quòd si vos decepero, quod vultis mihi facite. His verbis cum nemo contradiceret, soluta est concio, variante expectatione hominum. nam inopes putabant egregium aliquid excogitasse Brutum, nec temere tam ingentia pollicitum. patritij contemnebant leuitatem hominis, audacia promissa rati non vltra verba processura. nihil enim à senatu concessum tribunis, nisi vt opem ferant plebeiis iniuriam patientibus. non tamen omnes, præsertim natu grandiores, negligebant hoc negotium, soliciti ne graue aliquod malum afferat hominis insania. Sequenti verò nocte Brutus communicato cum tribunis consilio, & præparata manu plebeiorum non modica, descendit cum eis in forũ ante claram lucem ade Vulcani occupata, qui locus destinatus erat concionibus, vocabátque plebem in comitium. ac mox referto foro (neque enim vnquam antea tanta turba conuenerat) progressus in medium Icilius tribunus multis verbis accusauit patritios, memorans omnia quæ vnquam

cont

contra plebeios egerant. deinde aiebat se hesterna die per eos à dicendo prohibitum, & potestate sui magistratus exutum. Quid, inquit, nobis fiet reliquum, si ne loqui quidem permittimur? quomodo vestrum alicui per eos oppresso poterimus succurrere, si nobis potestas conuocandi vos adimitur? Verba enim initium sunt omnium operum: & manifestum est, quibus dicere quæ sentiunt non licet, eos non facturos etiam quæ volunt. aut igitur reddimus vobis potestatem quam accepimus, nisi vultis eam confirmare vt tuta sit: aut lege lata vetare nequis nobis posthac impedimento sit. Hæc locutus, acclamante plebe, ferret legem, iam scriptam habens recitabat: móxque tribus iußit ferre suffragia, quòd res dilationem non pateretur, ne forte impediretur interuentu consulum. erat autem lex hæc. Concionanti apud populum tribuno nemo contradicito. nec dicentem interpellato. Si quis contrà fecerit, vades dato tribunis soluturum se mulctam quam imposuerint. qui vades non dederit, morte mulctator, & bona eius sacra sunto. Siquid controuersiæ mulctarum huiusmodi caussa inciderit, iudicia penes populum sunto. hac lege confirmata suffragiis populi, tribuni concionem dimiserunt: plebs bono animo abiit, magnam Bruto habens gratiam, cuius legem hanc inuentum putabat. Secutæ sunt deinde multæ altercationes tribunorum & consulum, dum neque plebs senatusconsulta rata habere vult, neque senatus approbare plebiscita. ita per contentionem vtrique suspecti erant alteris. non tamen odium hoc processit ad facinus aliquod grauius, vt fieri solet in huiusmodi perturbationibus. nam neque pauperes impetū fecerunt in ædes diuitum, vbi putarent inuenturos se frumentum reconditum, aut commeatum venalem

lem ausi sunt diripere: sed perferebant res paruas emere magno precio, & cum argentum deficeret, contenti erant radicibus, & oleribus, neque diuites freti suis ac clientelarum opibus induxerunt animum vt soli vrbem tenerent, per vim pulsis aut cæsis inopibus: sed velut prudentes patres iram moderabantur erga filios, indulgenter eorum errata ferendo. In hoc rerum vrbanarũ statu, propinqui populi inuitabant si qui vellent ad se migrare, offerentes vltro ius ciuitatis & alia humanitatis officia, quidam benigna mente ob beneuolentiam & miserationem, alij malitiose ob inuidiam felicitatis pristinæ: multíque cum totis familiis mutarunt domicilium, quorum alij redierunt mox vt tranquillitas vrbi est reddita, quidam in totum emanserunt. Hæc videntibus COSS placuit ex S.C. delectu habito exercitum educere. arripuerunt autem occasionem honestã excurrentibus & agrum vastantibus hostibus, reputantes interim & alia huius expeditionis cõmoda. videlicet leuiorem fore annonam domi relictis iam paucioribus, & armatos maiorem copiam alimentorum habituros missis in hosticum frumentatoribus seditionẽ quoque interquieturam durante militia. Videbatur etiam multum ad confirmandam reconciliationem facere communis patritiorum ac plebeiorum militia, intérque pericula prosperæ ex æquo aduersæq; fortunæ societas. Verum plebs non tam facile parebat vt antea, neque sponte dabat nomina: cogere verò eam legibus nolebant consules, sed voluntarij quidam è patritiis conscripti sunt vnà cum suis clientibus. quos pauci ex plebe secuti sunt. ductabat autem eos Cn. Marcius qui Coriolos ceperat, & ex conflictu cum Antiatibus fortitudinis palmam retulerat: cuius ductus maxima parti militum addebat animos:

vel quòd amarent eum, vel quòd bonam spem conciperent. Iam enim fama celebrabatur, & magno terrori erat hostibus. Is exercitus vsque Antium progressus, præter magnam frumenti vim in agris repertam, mancipiis quoque pecoribúsque multis potitus est, breuique ditior factus domum rediit, ita vt qui manserant in vrbe mœsti obloquerentur tribunis, quorum culpa videbantur simili felicitate fraudati. in hunc modum Geganius & Minucius huius anni consules magnis iactati tempestatibus & penè obruti, euaserunt tamen & seruarunt rempublicam, maiore prudentia quàm felicitate. Hos secuti M. Minucius Augurinus, A. Sempronius Atratinus, iterum eundem magistratum adepti, viri armis & consilio clari multam curam habuerunt importandi frumenti aliarúmq; commeatuum, velut in annona vilitate concordia populi consisteret: non tamen eis vtrunque contigit. saturitatem consequente petulantia: & quando minime putabatur, tunc denuo maximum populus Romanus periculum adiit. nam & legati frumentatum missi è mediterraneis & maritimis emporiis fruges coemptas aduexerunt in horrea publica: & negotiatores frumentarij undique confluxerant, quos ciuitas exonerauit redēptis mercibus ex ærario, quæ asseruarentur publicè. Venerunt & legati superiore anno in Siciliam missi Geganius, Valeriúsque cum multis onerariis, quæ afferebant tritici quinquaginta millia medimnûm Siculorum: quorum dimidium emerant admodum vili pretio, reliquum tyrannus dono miserat, suóque sumptu aduexerat. eas appulisse postquā in vrbe cognitum est, diu agitatum est inter patritios quid eo deberent facere. nam qui æquissimi erāt plebisq; amantissimi, considerantes eam in quantis esset necessitatib

tatibus, & donum tyranni suadebant diuidendum plebeiis hominibus, & emptum pecunia publica reuendendum eis paruo pretio, docentes hoc maximè pacto fieri posse vt deliniti beneficio pauperes æquiores reddantur diuitibus. at arrogantiores & amici paucorum optimatium potentiæ, aiebant omnibus modis omníque studio plebem affligendam: consulebántque vt quàm possent carissimè frumentum ei venderent, vt vel necessitate adacta sobrietatem disceret, & magis subiiceretur ciuitatis legibus. ex horum numero erat & Marcius ille Coriolanus cognomine, non vt reliqui dissimulans timore suam sententiam sed apertè magnáque audacia clamitans, multis plebeiis audientibus. nam præter publicas odij causas, etiam priuatim infensus erat plebi ob recentem vt illi videbatur iniuriam. Consulatum enim ambienti proximis comitiis cum non deessent patritiorum studia, plebs aduersata magistratum eum dare noluit, verita viri claritatem & audaciam, ne forte his fretus conaretur è repub. tollere potestatem tribunitiam, augente metum eum alacritate patritiorum, qui nulli vnquam candidato æquè fauerant. hac igitur offensa irritatus, & mutatam remp. in pristinam formam restitui cupiens, & ipse (vt dixi) palam aduersabatur plebis potentiæ, & idem vt facerent persuadebat aliis. Iámque circa se habebat validam sodalitatem nobilium iuuenum, & multos clientes quos illi militiæ commoda conciliauerant: quibus elatus ferociebat & agebat splendidè, in ciuitate insigniter præminens, sed minus felici exitu. Senatu enim hac de causa coacto, & rogatis ex more primū senioribus, in quibus multi apertè contrarias plebi sententias dicebant, vbi ad iuniores ex ordine ventum est, à COSS. petita proferendi quæ vellet facultate, omnibus

nibus annuentibus & aures attentas prabentibus, in hunc modum contra plebem disseruit. Non necessitate inopiáve coactam plebem secessisse P C, sed malitiosa mente vt optimatium potentiam destrueret, & ipsa posset omnia, puto vos fermè omnes intellexisse ex tam iniquis pacis conditionibus. quandoquidem non contenta fidem à contractibus sustulisse, violasséque leges de his conditas, nouum magistratum instituit per quem consulatus antiquaretur, eúmque lege lata sacrosanctum fecit, & nunc is recenti plebiscito tyrannica potestate suffultus est vobis imprudentibus. Cum enim homines hanc maximam potestatem nacti honesto pretextu succurrendi pressis iniuria ciuibus, abutentes ea bona vestra ferant agántque vetante nemine: quòd nec priuatus quisquam nec magistratus id audeat metu legis auferentis vobis dicendi faciendíque copiam, & mortem minantis liberam vocem emittentibus: quodnam nomen ei potestati dabimus si sapimus nisi verissimum illud tyrannidis & confessum omnibus? quid enim refert vniusne viri, an totius plebis, feramus tyrannidem? effectus certè vtriúsque idem est. Optimum igitur fuisset ne semen quidem huius potestatis admittere, sed quiduis perferre potius: sicut bonus hic Appius censebat multo ante mala hac prospiciens. quod quia non est factum, nunc saltem omnes vnanimiter euulsam radicitus eijciamus è ciuitate, dum imbecillis est & expugnatu facilis. Nec primis hoc nobis P C aut solis accidit: sed multi sæpe per inconsiderantiam constituti in necessitatibus, agnito errore quòd principio malorum non obstitissent, eorum incrementa conati sunt tollere: apparuítque pœnitentiam sero incipientium supere

pere

pere, licet non conferenda sit cum prouidentia, tamen alio modo non minus rebus consulere, dum effectum aufert cuius fefellerant principia. Quod siqui vestrum molestè quidem ferunt plebis insolentiam, & compescendam putant ne pergat vlterius: sed religione quadam tenentur, ne videantur à conuentis priores discedere, & iusiurandum contemnere: sciant se non inferre iniuriam sed repellere: nec violare pacta sed inuiolatores eorum animaduertere, nulli deorum iræ obnoxios, & piè iustéque consulentes suis commodis. quod autem plebs non stet conditionibus violato fœdere, non vos, hinc liquet: quia non est contenta ijs quæ in reditu obtinuit. petijt enim tribunitiam potestatem ne à senatu læderetur ipsa, non vt senatum vltro læderet. vtitur autem ea non ad quæ vti debet, aut ad quæ inuenta est, sed ad corruptelam ac confusionem huius reipublicæ. Meministis sanè concionis nuper habitæ, tum quæ à tribunis tunc dicta sint arroganter & impudentissime, quámque se nunc iactent insani homines, vbi vident eo plebiscito contineri totam vim reipublicæ, quam ipsi facile obtinebunt cum nos vincant numero. quid igitur nobis faciendum restat quando ipsi cœperunt transgredi leges & fœdera, nisi vt nos defendamus, & quæ iniustè vsurpant, iuste ab eis extorqueamus, cohibeamúsque cupiditates eorum in posterum: gratiámque dijs habeamus: qui nō eam mentem eis dederint, vt circumscripta rep. modestè agerent cætera: sed tantam eis impudentiam & fraudulentiam immiserint, quæ vos cogat & recuperare iam perdita, & reliqua diligenter custodire ne vobis pereant. Nec alia melior occasio expectanda est, siquidem sapere incipitis quando magna pars fame afflicti sunt; cui reliqui non poterunt diu resistere præ inopia, si rari &

cari commeatus prabeantur. quapropter asseruandos censeo, nec remittendum quicquam de pretio, sed flagellandam annonam quàm maxime, tantique vendenda omnia, quanti vobis libuerit: nec immerito, quando iustum est & rationi consentaneum ingratam plebem premere, conferentem in nos culpam caritatis & inopia qua propter ipsorum secessionem accidit, agris per eos vastatis ac direptis tanquam hostilibus, & propter hoc exhausto in externas frumentationes ærario. quamuis non his solis vos affecerunt iniuriis, vt intelligamus quonam modo nos tractaturi sint, nisi omnia pro libidine plebis ferimus, sicut concionatores eorũ nos territantes minati sunt. quod si præsentem occasionem emiseritis è manibus, posthac frustra similem optabitis. & si cognouerit plebs voluisse vos vires eius dissoluere nec potuisse, instabit vobis multo grauior, vt volentibus quidem nocere, sed minime valentibus. Ad hanc orationem Marcij variatum est in senatu sententiis, & tumultuatum etiam. Nam qui iam inde à principio dissensionis infensi plebi pacem inuiti fecerant, in quibus erat iuuentus penè tota, & è senioribus quisque ditißimus ac ambitiosißimus, molestè ferentes vulgi insolentiam, laudabant virum vt generosum & amantem patriæ, optiméque consulentem reip. At qui propensiores erant in plebem, censu honoribúsque medici, & nihil pace habentes potius, verba eius non libentibus accipiebant animis: postulabántque vt non violentiores, sed prudentiores præessent humilioribus, & æquitatem non vt indecoram aspernarentur, sed amplecterentur vt necessariam, cum aliàs, tum coniungendis mutua beneuolentia ciuibus: aiebántque insanam eius orationem, non liberam. hæc tamen pars vt parua & debilis, cog

lis, cogebatur cedere vi numeróque potioribus. Hæc videntes tribuni (aderant enim in senatu vocati à COSS.) fremebant & obiurgabant Marcium appellantes eum pestem perniciémque reip. quem plebi male loquentem & ciuile bellum in vrbem importantem nisi cohiberent patres mulctatum capite aut exilio, ipsi se id facturos minabantur. ad quorum verba etiam maiore tumultu exorto, præsertim iunioribus minas indignè ferentibus, audacior iam Marcius inuehebatur in tribunos acrius: Immo, inquit, vos perturbatis remp. concionibus vestris seducentes turbam inopem: quod ni desieritis, non verbis posthac vobiscum agam sed manibus. Exacerbato autem senatu, tribuni cognito plures esse qui vellent potestatem plebi semel concessam adimere, quàm qui cuperent stare conditionibus, proripuerunt se curia vociferantes, & inuocantes deos testes fœderum. deinde coacta in concionem plebe, indicauerunt quid in senatu locutus sit Marcius, iubebántque vt causam apud populum diceret. quos cùm ille contemneret, atque etiam viatores eorum à quibus accersebatur cum contumelia verborum reiiceret, magis exasperati assumptis ædilibus & aliquot aliis ciuibus properauerunt ad eum, forte fortuna hærentẽ adhuc pro curia, stipatum multis patritiis cæterisque sodalibus. quo viso imperauerunt ædilibus vt eum comprehenderent, & nisi sponte sequeretur, vi ducerent. erant autem tunc ædiles L. Iunius Brutus, Sp. Icilius Ruga. hi accesserunt quasi arrepturi hominem. patritij contrà indignati tribunorum audaciam, qui ante iudicium aliquem sui ordinis ducerent, obiecerunt se pro Marcio, & pugnis abegerunt eos qui propius illum accederent. ad cuius facti rumorem tota vrbe prosiliebatur ex ædibus, ho-

neratis & diuitibus contendentibus protegere Marcium simul cum patritijs, & recuperare pristinum statum reip. humilibus autem & egenis paratis tribunos defendere, & quicquid iuberent facere, sublata omni reuerentia qua ab iniurijs cohibiti fuerant hactenus. nihil tamen atrox ea die commissum est. sed differebant in crastinum, exorati à COSS. Sequenti die primi tribuni in forum progressi vocato in concionē populo, vnus post alium grauiter accusabant senatum quòd nonstarent fœderibus, essentque obliti iurisiurandi plebi dati de offensarum obliuione: afferebántque argumentum parum sincere plebeijs reconciliatorum frumenti penuriam cuius ipsi autores fuerunt. & missos in vtránque coloniam, quicquid praeterea moliti essent ad minuendam plebis multitudinem. Vehementer etiam taxatus est Marcius, referentibus verba eius quae in senatu dixerat vtque vocatus ad dicendam causam apud populum, non modo non paruerit, verum etiam aediles ad se venientes pulsatos reiecerit. citabántque testes in senatu dictorum honoratißimum quenque eius ordinis: facta vero aedilibus iniuriae, totum qui tunc in foro adfuerat populum. His dictis dabant patribus, si vellent, pro se dicendi copiam, detinentes in comitio populum, donec senatus dimitteretur. nam forte de hoc ipso consultabatūr in curia, vtrum respondere apud populum ad obiectas calumnias sit satius, an eas dißimulare silentio. & quia pluribus placebant humana quàm superba sententiae, COSS. dimisso senatu processerant in comitium pro omnibus responsuri ad calumnias, & deprecaturi pro Marcio, ne plebs animaduerteret in eum grauius. quorum senior Minutius ita locutus est. Quod ad inopiam frumenti attinet Quirites, paucis verbis opus est, nec alijs quam vo-

bis

bis testibus. Scitis certè ipsi fruges non prouenisse propter sationem intermissam, nec ignoratis quænam agrorum vastitatis causa sit, quóve modo acciderit vt tantum egregiorum fundorum vacuum sit frugibus mancipijs, pecoribus: quæ partim ab hostibus direpta sunt, partim à vobis tam multis absumpta, non aliunde victum petentibus. Est igitur causa non quam concionatores isti per calumniam afferunt, sed quam ipsi scitis: quod cum ita esse vos non lateat, desinite calamitatē hanc imputare nostris insidijs, & irasci nobis immeritis. Cæterùm colonos necessitas coëgit deduci ex communi omnium vestrum sententia, vt essent præsidio locis ad bellum opportunissimis: profuitque id tam iniquo tempore, tum ipsis qui profecti sunt, tum vobis reliquis. nam illi vberiorem habent rerum copiam: his qui manserunt, magis quam ante commeatus sufficiunt. nec improbari potest consilium quo forte lecti sunt tam ex vestro ordine quam ex nostro mittēdi in colonias, futuri eiusdem fortunæ participes. quid igitur in mentem venit istis concionatoribus criminari nos, qui eandem vobiscum habemus & fortunam & sententiam, siue malam vt isti aiunt, siue vt nobis videtur commodam. Nam calumnias quibus oppetierunt senatum proximum, nolle nos moderari rerum venalium pretia conari per insidias tollere potestatem tribunitiam, retinere secessionis memoriā, & omnibus modis plebem afflictam cupere, breui factis ipsis diluemus: quando nullius maleficij sumus nobis conscij, & potestatem tribunitiam quibus conditionibus tunc vobis concessimus, eisdem confirmamus. nunc quoque frumentum etiam ita vendetur, sicut vobis omnibus placuerit. expectate igitur si quid horum non præstabitur, & tum demum nos accusate. quod si velletis diligenter examinare hanc

controuersiam, iustius patritij nos plebem accusaremus. quàm senatum vos, qui hoc facitis non expectato nostrorum consiliorum exitu. Atqui nemo nescit quam facile sit cuiuis rebus turbatis concordiam è ciuitate tollere, ea criminanti quorum fides incerta pendeat, & non tam nos tueri posit, quàm continere in officio. Nec soli duces vestri obiurgationem merentur qui calumnijs senatum impetunt, sed non minus vos qui eis temere creditis, & nondum experti fidem patrum, iam illis indignamini: quos oportebat siquas in futurum timeretis iniurias, iram quoque in illa seruare tempora. nunc certè praepropere magis quàm prudenter agitis, dum securitatem vestram in malefaciendo collocatis. Hæc pro toto senatu contra calumnias tribunorum puto sufficere. quoniam autem & singulos nostrum falso criminantur, quasi sententijs in senatu dictis seramus in ciuitate dissidia: & nunc Cn. Marcium amatorem patriæ liberè de Repub. locutum necare aut in exilium agere cupiunt, volo de hoc quoque quod iustum est dicere: vos considerate quàm modestè ac verè locuturus sum. Vos plebeij redeuntes cum senatu in gratiam satis putabatis æs alienum remitti vobis, & in auxilium pauperum vim patientium magistratus petijstis creari ex vestro corpore. pro vtroque impetrato magnas nobis egistis gratias. magistratum autem consulum abrogare, aut senatui regimen rerum adimere, peruertereque bene constitutum Reipublicæ ordinem, nec petijstis, nec vnquam petetis. quid igitur vobis nunc accidit, vt velitis confundi hæc omnia? aut quo iure honores nostros tollere cupitis? Si senatores à sententijs ex animo liberèque dicendis deterrueritis, quid æqui à vestris magistratibus expectandum est? aut quibus legibus patritios mortis exilij've reos peragere poterunt?

terunt? nam nec veteres leges hanc vobis potestatem dant, nec nouæ conditiones initi cum senatu fœderis. legum porrò præscripta transgredi, & vim iure potiorem facere, non plebis est, sed tyrannorum, si vera licet dicere. Ego suaderem vobis, vt quæ à senatus benignitate impetrastis, retineatis: quæ verò cum rediretis in gratiam non postulastis, ne nunc quidem vsurpetis. vt autem melius intelligatis nihil moderatum iustúmve tribunos petere, sed iniqua & impossibilia cupere, rem considerate perinde acsi vestrum esset negotium: & fingite à senatoribus vestros magistratus accusari, quòd male de senatu loquantur apud vos, & perditum eant rempub. hactenus bene administratam ab optimatibus, seditionésque concitent: quæ sanè vera crimina sunt, faciunt enim omnia: denique quòd maiorem concessa potestatem sibi vsurpent, conantes quemlibet nostrum indemnatum occidere: ac deinde postulari vt talia facientes liceat impune interficere: quomodo ferretis hanc summi ordinis arrogantiam? quid diceretis? an non indignaremini dicentes vobis iniuriam fieri si adimatur loquendi libertas, proposito vitæ periculo audentibus pro plebe liberam vocem emittere? negare non potestis. Et postea quæ ipsi non ferretis, æquum putatis ferre alios? haccine sunt illa vestra ciuilia modestáque consilia? an non hoc pacto criminatoribus vestris fidem astruitis, vt videantur iustè ac è Republ. suadere, ne sinamus iniquam hanc vestram potentiam crescere? mihi certè videmini astruere. quod si contrà quàm insimulamini vultis facere, me autore modesti estote: & si quibus verbis offendimini, ea non iracundè ferte sed ciuiliter. hoc enim modo & ipsi bonorum virorum opinionem lucrifeceritis, & inimicos vestros ad pœnitentiam adduxeritis,

factive ageret, paratum se aiebat causam dicere. nunc verò se prodysse ad plebeios ipsis vocantibus. vt obiurgaret ipsorum iniquas cupiditates, in quas erupissent vel secessionis tempore vel post reditum, suaderétque cohiberent eas in posterum. post hac magna audacia inuectus est in omnes, sed in tribunos maxime. inerat autem eius verbis non ciuilis reuerentia bonis rationibus admonentis populum, nec priuati hominis sobria modestia loquentis ad potentiores infensos sibi, sed velut insultantis intrepidè inferioribus & obnoxys bilis immodica, insignisque contemptus affectorum iniuria quapropter & loquente etiam tum magnus tumultus erat, vt quidque placeret aut offenderet in tam diuersis multitudinis voluntatibus alÿs applaudentibus, obstrepentibus alÿs: & vbi desÿt, maior etiam coortus est clamor ac strepitus. nam patriÿ optimum virum appellantes, laudabant eius ingenuam facundiam, affirmantes solum omnium esse liberum, qui nec inimicorum ex aduerso stantium turba sit territus, nec ciuium superbos & iniquos conatus blanditÿs delinire conatus sit. plebeÿ vero agrè ferentes improperia prædicabant eum molestum & acerbum, hostiúmque omnium infensissimum. nec deerat quibusdam animus, id quod videbatur facilè, statim eum interficere. hos adiuuabant duces multitudinis. instigatore præcipuo Sicinio. qui acerbissimè inuectus in hominem, accenso furore populi accusationem clausit capitali sententia, quam latam aiebat à tribunorum collegio, ob iniuriam factam ædilibus, quos pridie iussos à se vt eum ducerent, pulsatos abegerit. nam contumeliam ministris factam, in ipsos qui iusserant recidere. his dictis iussit eum duci in imminentem foro tumulum. est autem locus vasta rupe horrendus, vnde solent damnatos dare

præcip

præcipites. Aediles igitur accesserunt vt eum comprehenderent. contrà patritij cum magno clamore simul fecerunt in eos impetum, ac rursum plebs in patritios. nec iam in dictis factísve decorum seruabatur vtrinque, impellentibus se inuicem nec à manibus temperantibus. cohibiti sunt tamen à COSS. *in medios se dantibus, & per lictores turbam summouentibus. tanta tum erat eius magistratus reuerentia, tantum honoris tribuebatur potestati regiæ. Ibi Sicinius perturbatus & anxius, quòd timeret ne aduersarios cogeret vim vi repellere, nolens à cœptis desistere, nec tamen valens sententiam suam exequi, cogitabat quidnam faceret. quem hærentem videns L. Iunius Brutus, concionator ille qui conditiones pacis excogitauerat, vir acer cum aliâs, tum in expediendis difficultatibus, solus solum monuit ne contenderet, desisterétque ab incepto nimis iniquo & callido, cum videat vniuersos patritios irritatos, paratósque omnes, si à* C O S S. *vocentur, arma corripere: plebis verò maximam partem ambigere, nec libenter virum omnium nobilißimum ad supplicium præsertim indemnatum dedere. consulebat autem tum quidem cedere, nec pugnare cum* C O S S. *ne quid sequatur durius, sed viro diē ad populum dicere: & quod plurium suffragijs ratum fuerit id facere. nam esse violentiæ tyrannicæ quod tum patrare conaretur, ipse accusator & iudex, idémque pœnæ arbiter. ciuilius autem data dicendæ causæ potestate, reum passurum quicquid iudicatum fuerit. Paruit Sicinius videns hoc consultißimum: & progressus in medium, Cernitis, inquit, Quirites studia patritiorum ad cædes & violentiam tendere, qui vnum hominem superbum totique ciuitati noxium, vobis omnibus præferunt. nos non sumus eorum similes, nō sumus tam præcipites:*

nec

contra plebeios egerant. deinde aiebat se hesterna die per eos à dicendo prohibitum, & potestate sui magistratus exutum. Quid, inquit, nobis fiet reliquum, si ne loqui quidem permittimur? quomodo vestrum alicui per eos oppresso poterimus succurrere, si nobis potestas conuocandi vos adimitur? Verba enim initium sunt omnium operum: & manifestum est, quibus dicere quæ sentiunt non licet, eos non facturos etiam quæ volunt. aut igitur reddimus vobis potestatem quam accepimus, nisi vultis eam confirmare vt tuta sit: aut lege lata vetare nequis nobis posthac impedimento sit. Hæc locutus, acclamante plebe, ferret legem, iam scriptam habens recitabat: móxque tribus iussit ferre suffragia, quòd res dilationem non pateretur, ne forte impediretur interuentu consulum. erat autem lex hæc. Concionanti apud populum tribuno nemo contradicito. nec dicentem interpellato. Si quis contrà fecerit, vades dato tribunis soluturum se mulctam quam imposuerint. qui vades non dederit, morte mulctator, & bona eius sacra sunto. Si quid controuersiæ mulctarum huiusmodi causa inciderit, iudicia penes populum sunto. hac lege confirmata suffragiis populi, tribuni concionem dimiserunt: plebs bono animo abiit, magnam Bruto habens gratiam, cuius legem hanc inuentum putabat. Secutæ sunt deinde multæ altercationes tribunorum & consulum, dum neque plebs senatusconsulta rata habere vult, neque senatus approbare plebiscita. ita per contentionem vtrique suspecti erant alteris. non tamen odium hoc processit ad facinus aliquod grauius, vt fieri solet in huiusmodi perturbationibus. nam neque pauperes impetū fecerunt in ædes diuitum, vbi putarent inuenturos se frumentum reconditum, aut commeatum venalem

lem ausi sunt diripere: sed perferebant res paruas emere magno precio, & cum argentum deficeret, contenti erant radicibus, & oleribus, neque diuites freti suis ac clientelarum opibus induxerunt animum vt soli vrbem tenerent, per vim pulsis aut cæsis inopibus: sed velut prudentes patres iram moderabantur erga filios, indulgenter eorum errata ferendo. In hoc rerum vrbanarũ statu, propinqui populi inuitabant si qui vellent ad se migrare, offerentes vltro ius ciuitatis & alia humanitatis officia, quidam benigna mente ob beneuolentiam & miserationem, alij malitiose ob inuidiam felicitatis pristinæ: multíque cum totis familiis mutarunt domicilium, quorum alij redierunt mox vt tranquillitas vrbi est reddita, quidam in totum emanserunt. Hæc videntibus COSS placuit ex S.C. delectu habito exercitum educere. arripuerunt autem occasionem honestã excurrentibus & agrum vastantibus hostibus, reputantes interim & alia huius expeditionis cõmoda. videlicet leuiorem fore annonam domi relictis iam paucioribus, & armatos maiorem copiam alimentorum habituros missis in hosticum frumentatoribus seditionẽ quoque interquieturam durante militia. Videbatur etiam multum ad confirmandam reconciliationem facere communis patritiorum ac plebeiorum militia, intérque pericula prosperæ ex æquo aduersæq́ fortunæ societas. Verum plebs non tam facile parebat vt antea, neque sponte dabat nomina: cogere verò eam legibus nolebant consules, sed voluntarij quidam è patritiis conscripti sunt vnà cum suis clientibus. quos pauci ex plebe secuti sunt. ductabat autem eos Cn. Marcius qui Corioles ceperat, & ex conflictu cum Antiatibus fortitudinis palmam retulerat: cuius ductus maximæ parti militum addebat animos:

vel

vel quòd amarent eum, vel quòd bonam ſpem conciperent. Iam enim fama celebrabatur, & magno terrori erat hoſtibus. Is exercitus vſque Antium progreſſus, præter magnam frumenti vim in agris repertam, mancipiis quoque pecoribúſque multis potitus eſt, breuique ditior factus domum rediit, ita vt qui manſerant in vrbe mæſti obloquerentur tribunis, quorum culpa videbantur ſimili felicitate fraudati. in hunc modum Geganius & Minucius huius anni conſules magnis iactati tempeſtatibus & penè obruti, euaſerunt tamen & ſeruarunt rempublicam, maiore prudentia quàm felicitate. Hos ſecuti M. Minucius Augurinus, A. Sempronius Atratinus, iterum eundem magiſtratum adepti, viri armis & conſilio clari multam curam habuerunt importandi frumenti aliorúmq; commeatuum, velut in annona vilitate concordia populi conſiſteret: non tamen eis vtrunque contigit, ſaturitatem conſequente petulantia: & quando minime putabatur, tunc denuo maximum populus Romanus periculum adiit. nam & legati frumentatum miſſi è mediterraneis & maritimis emporiis fruges coemptas aduexerunt in horrea publica: & negotiatores frumentarij vndique confluxerant, quos ciuitas exonerauit redēptis mercibus ex ærario, quæ aſſeruarentur publicè. Venerunt & legati ſuperiore anno in Siciliam miſſi Geganius Valeriúſque cum multis onerariis, quæ afferebant tritici quinquaginta millia medimnûm Siculorum: quorum dimidium emerant admodum vili pretio, reliquum tyrannus dono miſerat, ſuóque ſumptu aduexerat. eas appuliſſe poſtquā in vrbe cognitum eſt, diu agitatum eſt inter patritios quid eo deberent facere. nam qui æquiſsimi erāt plebiſq; amantiſsimi, conſiderantes eam in quantis eſſet neceſſitatib

tatib

tatibus, & donum tyranni suadebant diuidendum plebeiis hominibus, & emptum pecunia publica reuendendum eis paruo pretio, docentes hoc maximè pacto fieri posse vt deliniti beneficio pauperes æquiores reddantur diuitibus. at arrogantiores & amici aucorum optimatium potentiæ, aiebant omnibus modis omníque studio plebem affligendam: consulebántque vt quàm possent carissimè frumentum ei venderent, vt vel necessitate adacta sobrietatem disceret, & magis subiiceretur ciuitatis legibus. ex horum numero erat & Marcius ille Coriolanus cognomine, non vt reliqui dissimulans timore suam sententiam sed apertè magnáque audacia clamitans, multis plebeiis audientibus. nam præter publicas odij causas, etiam priuatim infensus erat plebi ob recentem vt illi videbatur iniuriam. Consulatum enim ambienti proximis comitiis cum non deessent patritiorum studia, plebs aduersata magistratum eum dare noluit, verita viri claritatem & audaciam, ne forte his fretus conaretur è repub. tollere potestatem tribunitiam, augente metum eum alacritate patritiorum, qui nulli vnquam candidato æquè fauerant. hac igitur offensa irritatus, & mutatam remp. in pristinam formam restitui cupiens, & ipse (vt dixi) palam aduersabatur plebis potentiæ, & idem vt facerent persuadebat aliis. Iámque circa se habebat validam sodalitatem nobilium iuuenum, & multos clientes quos illi militiæ commoda conciliauerant: quibus elatus ferociebat & agebat splendidè, in ciuitate insigniter præminens, sed minus felici exitu. Senatu enim hac de causa coacto, & rogatis ex more primũ senioribus, in quibus multi apertè contrarias plebi sententias dicebant, vbi ad iuniores ex ordine ventum est, à C O S S. *petita proferendi quæ vellet facultate, om-*

nibus annuentibus & aures attentas præbentibus, in hunc modum contra plebem disseruit. Non necessitate inopiáve coactam plebem secessisse P C, sed malitiosa mente vt optimatium potentiam destrueret, & ipsa posset omnia, puto vos fermè omnes intellexisse ex tam iniquis pacis conditionibus. quandoquidem non contenta fidem à contractibus sustulisse, violasséque leges de his conditas, nouum magistratum instituit per quem consulatus antiquaretur, eúmque lege lata sacrosanctum fecit, & nunc is recenti plebiscito tyrannica potestate suffultus est vobis imprudentibus. Cum enim homines hanc maximam potestatem nacti honesto prætextu succurrendi pressis iniuria ciuibus, abutentes ea bona vestra ferant agántque vetante nemine: quòd nec priuatus quisquam nec magistratus id audeat metu legis auferentis vobis dicendi faciendíque copiam, & mortem minantis liberam vocem emittentibus: quodnam nomen ei potestati dabimus? si sapimus nisi verissimum illud tyrannidis & confessum omnibus? quid enim refert vniusne viri, an totius plebis, feramus tyrannidem? effectus certè vtriúsque idem est. Optimum igitur fuisset ne semen quidem huius potestatis admittere, sed quiduis perferre potius: sicut bonus hic Appius censebat multo ante mala hæc prospiciens. quod quia non est factum, nunc saltem omnes vnanimiter euulsam radicitus eijciamus è ciuitate, dum imbecillis est & expugnatu facilis. Nec primus hoc nobis P C aut solis accidit: sed multi sæpe per inconsiderantiam constituti in necessitatibus, agnito errore quòd principio malorum non obstitissent, eorum incrementa conati sunt tollere: apparuítque pœnitentiam sero incipientium superc

pere, licet non conferenda sit cum prouidentia, tamen alio modo non minus rebus consulere, dum effectum aufert cuius fefellerant principia. Quod siqui vestrum molestè quidem ferunt plebis insolentiam, & compescendam putant ne pergat vlterius: sed religione quadam tenentur, ne videantur à conuentis priores discedere, & iusiurandum contemnere: sciant se non inferre iniuriam, sed repellere: nec violare pacta sed inuiolatores eorum animaduertere, nulli deorum iræ obnoxios, & piè iustéque consulentes suis commodis. quod autem plebs non stet conditionibus violato fœdere, non vos, hinc liquet: quia non est contenta ijs quæ in reditu obtinuit. petijt enim tribunitiam potestatem ne à senatu læderetur ipsa, non vt senatum vltro læderet. vtitur autem ea non ad quæ vti debet, aut ad quæ inuenta est, sed ad corruptelam ac confusionem huius reipublicæ. Meministis sanè concionis nuper habitæ, tum quæ à tribunis tunc dicta sint arroganter & impudentissime, quámque se nunc iactent insani homines, vbi vident eo plebiscito contineri totam vim reipublicæ, quam ipsi facile obtinebunt cum nos vincant numero. quid igitur nobis faciendum restat quando ipsi cœperunt transgredi leges & fœdera, nisi vt nos defendamus, & quæ iniustè vsurpant, iuste ab eis extorqueamus, cohibeamúsque cupiditates eorum in posterum: gratiámque dijs habeamus: qui nõ eam mentem eis dederint, vt circumscripta rep. modestè agerent cætera: sed tantam eis impudentiam & fraudulentiam immiserint, quæ vos cogat & recuperare iam perdita, & reliqua diligenter custodire ne vobis pereant. Nec alia melior occasio expectanda est, siquidem sapere incipitis quando magna pars fame afflicti sunt; cui reliqui non poterunt diu resistere præ inopia, si rari &

cari commeatus prabeantur. quapropter asseruandos censeo, nec remittendum quicquam de pretio, sed flagellandam annonam quàm maxime, tantique vendenda omnia, quanti vobis libuerit: nec immerito, quando iustum est & rationi consentaneum ingratam plebem premere, conferentem in nos culpam caritatis & inopiæ quæ propter ipsorum secessionem accidit, agris per eos vastatis ac direptis tanquam hostilibus, & propter hoc exhausto in externas frumentationes ærario. quamuis non his solis vos affecerunt iniuriis, vt intelligamus quonam modo nos tractaturi sint, nisi omnia pro libidine plebis ferimus, sicut concionatores eorũ nos territantes minati sunt. quodsi præsentem occasionem emiseritis è manibus, posthac frustra similem optabitis. & si cognouerit plebs voluisse vos vires eius dissoluere nec potuisse, instabit vobis multo grauior, vt volentibus quidem nocere, sed minime valentibus. Ad hanc orationem Marcij variatum est in senatu sententiis, & tumultuatum etiam. Nam qui iam inde à principio dissensionis infensi plebi pacem inuiti fecerant, in quibus erat iuuentus penè tota, & è senioribus quisque ditissimus ac ambitiosissimus, molestè ferentes vulgi insolentiam, laudabant virum vt generosum & amantem patriæ, optiméque consulentem reip. At qui propensiores erant in plebem, censu honoribúsque modici, & nihil pace habentes potius, verba eius non libentibus accipiebant animis: postulabántque vt non violentiores, sed prudentiores præessent humilioribus, & æquitatem non vt indecoram aspernarentur, sed amplecterentur vt necessariam, cum aliàs, tum coniungendis mutua beneuolentia ciuibus: aiebántque insanam eius orationem, non liberam. hæc tamen pars vt parua & debilis, cog

lis, cogebatur cedere vi numeróque potioribus. Hæc videntes tribuni (aderant enim in senatu vocati à COSS.) fremebant & obiurgabant Marcium appellantes eum pestem perniciémque reip. quem plebi male loquentem & ciuile bellum in vrbem importantem nisi cohiberent patres mulctatum capite aut exilio, ipsi se id facturos minabantur. ad quorum verba etiam maiore tumultu exorto, præsertim iunioribus minas indignè ferentibus, audacior iam Marcius inuehebatur in tribunos acrius: Immo, inquit, vos perturbatis remp. concionibus vestris seducentes turbam inopem: quod ni desieritis, non verbis posthac vobiscum agam sed manibus. Exacerbato autem senatu, tribuni cognito plures esse qui vellent potestatem plebi semel concessam adimere, quàm qui cuperent stare conditionibus, proripuerunt se curia vociferantes, & inuocantes deos testes fœderum. deinde coacta in concionem plebe, indicauerunt quid in senatu locutus sit Marcius, iubebántque vt causam apud populum diceret. quos cùm ille contemneret, atque etiam viatores eorum à quibus accersebatur cum contumelia verborum reiiceret, magis exasperati assumptis ædilibus & aliquot aliis ciuibus properauerunt ad eum, forte fortuna hærentē adhuc pro curia, stipatum multis patritiis cæterísque sodalibus. quo viso imperauerunt ædilibus vt eum comprehenderent, & nisi sponte sequeretur, vi ducerent. erant autem tunc ædiles L. Iunius Brutus, Sp. Icilius Ruga. hi accesserunt quasi arrepturi hominem. patritij contrà indignati tribunorum audaciam, qui ante iudicium aliquem sui ordinis ducerent, obiecerunt se pro Marcio, & pugnis abegerunt eos qui propius illum accederent. ad cuius facti rumorem tota vrbe prosiliebatur ex ædibus, ho-

desitis fauori n[illegible]
nauit rempubli[illegible]
cio alia quoque [illegible]
ciant, sed in pr[illegible]
mutuam fidem [illegible]
non enim hodie [illegible]
tia, sed comm[illegible]
felicitatem pe[illegible]
instituti artib[illegible]
taribus, honor[illegible]
re socij, quod [illegible]
ter mortales n[illegible]
instat de rebu[illegible]
riores fuerint. [illegible]
lorum omnium [illegible]
tes gratissima[illegible]
gnitatem. lib[illegible]
ribus nunc h[illegible]
quam & [illegible]
ciuitatis e[illegible]
modis prius [illegible]
nulla nostra [illegible]
nullam nob[illegible]
quid expectan[illegible]
positam habem[illegible]
rum su[illegible]

[illegible] & diuitibus contendentibus protegere Ma-
[illegible] simul cum patritijs, & recuperare [illegible]
[illegible] humiliores autem & egenis [illegible]
[illegible] defendere, & quicquid interim facere [illegible]
[illegible] quae de iniurijs commissum est.
[illegible] COSS. Se-
[illegible]

us. Scitis certè ipsi fruges non prouenisse
tionem intermissam, nec ignoratis qua-
rum vastitatis causa sit, quóve modo acci
ntum egregiorum fundorum vacuum sit
ancipijs, pecoribus: quæ partim ab hosti-
sunt, partim à vobis tam multis absum
unde victum petentibus. Est igitur cau-
n concionatores isti per calumniam affe
am ipsi scitis: quod cum ita esse vos non
nite calamitatē hanc imputare nostris
rasci nobis immeritis. Cæterùm colonos
egit deduci ex communi omnium ve-
ia, vt essent præsidio locis ad bellum
is: profectique id tam iniquo tempore,
profecti sunt, tum vobis reliquis nam
n habent rerum copiam: his qui mansē
quam ante commeatus sufficiunt. nec
est consilium quo sorte lecti sunt tam
nc quam ex nostro mittēdi in colonias,
n fortuna particip es. quid igitur in
t istis concionatoribus criminari nos,
obis-cum habemus & fortunam & sen
malam vt isti aiunt siue vt nobis vi-
dam. Nam calumnias quibus oppe-
um proximum, nolle nos moderari re-
m pretia conari per insidias tollere po-
bunitiam, retinere secessionis memoriā,
modis plebem afflictam cupere, breui fa
emus: quando nullius maleficij sumus
& potestatem tribunitiam quibus con
nc vobis concessimus, eisdem confirma-
oque frumentum etiam ita vendetur,
mnibus placuerit. expectate igitur si
non præstabitur, & tum demum nos ac
si velletis diligenter examinare hanc

controuersiam, iustius patritij nos plebem accusaremus. quàm senatum vos, qui hoc facitis non expecta to nostrorum consiliorum exitu. Atqui nemo nescit quam facile sit cuiuis rebus turbatis concordiam è ciuitate tollere, ea criminanti quorum fides incerta pendeat, & non tam nos tueri possit, quàm continere in officio. Nec soli duces vestri obiurgationem merentur qui calumnijs senatum impetunt, sed non minus vos qui eis temere creditis, & nondum experti fidem patrum, iam illis indignamini: quos oportebat siquas in futurum timeretis iniurias, iram quoque in illa seruare tempora. nunc certè praepropere magis quàm prudenter agitis, dum securitatem vestram in malefaciendo collocatis. Hæc pro toto senatu contra calumnias tribunorum puto suffice re. quoniam autem & singulos nostrum falso criminantur, quasi sententijs in senatu dictis seramus in ciuitate dissidia: & nunc Cn. Marcium amatorem patriæ liberè de Repub. locutum necare aut in exilium agere cupiunt, volo de hoc quoque quod iustum est dicere: vos considerate quàm modestè ac verè locuturus sum. Vos plebeij redeuntes cum senatu in gratiam satis putabatis æs alienum remitti vobis, & in auxilium pauperum vim patientium magistratus petijstis creari ex vestro corpore. pro vtroque impetrato magnas nobis egistis gratias. magistratum autem consulum abrogare, aut senatui regimen rerum adimere, peruertereque bene constitutum Reipublicæ ordinem, nec petijstis, nec vnquam petetis. quid igitur vobis nunc accidit, vt velitis confundi hæc omnia? aut quo iure honores nostros tollere cupitis? Si senatores à sententijs ex animo liberéque dicendis deterrueritis, quid æqui à vestris magistratibus expectandum est? aut quibus legibus patritios mortis exilij've reos peragere poterunt?

terunt? nam nec veteres leges hanc vobis potestatem dant, nec nouæ conditiones initi cum senatu fœderis. legum porrò præscripta transgredi, & vim iure potiorem facere, non plebis est, sed tyrannorum, si vera licet dicere. Ego suaderem vobis, vt quæ à senatus benignitate impetrastis, retineatis: quæ verò cum rediretis in gratiam non postulastis, ne nunc quidem vsurpetis. vt autem melius intelligatis nihil moderatum iustúmve tribunos petere, sed iniqua & impoßibilia cupere, rem considerate perinde acsi vestrum esset negotium: & fingite à senatoribus vestros magistratus accusari, quòd male de senatu loquantur apud vos, & perditum eant rempub. hactenus bene administratam ab optimatibus, seditionésque concitent: quæ sanè vera crimina sunt, faciunt enim omnia: denique quòd maiorem concessa potestatem sibi vsurpent, conantes quemlibet nostrum indemnatum occidere: ac deinde postulari vt talia facientes liceat impune interficere: quomodo ferretis hanc summi ordinis arrogantiam? quid diceretis? an non indignaremini dicentes vobis iniuriam fieri si adimatur loquendi libertas, proposito vitæ periculo audentibus pro plebe liberam vocem emittere? negare non potestis. Et postea quæ ipsi non ferretis, æquum putatis ferre alios? haccine sunt illa vestra ciuilia modestáque consilia? an non hoc pacto criminatoribus vestris fidem astruitis, vt videantur iustè ac è Republ. suadere, ne sinamus iniquam hanc vestram potentiam crescere? mihi certè videmini astruere. quod si contrà quàm insimulamini vultis facere, me autore modesti estote: & si quibus verbis offendimini, ea non iracundè ferte sed ciuiliter. hoc enim modo & ipsi bonorum virorum opinionem lucrifeceritis, & inimicos vestros ad pœnitentiam adduxeritis.

factiue ageret, paratum se aiebat causam dicere. nunc verò se produxisse ad plebeios ipsis vocantibus, vt obiurgaret ipsorum iniquas cupiditates, in quas erupissent vel secessionis tempore vel post reditum, suaderétque cohiberent eas in posterum. post hac magna audacia inuectus est in omnes, sed in tribunos maxime. inerat autem eius verbis non ciuilis reuerentia bonis rationibus admonentis populum, nec priuati hominis sobria modestia loquentis ad potentiores infensos sibi, sed velut insultantis intrepidè inferioribus & obnoxijs bilis immodica, insignísque contemptus affectorum iniuria quapropter & loquente etiam tum magnus tumultus erat, vt quidque placeret aut offenderet in tam diuersis multitudinis voluntatibus alijs applaudentibus, obstrepentibus alijs: & vbi desijt, maior etiam coortus est clamor ac strepitus. nam patritij optimum virum appellantes, laudabant eius ingenuam facundiam, affirmantes solum omnium esse liberum, qui nec inimicorum ex aduerso stantium turba sit territus, nec ciuium superbos & iniquos conatus blanditijs delinire conatus sit. plebeij verò agrè ferentes improperia prædicabant eum molestum & acerbum, hostiúmque omnium infensissimum. nec deerat quibusdam animus, id quod videbatur facilè, statim eum interficere. hos adiuuabant duces multitudinis, instigatore præcipue Sicinio. qui acerbissimè inuectus in hominem, accenso furore populi accusationem clausit capitali sententia, quam latam aiebat à tribunorum collegio, ob iniuriam factam ædilibus, quos pridie iussos à se vt eum ducerent, pulsatos abegerit. nam contumeliam ministris factam, in ipsos qui iusserant recidere. his dictis iussit eum duci in imminentem foro tumulum. est autem locus vasta rupe horrendus, vnde solent damnatos dare præcip

præcipites. Aediles igitur accesserunt vt eum comprehenderent. contrà patritij cum magno clamore simul fecerunt in eos impetum, ac rursum plebs in patritios. nec iam in dictis factisve decorum seruabatur vtrinque, impellentibus se inuicem nec à manibus temperantibus. cohibiti sunt tamen à COSS. in medios se dantibus, & per lictores turbam summouentibus. tanta tum erat eius magistratus reuerentia, tantum honoris tribuebatur potestati regiæ. Ibi Sicinius perturbatus & anxius, quòd timeret ne aduersarios cogeret vim vi repellere, nolens à cœptis desistere, nec tamen valens sententiam suam exequi, cogitabat quidnam faceret. quem hærentem videns L. Iunius Brutus, concionator ille qui conditiones pacis excogitauerat, vir acer cum aliâs, tum in expediendis difficultatibus, solus solum monuit ne contenderet, desisteretque ab incepto nimis iniquo & callido, cum videat vniuersos patritios irritatos, paratósque omnes, si à COSS. vocentur, arma corripere: plebis verò maximam partem ambigere, nec libenter virum omnium nobilissimum ad supplicium præsertim indemnatum dedere. consulebat autem tum quidem cedere, nec pugnare cum COSS. ne quid sequatur durius, sed viro diẽ ad populum dicere: & quod plurium suffragijs ratum fuerit id facere. nam esse violentiæ tyrannicæ quod tum patrare conaretur, ipse accusator & iudex, idémque pœnæ arbiter. ciuilius autem data dicendæ causæ potestate, reum passurum quicquid iudicatum fuerit. Paruit Sicinius videns hæc consultissimum: & progressus in medium, Cernitis, inquit, Quirites studia patritiorum ad cædes & violentiam tendere, qui vnum hominem superbum totique ciuitati noxium, vobis omnibus præferunt. nos non sumus eorum similes, nõ sumus tam præcipites:

nec

vel quòd amarent eum, vel quòd bonam spem conciperent. Iam enim fama celebrabatur, & magno terrori erat hostibus. Is exercitus vsque Antium progressus, præter magnam frumenti vim in agris repertam, mancipiis quoque pecoribúsque multis potitus est, breuique ditior factus domum rediit, ita vt qui manserant in urbe mœsti obloquerentur tribunis, quorum culpa videbantur simili felicitate fraudati. in hunc modum Geganius & Minucius huius anni consules magnis iactati tempestatibus & penè obruti, euaserunt tamen & seruarunt rempublicam, maiore prudentia quàm felicitate. Hos secuti M. Minucius Augurinus, A. Sempronius Atratinus, iterum eundem magistratum adepti, viri armis & consilio clari multam curam habuerunt importandi frumenti aliorumque commeatuum, velut in annona vilitate concordia populi consisteret: non tamen eis vtrunque contigit, saturitatem consequente petulantia: & quando minime putabatur, tunc denuo maximum populus Romanus periculum adiit. nam & legati frumentatum missi è mediterraneis & maritimis emporiis fruges coemptas aduexerunt in horrea publica: & negotiatores frumentarij vndique confluxerant, quos ciuitas exonerauit redēptis mercibus ex ærario, quæ asseruarentur publicè. Venerunt & legati superiore anno in Siciliam missi Geganius Valeriúsque cum multis onerariis, quæ afferebant tritici quinquaginta millia medimnûm Siculorum: quorum dimidium emerant admodum vili precio, reliquum tyrannus dono miserat, suóque sumptu aduexerat. eas appulisse postquā in vrbe cognitum est, diu agitatum est inter patritios quid eo deberent facere. nam qui æquissimi erāt plebisq; amantissimi, considerantes eam in quantis esset necessi-

tatib

tatibus, & donum tyranni suadebant diuidendum plebeiis hominibus, & emptum pecunia publica reuendendum eis paruo pretio, docentes hoc maximè pacto fieri posse vt deliniti beneficio pauperes aquiores reddantur diuitibus. at arrogantiores & amici aucorum optimatium potentiæ, aiebant omnibus modis omnique studio plebem affligendam: consulebántque vt quàm possent carissimè frumentum ei venderent, vt vel necessitate adacta sobrietatem disceret, & magis subiiceretur ciuitatis legibus. ex horum numero erat & Marcius ille Coriolanus cognomine, non vt reliqui dissimulans timore suam sententiam sed apertè magnáque audacia clamitans, multis plebeiis audientibus. nam præter publicas odij causas, etiam priuatim infensus erat plebi ob recentem vt illi videbatur iniuriam. Consulatum enim ambienti proximis comitiis cum non deessent patritiorum studia, plebs aduersata magistratum eum dare noluit, verita viri claritatem & audaciam, ne forte his fretus conaretur è repub. tollere potestatem tribunitiam, augente metum eum alacritate patritiorum, qui nulli vnquam candidato æquè fauerant. hac igitur offensa irritatus, & mutatam remp. in pristinam formam restitui cupiens, & ipse (vt dixi) palam aduersabatur plebis potentiæ, & idem vt facerent persuadebat aliis. Iámque circa se habebat validam sodalitatem nobilium iuuenum, & multos clientes quos illi militiæ commoda conciliauerant: quibus elatus ferociebat & agebat splendidè, in ciuitate insigniter præminens, sed minus felici exitu. Senatu enim hac de causa coacto, & rogatis ex more primũ senioribus, in quibus multi apertè contrarias plebi sententias dicebant, vbi ad iuniores ex ordine ventum est, à COSS. petita proferendi quæ vellet facultate, omnibus

K

nibus annuentibus & aures attentas præbentibus, in hunc modum contra plebem disseruit. Non necessitate inopiáve coactam plebem secessisse P C, sed malitiosa mente vt optimatium potentiam destrueret, & ipsa posset omnia, puto vos fermè omnes intellexisse ex tam iniquis pacis conditionibus. quandoquidem non contenta fidem à contractibus sustulisse, violasséque leges de his conditas, nouum magistratum instituit per quem consulatus antiquaretur, eúmque le ge latasacrosanctum fecit, & nunc is recenti plebiscitotyrannica potestate suffultus est vobis imprudentibus. Cum enim homines hanc maximam potestatem nacti honesto prætextu succurrendi pressis iniuria ciuibus, abutentes ea bona vestra ferent agántque vetante nemine: quòd nec priuatus quisquam nec magistratus id audeat metu legis auferentis vobis dicendi faciendíque copiam, & mortem minantis liberam vocem emittentibus: quodnam nomen ei potestati dabimus si sapimus nisi verissimum illud tyrannidis & confessum omnibus? quid enim refert vniusne viri, an totius plebis, feramus tyrannidem? effectus certè vtriúsque idem est. Optimum igitur fuisset ne semen quidem huius potestatis admittere, sed quiduis perferre potius: sicut bonus hic Appius censebat multo ante mala hac prospiciens. quod quia non est factum, nunc saltem omnes vnanimiter euulsam radicitus eijciamus è ciuitate, dum imbecillis est & expugnatu facilis. Nec primis hoc nobis P C aut solis accidit: sed multi sæpe per inconsiderantiam constituti in necessitatibus, agnito errore quòd principio malorum non obstitissent, eorum incrementa conati sunt tollere: apparuítque pœnitentiam sero incipientium sapere

pere

pere, licet non conferenda sit cum prouidentia, tamen alio modo non minus rebus consulere, dum effectum aufert cuius fefellerant principia. Quod si qui vestrum molestè quidem ferunt plebis insolentiam, & compescendam putant ne pergat vlterius: sed religione quadam tenentur, ne videantur à conuentis priores discedere, & iusiurandum contemnere: sciant se non inferre iniuriam sed repellere: nec violare pacta sed inuiolatores eorum animaduertere, nulli deorum iræ obnoxios, & piè iustéque consulentes suis commodis. quod autem plebs non stet conditionibus violato fœdere, non vos, hinc liquet: quia non est contenta ijs quæ in reditu obtinuit. petijt enim tribunitiam potestatem ne à senatu læderetur ipsa, non vt senatum vltro læderet. vtitur autem ea non ad quæ vti debet, aut ad quæ inuenta est, sed ad corruptelam ac confusionem huius reipublicæ. Meministis sanè concionis nuper habitæ, tum quæ à tribunis tunc dicta sint arroganter & impudentissime, quámque se nunc iactent insani homines, vbi vident eo plebiscito contineri totam vim reipublicæ, quam ipsi facile obtinebunt cum nos vincant numero. quid igitur nobis faciendum restat quando ipsi cœperunt transgredi leges & fœdera, nisi vt nos defendamus, & quæ iniustè vsurpant, iuste ab eis extorqueamus, cohibeamúsque cupiditates eorum in posterum: gratiámque dijs habeamus: qui nõ eam mentem eis dederint, vt circumscripta rep. modestè agerent cætera: sed tantam eis impudentiam & fraudulentiam immiserint, quæ vos cogat & recuperare iam perdita, & reliqua diligenter custodire ne vobis pereant. Nec alia melior occasio expectanda est, siquidem sapere incipitis quando magna pars fame afflicti sunt; cui reliqui non poterunt diu resistere præ inopia, si rari &

cari commeatus praebeantur. quapropter asseruandos censeo, nec remittendum quicquam de pretio, sed flagellandam annonam quàm maxime, tantique vendenda omnia, quanti vobis libuerit: nec immerito, quando iustum est & rationi consentaneum ingratam plebem premere, conferentem in nos culpam caritatis & inopiæ quæ propter ipsorum secessionem accidit, agris per eos vastatis ac direptis tanquam hostilibus, & propter hoc exhausto in externas frumentationes ærario. quamuis non his solis vos affecerunt iniuriis, vt intelligamus quonam modo nos tractaturi sint, nisi omnia pro libidine plebis ferimus, sicut concionatores eorũ nos territantes minati sunt. quodsi præsentem occasionem emiseritis è manibus, posthac frustra similem optabitis. & si cognouerit plebs voluisse vos vires eius dissoluere nec potuisse, instabit vobis multo grauior, vt volentibus quidem nocere, sed minime valentibus. Ad hanc orationem Marcij variatum est in senatu sententiis, & tumultuatum etiam. Nam qui iam inde à principio dissensionis infensi plebi pacem inuiti fecerant, in quibus erat iuuentus penè tota, & è senioribus quisque ditissimus ac ambitiosissimus, moleste ferentes vulgi insolentiam, laudabant virum vt generosum & amantem patriæ, optiméque consulentem reip. At qui propensiores erant in plebem, censu honoribúsque medici, & nihil pace habentes potius, verba eius non libentibus accipiebant animis: postulabántque vt non violentiores, sed prudentiores praeessent humilioribus, & æquitatem non vt indecoram aspernarentur, sed amplecterentur vt necessariam, cum aliàs, tum coniungendis mutua beneuolentia ciuibus: aiebántque insanam eius orationem, non liberam. hæc tamen pars vt parua & debilis, cog

lis, cogebatur cedere vi numeróque potioribus. Hæc videntes tribuni (aderant enim in senatu vocati à COSS.) fremebant & obiurgabant Marcium appellantes eum pestem perniciémque reip. quem plebi male loquentem & ciuile bellum in vrbem importantem nisi cohiberent patres mulctatum capite aut exilio, ipsi se id facturos minabantur. ad quorum verba etiam maiore tumultu exorto, præsertim iunioribus minas indignè ferentibus, audacior iam Marcius inuehebatur in tribunos acrius: Immo, inquit, vos perturbatis remp. concionibus vestris seducentes turbam inopem: quod ni desieritis, non verbis posthac uobiscum agam sed manibus. Exacerbato autem senatu, tribuni cognito plures esse qui vellent potestatem plebi semel concessam adimere, quàm qui cuperent stare conditionibus, proripuerunt se curia uociferantes, & inuocantes deos testes fœderum. deinde coacta in concionem plebe, indicauerunt quid in senatu locutus sit Marcius, iubebántque vt causam apud populum diceret. quos cùm ille contemneret, atque etiam viatores eorum à quibus accersebatur cum contumelia verborum reiiceret, magis exasperati assumptis ædilibus & aliquot aliis ciuibus properauerunt ad eum, forte fortuna hærentẽ adhuc pro curia, stipatum multis patritiis cæterísque sodalibus. quo viso imperauerunt ædilibus vt eum comprehenderent, & nisi sponte sequeretur, vi ducerent. erant autem tunc ædiles L. Iunius Brutus, Sp. Icilius Ruga. hi accesserunt quasi arrepturi hominem. patritij contrà indignati tribunorum audaciam, qui ante iudicium aliquem sui ordinis ducerent, obiecerunt se pro Marcio, & pugnis abegerunt eos qui propius illum accederent. ad cuius facti rumorem tota vrbe prosiliebatur ex ædibus, ho-

neratis & diuitibus contendentibus protegere Marcium simul cum patritijs, & recuperare pristinum statum reip. humilibus autem & egenis paratis tribunos defendere, & quicquid iuberent facere, sublata omni reuerentia qua ab iniurijs cohibiti fuerant hactenus. nihil tamen atrox ea die commissum est. sed differebant in crastinum, exorati à C O S S. Sequenti die primi tribuni in forum progreßi vocato in concionē populo, vnus post alium grauiter accusabant senatum quòd non starent fœderibus, essentque obliti iurisiurandi plebi dati de offensarum obliuione: afferebántque argumentum parum sincere plebeijs reconciliatorum frumenti penuriam cuius ipsi autores fuerunt, & missos in vtránque coloniam, quicquid præterea moliti essent ad minuendam plebis multitudinem. Vehementer etiam taxatus est Marcius, referentibus verba eius quæ in senatu dixerat vtque vocatus ad dicendam causam apud populum, non modo non paruerit, verum etiam ædiles ad se venientes pulsatos reiecerit. citabántque testes in senatu dictorum honoratißimum quemque eius ordinis: facta vero ædilibus iniuriæ, totum qui tunc in foro adfuerat populum. His dictis dabant patribus, si vellent, pro se dicendi copiam, detinentes in comitio populum, donec senatus dimitteretur. nam forte de hoc ipso consultabatūr in curia, vtrum respondere apud populum ad obiectas calumnias sit satius, an eas dißimulare silentio. & quia pluribus placebant humana quàm superba sententia. C O S S. dimisso senatu processerunt in comitium pro omnibus responsuri ad calumnias, & deprecaturi pro Marcio, ne plebs animaduerteret in eum grauius. quorum senior Minutius ita locutus est. Quod ad inopiam frumenti attinet Quirites, paucis verbis opus est, nec alijs quam vobis

bis testibus. Scitis certè ipsi fruges non prouenisse propter sationem intermissam, nec ignoratis quænam agrorum vastitatis causa sit, quóve modo acci derit ut tantum egregiorum fundorum vacuum sit frugibus mancipijs, pecoribus: quæ partim ab hostibus direpta sunt, partim à vobis tam multis absumpta, non aliunde victum petentibus. Est igitur causa non quam concionatores isti per calumniam afferunt, sed quam ipsi scitis: quod cum ita esse vos non lateat, desinite calamitatè hanc imputare nostris insidijs, & irasci nobis immeritis. Cæterùm colonos necessitas coëgit deduci ex communi omnium vestrum sententia, ut essent præsidio locis ad bellum opportunissimis: profuitque id tam iniquo tempore, tum ipsis qui profecti sunt, tum vobis reliquis. nam illi uberiorem habent rerum copiam: his qui manserunt, magis quàm ante commeatus sufficiunt. nec improbari potest consilium, quo sorte lecti sunt tam ex vestro ordine quam ex nostro mittēdi in colonias, futuri eiusdem fortunæ participes. quid igitur in mentem venit istis concionatoribus criminari nos, qui eandem vobiscum habemus & fortunam & sententiam, siue malam ut isti aiunt, siue ut nobis videtur commodam. Nam calumnias quibus oppetierunt senatum proximum, nolle nos moderari rerum venalium pretia conari per insidias tollere potestatem tribunitiam, retinere secessionis memoriā, & omnibus modis plebem afflictam cupere, breui factis ipsis diluemus: quando nullius maleficij sumus nobis conscij. & potestatem tribunitiam quibus conditionibus tunc vobis concessimus, eisdem confirmamus. nunc quoque frumentum etiam ita vendetur, sicut vobis omnibus placuerit. expectate igitur si quid horum non præstabitur, & tum demum nos accusate. quod si velletis diligenter examinare hanc

controuersiam, iustius patritij nos plebem accusaremus. quàm senatum vos, qui hoc facitis non expecta to nostrorum consiliorum exitu. Atqui nemo nescit quam facile sit cuiuis rebus turbatis concordiam è ciuitate tollere, ea criminanti quorum fides incerta pendeat, & non tam nos tueri posit. quàm continere in officio. Nec soli duces vestri obiurgationem merentur qui calumnijs senatum impetunt, sed non minus vos qui eis temere creditis, & nondum experti fidem patrum, iam illis indignamini: quos oportebat siquas in futurum timeretis iniurias, iram quoque in illa seruare tempora. nunc certè praprope re magis quàm prudenter agitis, dum securitatem vestram in malefaciendo collocatis. Hæc pro toto senatu contra calumnias tribunorum puto suffice re. quoniam autem & singulos nostrum falso criminantur, quasi sententijs in senatu dictis seramus in ciuitate dissidia: & nunc Cn. Marcium amatorem patriæ liberè de Repub. locutum necare aut in exilium agere cupiunt, volo de hoc quoque quod iustum est dicere: vos considerate quàm modestè ac verè locuturus sum. Vos plebeij redeuntes cum senatu in gratiam satis putabatis æs alienum remitti vobis, & in auxilium pauperum vim patientium magistratus petijstis creari ex vestro corpore. pro vtroque impetrato magnas nobis egistis gratias. magistratum autem consulum abrogare, aut senatui regimen rerum adimere, peruertereque bene constitutum Reipublicæ ordinem, nec petijstis, nec vnquam petetis. quid igitur vobis nunc accidit, vt velitis confundi hæc omnia? aut quo iure honores nostros tollere cupitis? Si senatores à sententijs ex animo libereque dicendis deterrueritis, quid æqui à vestris magistratibus expectandum est? aut quibus legibus patritios mortis exilij've reos peragere poterunt?

terunt? nam nec veteres leges hanc vobis potestatem dant, nec nouæ conditiones initi cum senatu fœderis. legum porrò præscripta transgredi, & vim iure potiorem facere, non plebis est, sed tyrannorum, si vera licet dicere. Ego suaderem vobis, vt quæ à senatus benignitate impetrastis, retineatis: quæ verò cum rediretis in gratiam non postulastis, ne nunc quidem vsurpetis. vt autem melius intelligatis nihil moderatum iustúmve tribunos petere, sed iniqua & impossibilia cupere, rem considerate perinde acsi vestrum esset negotium: & fingite à senatoribus vestros magistratus accusari, quòd male de senatu loquantur apud vos, & perditum eant rempub. hactenus bene administratam ab optimatibus, seditionésque concitent: quæ sanè vera crimina sunt, faciunt enim omnia: denique quòd maiorem concessa potestatem sibi vsurpent, conantes quemlibet nostrum indemnatum occidere: ac deinde postulari vt talia facientes liceat impune interficere: quomodo ferretis hanc summi ordinis arrogantiam? quid diceretis? an non indignaremini dicentes vobis iniuriam fieri si adimatur loquendi libertas, proposito vitæ periculo audentibus pro plebe liberam vocem emittere? negare non potestis. Et postea quæ ipsi non ferretis, æquum putatis ferre alios? haccine sunt illa vestra ciuilia modestáque consilia? an non hoc pacto criminatoribus vestris fidem astruitis, vt videantur iustè ac è Republ. suadere, ne sinamus iniquam hanc vestram potentiam crescere? mihi certè videmini astruere. quod si contrà quàm insimulamini vultis facere, me autore modesti estote: & si quibus verbis offendimini, ea non iracundè ferte sed ciuiliter. hoc enim modo & ipsi bonorum virorum opinionem lucrifeceritis, & inimicos vestros ad pœnitentiam adduxeritis.

ritis. Ergo cū ratio vobis reddita sit ni fallor iustissima, suadeo nequid faciatis præter officium. Beneficiorum quoque nostrorum meminneritis vt æquū est. quæ non vt exprobremus, sed vt placatiores vos habeamus, tum vetera, tum hæc nouissima reditus vestri tempore accepta, nobis nō vobis obliuiscenda, reuocamus in memoriam: & pro multis à nobis impetratis hāc vnam gratiā reposcimus, ne occidatis néve pellatis virum amantem patriæ, & in re militari omnium excellentissimum. magnam profectò iacturam faceremus Quirites, si ciuitas tantam virtutem amitteret. Iustissimum est igitur vt ipsius causa remittatis iram hanc, memores quot vestrum bello seruati salutem ei debeant. & egregiorum facinorum magis quàm verborum inutilium. nam verba viri nihil vos læserunt, gesta adiuuerunt plurimum. quod si hunc indignum iudicatis vestra gratia, saltem nostris atque senatus eum donate precibus, & tandem firmiter redite nobiscum in gratiam, ac ciuitati pristinam vnitatē reddite. Id si vobis persuaderi non sinitis, scitote nec nos cessuros vestræ violentiæ: sed experti vestram voluntatem, aut amicitiam sinceram colemus officijs, aut ciuilis belli calamitatúmque grauissimarum initium habebimus. Hæc disserente Minutio tribuni videntes tum oratione modesta tum benignis pollicitis flecti multitudinem ægrè ferebant, præsertim C. Sicinius Bellutus secessionis autor & dux armorum tempore, infensissimus optimatibus & hac vna re inter ciues nobilis, tunc tribunus omnium collegarum maximè auersabatur ciuitatis concordiam & statum pristinum, vt minimè sibi vtilem. Tantum enim aberat vt honores aut potentiam speraret in administrata per optimates Republica, homo ignauus, male institutus, nec belli artibus spectatus

ac

hæc pacis, vt etiam capitis periculo esset obnoxius ob seditionem à se commotam, & ciuitatem afflictam inde tot calamitatibus Is communicato cum collegis consilio surrexit, & præfatus quædam de plebis miserijs, laudatísque COSS. quòd dignati essent. plebi rationem reddere, patribus quoque aiebat se habere gratiam, quòd tandem inciperent agere curam inopum: & adiecit, testem se futurum vnà cum cæteris, si dictis facta responderint. His dictis cum iam videretur mitior & ad veniam pronior, versus ad Marcium astantem consulibus, Quid tu, inquit, bone vir, non defendis hîc apud ciues tuos quæ in senatu dixisti? imò non supplex deprecaris eorum iram vt mulcteris clementius? nam inficiari non suadeo coram tot conscijs, aut ad impudentem defensionem confugere, quãuis sis Marcius, & maiore quàm qui priuatum hominem deceat animo: nisi fortè COSS. & patritijs decorũ est pro te cum plebe agere, te verò idẽ pro teipso facere dedecet. Hæc autem dicebat non ignorans virũ esse magnanimum, nec posse animum inducere vt suimetipsius accusator mulctam sibi remitti peteret, & ad preces mouendámque miserationem præter ingenium suum refugeret: sed aut omnino causam non dicturum, aut pro arrogantia natiua sine modestia blanditiísve plebem allocuturum, id quod factum est. præbito enim silentio, & penè omnibus inclinatis ad absoluendum hominem, si se accommodaret tempori, tam arroganter & contemptim eos affatus est, vt nihil inficiaretur eorum quæ in senatu cõtra plebem dixerat, nec vllam præ se ferret pœnitentiam, aut miserationem veniámve peteret. imò ne iudicio quidem eorum se volebat submittere, quasi non habentium iudicandi potestatem legitimam. quod si quis apud COSS. reum se alicuius non recte dicti

fact

factive ageret, paratum se aiebat causam dicere. nunc verò se produisse ad plebeios ipsis vocantibus, vt obiurgaret ipsorum iniquas cupiditates, in quas erupissent vel secessionis tempore vel post reditum, suaderétque cohiberent eas in posterum. post hac magna audacia inuectus est in omnes, sed in tribunos maxime. inerat autem eius verbis non ciuilis reuerentia bonis rationibus admonentis populum, nec priuati hominis sobria modestia loquentis ad potentiores infensos sibi, sed velut insultantis intrepidè inferioribus & obnoxijs bilis immodica, insignisque contemptus affectorum iniuria quapropter & loquente etiam tum magnus tumultus erat, vt quidque placeret aut offenderet in tam diuersis multitudinis voluntatibus alijs applaudentibus, obstrepentibus alijs: & vbi desijt, maior etiam coortus est clamor ac strepitus. nam patritij optimum virum appellantes, laudabant eius ingenuam facundiam, affirmantes solum omnium esse liberum, qui nec inimicorum ex aduerso stantium turba sit territus, nec ciuium superbos & iniquos conatus blanditijs delinire conatus sit. plebeij vero agrè ferentes improperia prædicabant eum molestum & acerbum, hostiumque omnium infensissimum. nec deerat quibusdam animus, id quod videbatur facilè, statim eum interficere. hos adiuuabant duces multitudinis. instigatore præcipuo Sicinio. qui acerbissimè inuectus in hominem, accenso furore populi accusationem clausit capitali sententia, quam latam aiebat à tribunorum collegio, ob iniuriam factam ædilibus, quos pridie iussos à se vt eum ducerent, pulsatos abegerit. nam contumeliam ministris factam, in ipsos qui iusserant recidere. his dictis iussit eum duci in imminentem foro tumulum. est autem locus vasta rupe horrendus, vnde solent damnatos dare

præcip

præcipites. Aediles igitur accesserunt vt eum comprehenderent. contrà patritij cum magno clamore simul fecerunt in eos impetum, ac rursum plebs in patritios. nec iam in dictis factísve decorum seruabatur vtrinque, impellentibus se inuicem nec à manibus temperantibus. cohibiti sunt tamen à COSS. in medios se dantibus, & per lictores turbam summouentibus. tanta tum erat eius magistratus reuerentia, tantum honoris tribuebatur potestati regiæ. Ibi Sicinius perturbatus & anxius, quod timeret ne aduersarios cogeret vim vi repellere, nolens à cœptis desistere, nec tamen valens sententiam suam exequi, cogitabat quidnam faceret. quem hærentem videns L. Iunius Brutus, concionator ille qui conditiones pacis excogitauerat, vir acer cum aliâs, tum in expediendis difficultatibus, solus solum monuit ne contenderet, desisterétque ab incepto nimis iniquo & callido, cum videat vniuersos patritios irritatos, parató sque omnes, si à COSS. vocentur, arma corripere: plebis verò maximam partem ambigere, nec libenter virum omnium nobilissimum ad supplicium præsertim indemnatum dedere. consulebat autem tum quidem cedere, nec pugnare cum COSS. ne quid sequatur durius, sed viro diē ad populum dicere: & quod plurium suffragijs ratum fuerit id facere. nam esse violentiæ tyrannicæ quod tum patrare conaretur, ipse accusator & iudex, idémque pœnæ arbiter. ciuilius autem data dicendæ causæ potestate, reum passurum quicquid iudicatum fuerit. Paruit Sicinius videns hoc consultissimum: & progressus in medium, Cernitis, inquit, Quirites studia patritiorum ad cædes & violentiam tendere, qui vnum hominem superbum totíque ciuitati noxium, vobis omnibus præferunt. nos non sumus eorum similes, nō sumus tam præcipites,

nec

nec inferemus bellum, nec inferentibus repugnabimus. sed quoniam honestum prætextum habent legem, cuius propugnatores sontem eripiunt supplicio, quòd ea non sinat ciuem Ro. indemnatum occidi, fruantur hoc iure, quamuis ipsi non agant nobiscum legibus: vt intelligant malle nos erga ciues in nos peccantes vti clementia quàm violentia. Vos igitur abite, & expectate tempus quod breui aderit. nos interim res magis vrgentes curabimus, & viro huic dato ad causæ dictionem meditandam spatio, diem dicemus qua sistatur vestro iudicio. vbi verò calculos habueritis in manibus suffragijs legitimis mulctate illum vt dignus videbitur. & de hoc quidem hactenus. quod verò ad frumentum vendendum atque dispensandum attinet, vt id fiat quàm iustissime, nisi senatui curæ fuerit, nos prouidebimus. his dictis concionem dimisit. Post hac consules coacto senatu deliberabant per otium de componendis tumultibus: visumque est eis primum demereri plebem annonæ vilitate: deinde agere cum eius magistratibus vt in gratiam senatus ab incepto desistant, nec Marcium adducant in iudicium populi. quod impetrari si non posit, id quantum fieri potest differant, donec ira vulgi languescendo in dies considant. his decretis S C. de annona promulgarunt, approbatum mox omnibus laudantibus. erat autem tale. Precia rerum ad quotidianum victum venaliũ non maiora esse, quàm fuissent ante seditionem annona vilissima. à tribunis deinde multis precibus, cum remissionem non possent, dilationem impetrarunt iudicij quantam petierant: eámq; mox ipsi longius prorogarunt arte huiusmodi. Legatos Siculos qui post donum tyranni Romam peruectum repetebant patriam, piratæ Antiatium interceperunt, cũ non longe ab eorum portu in salo iecissent anchoras: dire-

ptisque rebus eorum hostiliter. ipsos quoque coniecerunt in carcerem: his cognitis COSS. expeditionem decreuerunt in Antiates, quòd legatos ob hoc missos infecta re dimisissent: habitóque iuniorum delectu ex vtroque ordine militem eduxerunt, suspensis interim causis tam priuatis quàm publicis omnibus, donec in armis esset Romanus pop. quod opinione citius desijt. Nam Antiates vbi cognouerunt se peti totis viribus, sine mora versi ad preces & res Siculorum reddiderunt & corpora. vt necesse habuerint Romani vrbem repetere. Dimisso exercitu Sicinius pro concione diem dixit Marcio: iussitq; non vrbanos modo frequentes adesse ad id iudicium, sed agrestem quoq; multitudinem intermissis operibus ad eam diem presto esse, quasi ferenda essent suffragia pro libertate salutéq; totius populi: monito etiam Marcio, vt auderet suam causam committere iudicio legitimo. Consules communicato cum senatu consilio existimarunt non permittendã tantam potestatem populo: videbantur enim sibi rationem vetandi legitimam inuenisse, qua dissoluerent aduersariorum omnia consilia. post hæc vocatis in colloquiũ magistratibus plebis vnà cum suis necessarijs, sic locutus est Minutius. Nobis tribuni videtur ex vrbe seditio tollenda omnibus viribus, & nullo modo contendendum cum plebe, præsertim cum videamus vos omissa vi iure ac verbis agere. quam voluntatem vestram laudantes æquum censemus senatusconsulta Reipub. praire more patrio. potestis autem vosipsi testes esse, semper ex quo vrbs hæc à maioribus nostris est condita, honorem hunc senatui habitum: nec vnquam quicquam absque S. C. decretum suffragijs populi, non modo nunc, sed ne sub regibus quidẽ. illi enim quod senatui placuisset, ad populum referebant, atque ita ra-

tum

tum faciebant. hoc ius nolite nobis auferre, nec inueteratum bonum morem tollite: sed si qua re iusta honestáque opus habetis, apud senatum ea proposita, quod patribus placuerit referte ad populum. hac COSS. *verba ægrè ferebat Sicinius, nollēs quicquam in senatus potestatem committere. collegæ verò illius ex Decij sententia concesserunt* S C. *fieri, cum prius & ipsi iustum quiddam postulassent. quod eis Coss. negare non poterant: videlicet vt patres data dicendi copia tribunis ipsis, aliisque vel eadem vel contraria suadentibus auditis. tum demum quod iustum & è Rep videatur pronuntient, sed iurati quemadmodum fieri solet in consessu iudicum, atque ita* S C. *fiat ex sententia plurium. quo à consulibus impetrato solutum est colloquium. postera verò die frequenti senatu, postquam consules indicauerūt patribus quid inter se ac tribunos conueniat, vocatos illos in senatum iusserunt quid postulent dicere. Tum progressus Decius, is qui senatusconsultum fieri permiserat, in hunc modum locutus est. Non latet vos patres conscripti futurum ob certas causas vt hic noster aduentus accusatorem apud plebem habeat vnum è nostro collegio: qui negat opus à vobis accipere quod nobis leges dant, aut ius nostrum imputādum pro accepto beneficio: quod iudicium nobis periculosum est, ne damnati vt proditores & transfugæ, mulctemur grauissimè. huius non nescij tamen ad vos venire sustinuimus, freti iustitia & iureiurando, quo obligati feretis sentētias. Nobis quidem non adest ea grauitas, quæ requiritur in differentibus de tantis negotijs: sed rerum ipsarū grauitas impetrabit vt attenti audiatis: & si petere videbimur iusta, Reipub. vtilia, addam & necessaria, vltro nobis ea concedatis ac primùm de iure dicturus sum. Vos* P C. *pulsis nostra ope regibus, & con-*

& constituta hac Reipubl. forma quam non reprehendimus, vidētes plebeios in iudiciis opprimi quoties litigarent cum patritiis, id quod non raro fiebat, legem tulistis autore P. Valerio Cos. licere homini plebeio à patritiis oppresso prouocare ad populum: qua lege nihil fuit vtilius ad tuendam ordinum concordiam, & repellendos reges subinde tentantes reditum. hac igitur lege, Marcio huic à quo nobis omnibus vim & iniuriam factam affirmamus, diem ad populum dicimus, & ibi caussam iubemus dicere. nec senatusconsulto est opus. vbi enim legibus destituimur, ibi vestris consultis locus est & populi suffragiis. vbi verò praesto est lex inuiolabilis, parendum est etiamsi vos nihil consulueritis. nemo sanè dixerit, priuatis hominibus affectis iniuria prouocationem esse ad populum, nobis tribunis non esse idem ius. huius igitur legis fiducia ne vestrum quidem iudicium refugimus. quod autem ad naturae non scriptas leges attinet, postulamus P. C. vt iure aequo vobiscum viuere liceat nobis qui multa magna bella vestris auspiciis gessimus, egregiámque operam ad debellandum nauauimus, nec minima causa fuimus vt non aliorum imperata faciatis, sed ipsi habeatis in alios imperium. Sic autem non deteriore iuris conditione fuerimus P. C. si eos qui corporibus nostris & libertati conantur iniuriam facere, metu poenarum cohibeatis. Magistratus sanè, administrationem rerum, honorésque, virtute ac fortuna potioribus deberi fatemur: caeterùm iniurias non pati, & si quis intulerit in eū iure vindicari, omnium ex aequo ciuium cōmune ducimus & sicut splēdida illa & magnifica vobis cedimus, ita aequa ista & communia nolumus amittere. hactenus de iure, licet possim afferre & alia. quòd

L autem

lere. mea certè opinione rectè prospexistis P. C. paci publicæ, & nunc stare debetis eius conditionibus. Deos enim nobis dedistis sponsores fœderis, multa mala imprecati eius transgressoribus, tum ipsis, tum in sempiternum eorum posteris. Itaque iusta & vtilia nos petere, quæq; vos necesse sit facere, satis ostendimus, si quidem meministis iurisiurandi, nec opus est vt vos hac de re obtundam pluribus. Quòd verò nostra quoque plurimum intersit ab hoc incepto nec vi depelli, nec dolo deduci, & quòd coacti in hoc certamen descenderimus, grauiter & plusquam grauiter offensi ab hoc viro, audite P. C. & reuocate in memoriam, quæ dicturus sum scientibus: simulque fingite vestrum esse negotium. Si quis è nobis plebeiis ausus fuisset apud populum talia dicere ac facere cõtra vos, qualia Marcius apud vos hic dixit, quomodo affecti essetis in eum? Conditiones pacis firmissimas & tantumnon adamantinis astrictas vinculis, quas nec vobis iuratis nec vestris posteris violare fas est, quandiu hæc vrbs habitabitur, primus vestrum ausus est violare hic Marcius, nondum quadriennio exacto ex quo factæ sunt, non clam aut in obscuro quopiam angulo, sed palam in hoc loco vobis omnibus præsentibus, sententia lata de abolenda tribunitia potestate, cuius vt primariæ atque vnicæ libertatis nostræ custodis fidem secuti rediimus vobiscum in gratiam: eò arrogantiæ progressus, vt libertatem hanc pauperum nominans iniuriam, & iuris æqualitatem tyrannidem, adimenda hæc nobis censeret. & quod est maximè impium, meministis P. C. eum dixisse, nunc esse opportunum tempus promendi iras omnibus superioribus plebis erratis debitas: suasisséque, quando attenuata sit diutina rerum victui necessariarum

 inopia

inopia, nunc sibi permitti ut retineat annonam in eisdem difficultatibus. non enim duraturos nos longo tempore, paucos cibos emptitantes magna pecunia, utpote inopes: sed abituros aliquo relicta urbe, remanentes verò absumendos genere mortis infelicissimo. & in tantum insaniebat agitatus intemperiis, ut præter incommoda alia quæ sequerentur hoc violandi per senatum fœderis consilium, nec illud quidem animaduerteret. pauperum turbam fame petitam autores eius aggressuram & habituram pro hostibus. quod si vos insania pari approbassetis eius consilium, nihil erat medium, sed aut uniuersa plebs deleta fuisset, aut nihil ex patritiis gentibus superfuisset reliquum. non enim adeo seruiliter præbuissemus nos pellendos necandósve, sed inuocatis diis geniisque calamitatis nostræ testibus, oppleuissemus (mihi credite) forum & vias cadaueribus, litantésque magno cratere ciuilis sanguinis, ita demum accepissemus portionem debitam. ad tam impia facinora P. C. tendebat huius concio. nec dictis tantum seditionem moliebatur Marcius à factis abstinens, sed habens ad nutum suum paratum globum iuuenum, vocatus ad magistratum non paruit: & cum nostro iussu ministri vellent comprehensum ducere, pulsatos repulit, denique ne nostris quidem pepercit corporibus. quapropter quod ad hunc attinet, nomen tantum inane sacrosanctorum nobis est reliquum, res verò non respondent nomini. & quomodo aliis de iniuria querentibus opitulabimur, qui ne ipsi quidem in tuto sumus? His igitur iniuriis affecti nos pauperes ab uno viro nondum tyranno, sed huc aspirante, eásque vel perpessi, vel iamiam passuri nisi vestrum P. C. obstitisset maior pars, an non merito indignamur, rogamúsque ut auxiliari nobis

ac condolere velitis, vocantibus eũ ad æquum & legitimum iudicium, in quo totus populus per tribus diuisus, causa cognita iuratus laturus est suffragia. I Marcillò, & quæ hic paras dicere, apud vniuersos tuos ciues congregatos responde, siue bono animo his dabas optimum consilium siue suadebas è republ. siue iniustum est sententiarum hîc dictarum rationem reposci, siue non malitiosè nec præmeditatus, sed per iram effudisti scelerata hæc consilia, siue aliam quancũque defensionem habes. descende ab illa superba tyrannicáque iactãtia ad ciuilem modestiam miser, & tandem fac te aliis hominibus similem, sume rei deprecãtis habitum humilem ac miserabilem, qualem tuus casus postulat, & non vim parans contra læsos, sed eis te submittens, pete salutem. Imitare saltem horum virorum bonorum æquanimitatem, qua te vti erga ciues tuos non dedecet: qui cũ tot sint numero quot nunc vides, tantis virtutibus spectati tam militaribus quàm ciuilibus, quibus ne longum quidem tempus recensendis sufficeret, nihil sanum aut superbum statuerant in nos viles & humiles ipsi magni & venerandi, sed priores mentionem pacis fecerunt inuitantes ad concordiam, quando nos ab illis fortuna separauerat: & conditiones non quas sibi putarent commodissimas, sed quales nos poscebamus concesserunt: ac postremo suspiciones propter frumenti diuisionem nuper exortas, dignati sunt accuratè diluere. Omitto alia pro te ipso tuisq; furiis quas non preces adhibuerunt, vel publicè apud totum populum, vel priuatim prehensando plebeios singulos, & pœnam deprecando? Ergo consules & senatum tantæ vrbis præsidem decebat Marci sustinere iudicium populi, te verò non decet? nec turpe sibi putant hi omnes pro te absoluendo plebem

 solicit

solicitare precibus, te verò pudet idem facere? Nec hoc tibi satis est vir egregie, sed quasi re bene gesta elata ceruice obambulas iactans verba magnifica, & nihil dignaris remittere de pristina superbia. Omitto quòd vltro plebem incusas, ei conuicians & minitans. Et postea non tedet vos P. C. tanta hominis superbia, qui plura sibi vnus, quàm vos omnes vobis, vsurpat: cum debeat etiamsi omnes pro eo pugnare velletis, vestra prompta volun tate contentus, recusare beneficium coniunctum damno Reipublicæ, potiúsque causam dicere, & nullius mulctæ periculum refugere. hoc erat boni ciuis officium, re vera virtutem amantis, non ostentantis verbis inanibus. at ista facinora cuius instituti, cuius animi signa sunt? dextra datæ fidem temerare, pacis conditiones tollere, bellum cum plebe gerere, non abstinere vim à magistratibus, nullius facti rationem velle reddere, sed contemptis iudiciis, patrociniis, deprecationibus, quasi nemine ciuium non sit superior, obambulare impauidé. Annon hæc ingenij sunt tyrannici? mihi sanè videntur. Et tamen sunt quidam vestri ordinis qui tali suffundant frigidam & applaudant strenuè, nonnisi ob innatum odium plebis implacabile, haud intelligentes malum hoc in ciuitate succrescere non magis in humilioris ciuium partis quàm in honoratioris perniciem, putantes se in tuto fore oppressis aduersariis. Non ita se res habet ô imperiti homines, quos Marcius iste tandem experimento docebit vel sero & suo malo sapere, scireque quomodo adolescens contra plebem tyrannis adolescat contra totam rempublicam: quæ nunc quidem à nobis incipit, cæterùm postquam inualuerit non parcet ne vobis quidem. Hæc vbi locutus est Decius, cæterique trib. pleb. addiderunt si quid ab illo

ab illo prætermissum videretur, cum iam dicendæ essent sententiæ, primi seniores & honoratiores citati ordine à COSS. assurgebant, deinde his ætate dignitatéque proximi, postremi iuniores, non vt dicerent aliquid (indecorum tunc apud Romanos erat hoc nemine iuuene existimante se sapientiorem senibus) sed vt discederent in consularium sententias. iubebantur autem quotquot aderant, quemadmodum solet in iudiciis, iurati ferre sententiam. Tunc Claudius quem suprà patritiorum omnium infensissimum plebi diximus, nec vnquam pacem ei datam probesse, fieri S. C non sinebat, locutus in hunc modum. Vellem equidem, id quod sæpè à diis precatus sum, vt falsus essem opinione, quam dum de reconciliatione plebis agebatur habui, censens nec honestum nec iustum nec vobis vtilem fore profugorum reditum: & quotiescunque super hoc consultaretur, primus dissuadens atque etiam vltimus cæteris me disserentibus: Vtque vos P. C. qui meliora sperantes nihil non plebi concedebatis nullo respectu iustitiæ, intelligentiores me haberemini. nunc quoniam contra voluntatem meam votáque res cecidit, & vt tunc quoque suspicabar, gratiæ versa sunt in odium ac inuidiam, obiurgationes molestas & inanes, cuiuis faciles & non insolitas, vt intempestiuas omittam. tantum quomodo præterita corrigi possint, duntaxat quæ curationem admittunt, & præsentibus rebus melius consulamus, conabor dicere. quamuis non sum nescius fore vt multis insanire & in mortem ruere videar, si liberam de hoc sententiam proferam, cogitans quam periculosa sit dicendi libertas, & casum Marcij, qui nunc non ob aliam causam currit (vt sic loquar) pro carnibus. Sed non arbitror securitatis propriæ maiorem

habendam rationem quàm vtilitatis publicæ. iamdudum enim periculis obieci corpus meum pro vobis P. C. deuotum contentionibus pro repub. itaque quicquid fors tulerit, cum omnibus vel cum paucis, aut etiam solus si necesse fuerit, generosè perferam. cæterùm quoad vixero, nihil me deterrebit quominus proferam quod sentio. Ac primùm hoc vos certò scire volo, plebem iniquo animo ferre præsentem statum Reipub. & quæ illi nimis indulgenter concessa sunt periisse, vósque iam contemni eo nomine, quasi necessitate cogente largiti sitis ea, non ex animi beneuolentia iudicióve. Videte quomodo post defectionem plebis & arma contra vos apertè sumpta, cum nihil aliud quererentur nisi soluendo se non esse, vobis æris alieni remissionem, & per secessionem commissorum impunitatem decernentibus, quòd se nihil prætereà postulare dicerent: quamuis plerique vestrum (non enim omnes ab istis consultoribus decepti sunt) negarent antiquandas leges quæ ad fidem contractuum pertinent, aut temere dandam erratorum veniam: non contenti hac impetrata gratia, cuius desiderio se aiebant secessisse, confestim aliam maiorem magísque iniquam concedi sibi petebant, & permitti vt tribunos crearent annis singulis, prætexentes nostram potentiam, vt haberent qui contra eam adessent pauperibus, sed reuera insidiantes reipub & volentes plebi administrationẽ eius astruere. Hoc quoque persuaserunt nobis consultores, vtq; collegium tribunorum admitteretur in senatum malo reipub. præsertim ad augendam senatus inuidiam, me sicut dubio procul meministis multum reclamante, testantéque deos simul & homines, bellum ciuile perpetuum vos in vrbẽ introducere, & prædicente quæ vobis iam acciderunt omnia. Quid igi-

tur

tur fecit bona ista plebs postquam hunc quoq; magistratum obtinuit ? non est modestè usa hac gratia, nec reuerenter eam accepit, sed velut metu expressam à cõterritis: móxque sacrosanctum eum magistratum fieri voluit. & iureiurando securitati eius caueri, maiorem honorem postulans quàm quem dedistis consulibus. Sustinuistis & hoc, stantésque inter cæsa & porrecta, iureiurando deuouistis vos vestrámque progeniem. Quid tum fecit potita hoc quoque? Pro gratia & officio debito Reipub. exorsa ab istis fraudibus ac iniquitatibus per quas ad maiores sibi gradum faciat, inconsulto senatu leges fert, & has confirmat vobis inuitis. Vestra decreta nihil moratur, consules incusat malè tractata Reipubl. & si quid præter nostram expectationem accidit secus quàm vellemus (ut nõ semper datur consiliis humanis quiduis assequi) non fortunæ sed malitiæ nostræ imputat: fingénsque sibi per nos insidias strui & timorẽ simulãs, nos quasi se libertate patriáve priuare conemur, insimulare non desinit: præ se ferens non aliud remedium scire, quàm si prior quæ timet ipsa nobis inferat. quod cum sæpe aliàs declarauit ut meministis, tum verò nunc maximè, dum Marcium hũc virum bellicosum, nec nobilitate nec virtute secundum ulli nostri ordinis, obiecto crimine quòd insidietur sibi & inimicas hic contra se dicat sententias, indemnatum conata est occidere. & nisi COSS. indignitatem rei non ferentes, vestrúmque pars sincerior, conglobati cohibuissetis conatus iniquissimos, uno illo die perdidissetis omnia quæ maiores tantis laboribus quæsita vobis reliquerunt, quæq; vos non minoribus tuemini, dignitatem, imperium, libertatem: & qui vestrum generosiores sunt, non ferentes sine his bonis viuere, priusquam his spoliarentur,

tur, amisissent animam aut mox aut paulò post. quid enim vetare poterat, tam fœdè abrepto hoc Marcio tanquam in solitudine. quin ego post eum perirem discerptus inimicorum manibus, & quotquot vnquam aduersati sunt aut aduersaturi videntur iniquis plebis cupiditatibus? non enim contenta esset nos duos tantum sustulisse de medio. nec intra hos constitisset facinorum limites, si licet futurorum ex præteritis coniecturam sumere: sed à nobis facto initio, quicquid aduersariorum sibi obsisteret, rapuisset torrentis in morem inuoluissetq́ uno agmine, non nobilitati parcens, non virtuti, non ætati. Hanc vobis P. C. plebs egregiam gratiam pro tot maximis beneficiis, vel reddidit iã, vel reddituri erat, si non fuisset per vos cohibita. Age nunc & illud rursum considerate, quod fecit post vestrum hoc præclarum facinus & prudentissimum, vt discatis quonammodo agendum cum ea sit. Ille igitur vt animaduertit vos non amplius laturos suam insolentiam. sed paratos cõgredi, territus est: ac mox seipsum recolligens velut è crapula aut insania, à vi ad ius transiit: diémque viro dixit quasi ad iudicium. ipse futurus & accusator & testis & iudex & pœnæ arbiter: cúmque hic quoque resisteretis, rati non ad iudicium vocari hominem sed ad supplicium: videns rem non esse in sua potestate, nec nisi ex S. C. fore iudicium in quo ipse autoritatem suam exerat, posita nũc superbia quam tunc spirabat, venit ad vos oratum vnam etiam hanc gratiam. His sanè consideratis sapite tandem, & sentite quicquid hactenus ei simplicius quàm prudentius gratificati estis, totum id cessisse in vestra damna & incommoda. quoties verò strenuè restitistis iniqua petentibus, secutum esse felicem exitum. Quid igitur vobis hæc scientibus

suadeo?

suadeo? quæ est mea de præsenti negotio sententia? Quæ plebi quomodocunque largiti estis & pacis causa concessistis, rata seruate, nihil horum mouentes, non vt honesta & ex dignitate reip. quî enim esse possunt? sed vt necessaria & incorrigibilia. Cæterùm quæ per vim & præter ius inuitis extorquere nititur, nec concedite, nec permittite, sed dictis factísque repugnate tam omnibus quàm singulis. non enim oportet eum qui semel errauit vel precibus flexus vel vi coactus, & in cæteris errare: sed prioris offendiculi memorē cauere ne in posterum impingat similiter. atque hoc in cōmune vos omnes moneo, vt parati sitis iniquis plebis cupiditatibus resistere. quòd vero etiā id de quo nunc agitur cæteris eius iniustis conatibus sit simile, non iustū aut æquum vt tribunus nos decipiens vult euincere, discite qui nondum clarè perspicitis, Lex de iudiciis populi, qua Decius nititur, non contra nos patritios scripta est, sed pro plebeiis vim patiētibus: vt liquet ex ipsius legis verbis ambigui nihil habentibus, & confessum est apud vos omnes qui rem tenetis optimè: & afferam argumentum quo omnes iuris controuersiæ decernuntur, tempus XIX. annorum ex quo lex hæc perlata est: quo toto spatio Decius non potest vllam actionem ex hac lege contra vllum patritium ostendere, vel priuatam vel publicam: aut si ait se posse, ostendat, & non erit opus verbis amplius. Cæterùm conditiones quibus nuper plebs recepta est in gratiam (nam de his quoque oportet vos discere, quando tribunus male interpretatur eas) duo hæc ei concedunt, æris alieni remissionem & magistratū hunc quotannis creandū in defensionem vim patientium, præterea nihil. maximo autem argumēto colligere potestis nec ex lege nec ex pacto ius esse plebi iudicandi hominem patritium,

ex hoc

ex hoc ipso quod nunc plebs facit. petit enim à vobis hoc quod non habet hactenus. nemo verò quicquam ab alijs petit, quod ipsi legibus est licitum. Iuri porrò naturæ non scripto, ad quod nos Decius reuocat, qui consentaneum est, siue accusent plebeij siue accusentur, iudicium esse populi: patritiorum verò lites, siue ipsi rei sint, siue reos agant alios, non dirimi è patritiis: & istorum conditionem vtroque modo potiorem esse, nostram neutro? quod Marcius aut alius quicunque patritius læsit plebem, & reus est mortis aut exilij, non apud ipsos sed hic iudicatus pœnas det legibus. Nisi forte Deci vulgus æquus erit iudex, & nihil sibijpsi gratificabitur contra inimicum ferens suffragia: hi verò si ipsis committantur calculi, reum pluris facient quàm læsam ab eo remp. relaturi pro periurio execrationes & odia hominum, deorúmque iram meritam, & cum spe mala victuri. non est æquum vt de senatu vos plebeij sic existimetis, cui honoribus, magistratibus, & quicquid est in vrbe præstantius, cessisse vos propter virtutem eius fatemini, & gratias agitis ob promptè nauatam vobis in vrbem restituendis operam. pugnant enim hæc inter se: nec consistit, vt quos laudatis, eos timeatis: & quibus maiora commisistis, eis non credatis cætera. quin potius constanter eis aut omnia creditis, aut de omnibus diffiditis? nunc quorum iusta existimatis consilia, eos his ipsis iuste dijudicandis non putatis idoneos. Poteram P.C. & aliam multa de iure dicere sed vel hæc sufficiant. Quoniam autem de vtilitate conatus est dicere Decius, bonam esse concordiam, malam seditionem: & si obsecundemus plebi, concordem fore ciuitatem: sin vetemus quos vult patritiorum pellere occideréque, inducturos nos bella ciuilia. cùm multa posim ad hæc dicere, paucis contentus

tus ero. Ac primum demiror dißimulationem Decij, non enim dicam inscitiam, si putat vtilitatem reipublicæ melius intelligi à se qui nuper accessit ad tractanda negotia ciuilia, quàm à nobis qui in eis consenuimus, & ciuitatem è parua magnam fecimus. deinde si persuasurum se credit, vt aliquem inimicis delatis ad supplicium, præsertim ciuem vestrum non obscuro nec vili natum genere, quem ipsi habetis pro præstantißimo in re militari, frugique homine, & in rebus ciuilibus tractandis nulli secundo. atque hæc ausus est dicere, cùm sciat vos semper maximum habere respectum supplicum, ac ne hostibus quidem huc confugientibus hanc humanitatem claudere. Quod si contrarium de nobis opinionem habuisses Deci, esse nos impios in deos, iniustos erga homines, quod aliud facinus consulere potuisses [illegible] quod nos dijs hominibúsque exosos radicitus perderet? Non opus est nobis te consultore Deci, nec de ciuibus dedendis, nec de alijs rebus per nos agendis: nec putamus externa prudentia hominis iuuenis iudicandum nobis de negotijs proprijs, vt qui vsque ad hoc ætatis longa malorum bonorúmque experientia doctiores euasimus, & minas istas quibus nos nō nūc primū territatis, sed & antea sæpius intentastis, consueta lenitate feremus intrepidé. Et si dictis addideritis facta similia, defendemus nos dijs iuuantibus, qui in authores belli vindicant, nec deerunt auxilia hominum à socijs. nā & Latini omnes, quibus nuper ciuitatem dedimus, stabunt pro nobis, certaturi pro hac vrbe vt communi iam patria: & tam multæ bonaque coloniæ modis omnibus annittentur vt incolumis maneat vetus patria, defensa & ipsorum viribus. quod si necessitatem nobis imposueritis opem vndecūque petendi, sustinebimus Deci & seruitijs libertatem,

tem, & hostibus pacem dare: omnibus denique hominibus spe præmiorum ad communem victoriã inuitatis vobiscum congredi. quibus subsidiis ne vrbs hæc opus habeat, faxit Iupiter diique cæteri qui ei præsident, vtq; intra verba hæc horrenda consistat res, nec sequatur quicquam durius. Hæc Appius. Tum M. Valerius senatorum popularis maximè, & semper ad partes reconciliandas promptior apertè plebi patrocinatus est, meditata oratione castigatis qui ciuitatem scindendo vnam non esse sinerent, plebem diuidendo à patritiis, excitarêntque ciuilia bella de causis leuibus. laudabátque eos qui vtilitatis publicæ respectu omnia concordiæ posthaberent: docens si plebi permittatur iudicium, & hanc gratiam à volente senatu impetret, forte non processuram ad exitum, sed contentam deditione, æquius quàm durius consulturam de dedititio. quòd si tribuni omnino iudicium fieri vrgeant, absoluturam reum virtutis eius reuerentia, quando recens etiamnum sit memoria præclarorum ipsius facinorum, relaturámque senatui pro concessa sibi potestate hanc gratiam, próque facilitate in concedendis postulatis, modo non iniqua sint. Suadebat tamen senatum aduocatorum fungi officio, & adesse causam dicenti homini: simúlque COSS. senatores, ordinem patritium, deprecari, ne in reum animaduertatur seuerius. id non parui momenti fore ad salutem periclitantis: nec per se tantum reo fauendum, sed per clientes etiam & amicos, aut quomodocunque deuinctos beneficiis plebeios homines, reposcendámque ab eis gratiam suffragiorum tempore. Futurũ etiam hic magnum vsum amantium reipub. malisque ciuibus infensorum ciuium, quorum magnus sit in plebe numerus: maior verò eorum qui indolescunt humanis

nis miseriis, & miserantur honoratos viros fortunæ malignitate pessundatos. Sed maxima eius orationis pars ad Marcium versa est, miscens monitis preces, & necessitati precibus. Rogabat enim, quandoquidem ipse habeatur causa dissidij senatum inter & plebem, & tyrannici animi opinione grauetur propter ingenium arrogantius, omnésque metuant ne propter ipsum seditione orta ciuile bellū sequatur, & calamitates quas id secum solet trahere: ne fidem calumniatoribus suis astruat, nihil mutans de pristina ratione vitæ iniussa ciuibus, vtque sumpto reorum habitu, eorum sese permittat potestati quos læsisse dicatur, & iniustè obiectum crimen iusto iudicio diluat. Id & ad salutem eius esse tutissimum, & ad gloriam, cuius amore teneatur splendidissimum, & superioribus ipsius gestis consequens. sin autem ferociam modestiæ præferat, & periculum suum in senatum reiiciat, fore vt ex hac contentione victi discedant cum iniuria, victores cum ignominia. Hic verò multus erat in mouendis affectibus, recensens calamitates maximas & fama celebratas quæ vrbibus per seditiones accidissent. Hæc disserens cum multis lacrymis non simulatis sed veris vir ætate ac dignitate in primis venerandus, vt vidit senatum flecti, audacius iam locutus est. Quòd si inquit, aliqui vestrum P. C. terrentur nouo more submittendi patritios iudicio populi, verentúrque crescentem tribunorum potentiam, discant se falli, & contra quàm conuenit credere. Vix enim aliud est vtilius ad salutem reipublicæ, tuendámque libertatē eius & potentiam atque concordiam conseruandam, quàm assumi plebem ad publica negotia: & administrationem rerum ita temperari, vt nec penes solos optimates, nec solos plebeios sit, sed vtrinque mixta, id verò proderit

omnib

omnibus. Nam facillimè ad iniurias & iniquitates prolabitur vnaquæque iam dicta forma reipublicæ, si per se sola sit: quòd si mediocriter misceantur, pars quæ consuetum ac decentem modum excedere videbitur, in ordinem reuocabitur ab altera magis sobria retinentéque mores pristinos. nam regia potestas ad sæuitiam inclinata & superbiam, paulatímque in tyrannidem degenerans, loco cedere cogitur optimatibus. Cæterùm paucorum potentia penes optimates sita, sicut nunc penes vos, vbi diuitiis & factionibus elata, iustitia cæterarúmque virtutum nullam rationem habuerit, plebis prudentia corrigitur. Plebs ipsa vbi ab administratione legitima discesserit, & neglecta iuris disciplina perturbationibus agitari cœperit, ab vno quopiam optimo viro compescitur, & retrahitur ad officium. Vos autem P. C. satis prouidistis ne regia potestas vertatur in tyrannidem. pro vno enim duobus commisistis reipub. gubernacula, non absque præstituto temporis termino, creato magistratu annuo: nihilo minus addidistis eis custodes trecentos viros patritiorum ætate virtutéque maturissimos, ex quibus senatus constat. Vobis autem ipsis ne ab honesto discedatis nullam hactenus vt videtur adhibuistis custodiam. Quamuis vobis non timeo ne nimia felicitate corrumpamini, qui nuper ciuitatem liberastis à diutina tyrannide, & nondum nacti estis otium ad insultandum illudendúmve aliis propter continuatam bellorum seriem. Sed dum posteritatem vestram cogitatione præcipio, quantásque mutationes longum æuum afferat, vereor ne quando potentiores senatores nouatis rebus imprudenti ciuitati tyrannicam dominationem ingerant. Ergo si & plebem ad rēpublicam admiseritis, nihil hinc nascetur mali: sed si quis

ext

extiterit qui velit plus posse quàm alij, & in senatu aliquam factionem in hoc sibi parauerit (oportet enim prouidere omnibus quæ ciuitati accidere est verisimile) die per tribunos dicta cogetur magnus ille vir & venerabilis rationem factorum & cogitatorum reddere vili ac humili plebeculæ: & si conuictus fuerit maleficij, pœnas dabit meritas. ipsa porrò plebs ne petulanter lasciuiat tantam nacta potestatem, néve à malis viris exagitata infestet bonos (solet enim in vulgo tyrannis subolescere) cauebit id & licentiam nimiam comprimet vir aliquis prudens dictator à vobis dictus: qui pro potestate libera vitiosam partem è ciuitate tollendo, incorruptum seruabit reliquum: & correctis eius moribus, creatísque magistratibus qui prudentissimè regant rempublicam, post sex menses ab inita dictatura priuatus erit denuo, nihil præter honorem ex ea lucratus. Considerantes igitur huiuscemodi formam reip. optimam esse, nolite arcere plebem: sed sicut creandi magistratus annuos, legum sanciendarum aut irritandarum, pacis bellíque decernendi potestatem à vobis accepit, & nihil horum penes solum senatum est, cum nulla maiora sint ciuitatis negotia: sic eam & ad iudicandum admittite, præsertim in causis quæ ad rempublicam attinent, vbi quis motæ seditionis, aut tyrannidis affectatæ, aut proditionis tractatæ reus agitur, aut similium criminum. Quanto enim maiorem terrorem proposueritis legum transgressoribus & morum corruptoribus, adhibendo superbis & auaris hominibus custodes multos oculos, tanto melius constitutam habebitis rempublicam Hæc & alia quædam in hanc sententiam locutus desiit: quam quotquot post eum rogati sunt, paucis exceptis, approbauerunt. Cúmque iam scribendum esset

S. C. Marcius impetrata dicendi copia, sic exorsus est. Quomodo me P. C. gessi in hac repub. & quomodo propter meam erga vos beneuolentiam periclitor, quámque malignè præter spem fauor vester ei respondeat, scitis omnes, scituri melius vbi negotium meum ad exitum peruenerit. Sed quoniam vincit Valerij sententia, sit vobis felix coniectura mea frustratio. Cæterùm vt & vos qui S. C. scribitis, sciatis quibus conditionibus plebi dedendus sim, & ego qua de re pericliter, iubete tribunos corám dicere, quodnam crimen sit, & quo accuser nomine. Hæc ille, ratus se his verbis effecturum vt causam apud senatum diceret: & volens tribunos profiteri hac de causa se illum accusaturos. qui communicato inter se consilio, crimen tyrannidis affectatæ obiecerunt, denuntiantes vt ad id responsurus veniret in iudicium, nolentes crimen in simplicem causam includere, tanquam nec validã, nec gratam senatui, sibíque relinquentes integrũ accusare arbitratu suo, simúlque senatum quo minus Marcio patrocinaretur deterrituros se putantes atrocitate criminis & inuidia. Tum Marcius: Si ad hanc calumniam respondendum est, permitto me iudicio populi, nec in mora sum quin S. C. scribatur. Eius criminis reum agi gratum fuit plerisque senatorum duobus nominibus: vel quia hæc causa non postulabat vt proferretur quid quisque senator sentiret, id quod aliás non caruisset inuidia: vel quia facilè sperabatur absoluendus vir in omni vita frugi & irreprehensibilis. Fit igitur S. C. & spatium ad defensionem meditandam prorogatum est in trinundinum. nundinæ nono quoque die celebrabantur, vt nunc etiam: quo plebs agrestis in vrbem ad mercatum conueniebat, finiendísque litibus, & ad suffragia ferenda de negotiis publicis quorum ius erat

pene

penes populum, aut de quibus senatus retulisset ad eum: reliquis septem diebus ruri degebant, quod magna pars ob paupertatem operarentur suis manibus. Cæterùm tribuni accepto S.C. progreßi in comitium concionem aduocauerunt: & valde laudato senatu, lectóque eius decreto, diem Marcio dixerunt, ad quam iusserunt omnes ciues adesse, cognituros de rebus maximis. His promulgatis utrique se parabant, plebeiis cupientibus punire hominem arrogantißimum, patritiis propugnatori optimatium studentibus ne in inimicorum potestatem veniat: utrisque libertatem suam & incolumitatē in euentu huius iudicij sitam existimantibus. Vbi verò affuerunt tertiæ nundinæ, agrestium turba, quanta in urbem nunquam antea confluxerat, summo mane forum occupauit: tribuni multitudine conuocata ad tributa comitia, loca fori funiculis distincta cuique aßignauerunt tribui: primúmque tunc Rom. populus tributis comitiis viritim tulit suffragia, multum reclamantibus patritiis, & centuriata ex more fieri postulantibus. Superioribus enim temporibus, quoties ex S.C. populus vocaretur ad suffragia, per COSS. vocari solebat ad centuriata comitia, prius solennibus quibusdam sacris peractis, quorum nonnulla etiam nostro fiunt tempore. Conueniebat autem multitudo in campum Martiū sub signis cum suis centurionibus non secus ac in militia: calculos ferebant non unà omnes, sed centuriatim, nec nisi vocati à COSS. Cúmque in vniuersum essent centum nonagintatres centuriæ in sex classes diuisæ, prima vocabatur ad suffragia cuius census erat maximus, & primū obtinebat in bellis ordinē, in qua censebantur equitum octodecim centuriæ, octuaginta peditū: hanc sequebatur censu minor, secundum in acie locum occupare solita, nec perinde

M. 2 arm.

armata vt prima acies, sed aliquanto leuius: constabátque viginti centuriis: quibus attribuebantur duæ fabrorum aliorúmque opificum bello vtilium. Tertia claßis totidem centuriarum, sed censu minor, armaturáque leuiore, locum tenebat ordine proximum. Quarti deinceps vocabantur, vt censu proximis inferiores, ita in tutiorem relegati ordinem. quantum ad armaturam expeditiores etiam. hi quoque viginti centurias explebant, & attributas habebant duas centurias cornicinum tubicinúmque. Quinta claßis minimi census fundis armabatur & iaculis, nullum locum habens in acie: expedita manus & velitationibus tantum apta sequebatur legionarios, centuriæ triginta numero. Egentißimi autem ciuium, non pauciores reliquis omnibus, vltimum habebant suffragium, in vnam omnes reiecti centuriam. hi sicut à collatione tributorum, sic à delectibus immunes militiam non sequebantur nisi voluntarij, iis de causis autoritatis in suffragando minima. Ergo si prima claßis nonagintaseptem centuriæ consentirent, hoc est equites & maximi census pedites, finis erat suffragiorum, nec vocabantur nonagintaquinque reliquæ. quod ni fieret, secunda claßis vigintiduarum centuriarũ vocabatur, & deinceps tertia, donec consentirent nonagintaseptem centuriæ, sæpißimè decernentibus primis claßibus, vt non esset opus vltimis: sed rarißimè incidebat tanta ambiguitas, vt deueniretur ad vltimam inopum centuriam, quæ diuisis bifariam prioribus CXCII, alterutri parti accedens eam suo momento præponderare faceret. Itaq; Marcij fautores poscebant centuriata comitia, sperantes fore vt à prima classe, aut certè secunda tertiáve absolueretur: tribuni verò idem suspicantes tributa maluerunt cogere quibus committeretur iudicium, ne vel

ne vel diuitibus pauperes cederent, vel proletarij classicis, néve extrema plebis pars excluderetur à suffragiis. sed æquum ius calculorum esset omnibus tribulibus vocatis pariter. Videbantúrque æquum postulare, quòd populi iudicium penes plebem potius debeat esse quàm penes factionem optimatum, & læsæ Reip. crimen ad omnium cognitionem pertineat. id cum ægrè obtinuissent à patritiis, iámque causam dici oporteret, primus Minutius COS. è superiore loco allocutus est multitudinem ex mandato senatus, exorsus à commemoratione beneficiorum quæ plebs accepisset à patribus: deinde pro tam multis & egregiis reposcens vnam ab ea gratiam, ipsis tunc necessariam, & Reipub. bonam atque commodam. post hæc adiecit multa in laudem pacis & concordiæ. recensens quantas felicitates ambæ ciuitatibus afferant: econtra discordiam damnans bellaque ciuilia, quibus & vrbes excisæ sint unà cum suis populis, & nationes integræ internecione deletæ. Orabátque ne iræ indulgentes deteriora sequantur, neglectis potioribus, sed in futurum sobriè prospicerent: & cum agatur de re maxima, non nequissimum quenque ciuem in consilium adhibeant, sed viros optimos à quibus sciant pacis bellique temporibus adiutam patriam, de quorum fide dubitare non deceat, quasi possint esse sui dissimiles. Summa orationis eò tendebat ne suffragia ferrent contra Marcium sed si fieri posset propter ipsius virtutem virum absoluerent, memores quomodo sit meritus de Republ. & in bellis pro libertate pop. Ro. imperióque gestis quàm egregia facinora ediderit: nec esse bonorum virorum officium, vt contra ius ac fas, plus apud se valere sinant verba eius inania quàm tot benefactorum gratiam: honestã etiam remissionem fore, quãdo se vltro inimicis præbeat, expectans

illorum sententiam. sin autem erga ipsum gerant odium implacabile, respiciant deprecantē pro eo senatum, trecentos viros totius ciuitatis optimos, flectãturque, nec propter vnius inimici pœnam tot amicorum preces repellant, sed donent eum tot bonorũ virorum gratiæ. Hæc & his similia locutus postremo sic clausit orationem: Si suffragijs suis eum absoluerint, fore vt absolutus videatur propter innocentiã: sin iudicium ei remiserint, fore vt deprecatoribus eã gratiam debeat. Vbi Minutius desijt, Sicinius tribunus prodijt in medium, negans se sponte proditurum libertatem populi, aut passurum vt prodatur ab alijs sed si sistant hominem ad iudicium patritij, daturum se populo calculos, nec aliud factu- rum præterea. Tum Minutius: Quandoquidem certum est tribune suffragijs submittere hominem, intra tyrannidis crimen stet accusatio: huius reũ peragite quibus potestis probationibus. Verba autem eius quæ ad senatum contra plebem fecit vt dicitis, non accusate, absolutus est enim per senatum quod ad hoc attinet, & certis conditionibus citatus est ad populum. ac mox S. C. legit, atque ita protestatus descendit. Tum primus tribunorum Sicinius accusationem aggressus est quàm accuratissimè, quicquid vnquam reus fecit aut dixit contra plebem, ad affectationem tyrannidis referens. post eum perorauerunt tribunorum præcipui. Deinde vbi vices dicendi venerunt ad Marcium, exorsus ab adolescentia sua recensuit quoties militauerit pro Republica, quot coronis ab imperatoribus donatus sit, quot hostes viuos ceperit, quot ciues in prælijs seruauerit, & ad singula dicta ostendebat dona, imperatores testes citabat, & ciues seruatos vocabat suo quenque nomine. Illi vocati aderant, lamentantes, rogantésque suos ciues, ne autorem suæ

salut

salutis vt hostem perderent, vnámque pro multis animam reposcentes, & seipsos dedentes pro eo mulctandos quomodolibet. Horum plerique plebeij erant, bene de Repub. meriti, quorum aspectum & preces reuerita plebs mouebatur ad misericordiam & lacrymas. Vt verò scissa veste Marcius pectus cicatricibus oppletum ostendit, & pari modo affectas cæteras partes corporis, rogitans num putent eiusdem esse multos in bello seruare, & seruatos in pace perdere: & qui consistat vt idem aliquis dicatur tyrannidem affectare, & plebem ex vrbe pellere, per quam præcipuè solet tyrannis coalescere & foueri: nondum loqui desierat, cum mitior & bonorum virorum amantior plebis pars acclamabat absoluendum hominem, pudendum existimans vel hoc ipsum quod huiusmodi criminis reus ageretur vir qui toties vitam suam contempsisset pro salute omnium. Cæterùm qui erant ingenio inuido, & honestis infensi seditiosi homines, ægrè ferebant virum absolui: non habebant tamen quid facerent, cum nihil in eo inuenirẽt in tyrannum competens, de quo tum agebatur crimine. Quod vbi animaduertit Decius ille qui sua oratione impetrauerat S. C. de hoc iudicio surrexit, & indicto silentio sic locutus est. Quoniam Marcij verba Quirites in senatu dicta, quæq; inde facta violenta cõsecuta sunt, absoluunt patritij, ac ne nos quidem accusare permittunt, omissis verbis audite factum huius egregij viri quàm superbum & tyrannicum, & qualem vestram legem homo priuatus violare ausus sit discite. Scitis nimirum omnes prædam ex hostibus nostra virtute partem legibus addici populo, & ne ducem quidem exercitus in eam ius habere, nedum priuatũ aliquem: sed quæstoris esse eam vendere, & pecuniam referre in ærarium. Hanc legẽ nullus ab

V.C non dicam violauit, sed ne reprehendit quidē, excepto uno hoc Marcio: qui contempta eius autoritate solus ausus est nuper fraudare præda nostrā Remp. Cum enim inuasissemus agrum Antiatem, & multum mancipiorum, pecorum, frumenti, aliarúmq; rerum acquisiuissemus, nec quæstori hæc dedit, nec ipse argenti quicquam in ærarium retulit, sed totam prædam suis amicis dilargitus est. hoc equidem argumentum aio tyrannidis. quid nisi cum adulatores suos & satellites futuraque tyrannidis assertores publica donet pecunia. id ego dico apertam legum perniciem. Alterutrum igitur demonstret Marcius, aut prædam ex hostibus captam se non diuisisse amicis suis, aut factum quidem, sed saluis legibus: quorū neutrum dicet vobis audientibus, qui scitis ipsi & legem & factum, nec potestis nisi contra leges & iusiurandum hunc absoluere. Omissis igitur coronis, donis, cicatricibus, cæterísque præstigijs, ad hæc responde Marci, iam tibi dicendi locum facio. Hæc accusatio magnam inclinationem fecit in partem alteram. nam qui prius æquiores ei fuerant, his auditis fauebant remissius. at malitiosa turba, hoc est plebis pars maxima, modis omnibus perditum hominem cupiens, tanta occasione arrepta magis etiam exasperata est. Verum enim erat de præda diuisa, licet non malo animo factum esset, nec ad struendam tyrannidem, ut calumniabatur Decius: sed optimo animo, ut esset aliquod leuamen calamitatis publicæ. nam plebe dissidēte à patritijs, hostes audaciores ob eam rem facti diuexabant agrestem plebem incursionibus & populationibus: & quoties senatus vellet aliquos emittere qui arceāt, nemo plebeius exibat, sed alienis malis gaudebant negligebántque. patritiorum autem manus non erat ad repugnandam per se satis valida. Hoc animaduer

in aduerso Marcius promisit Consulibus si se ducem faciant, exercitu voluntariorum educto breui se pœnas sumpturum de hostibus. quo impetrato, conuocauit clientes & amicos, & si qui alij ciues cupiebant participes esse felicitatis ducis præstantissimi. Cúmque iam videretur habere circa se manum satis validam, ex inopinato hostes inuasit. factáque irruptione in agrum refertum magna bonarum rerum copia, multáque præda potitus, permisit milites inter se totam partiri, ut socij percepto laborum fructu promptiores ad alias expeditiones fierent: cōtrà qui per pigritiā domi manserant, videntes quātis commodis seipsos propter seditionem priuauerint, cauerent sibi in posterum. atque hæc tum fuit mens hominis. Vulgus autem subdolum & inuidum iniquè interpretabatur factum hoc, ut largitionem quandam tyrannicam qua sibi cōciliaret multitudinem: quapropter clamoribus ac tumultu totum forum perstrepebat, nec Marcio ad hæc respondere valente, nec consulibus, nec ullo alio, ut præter expectationem obiecto hoc crimine. & quoniam nemo amplius respōdebat, tribuni exilij perpetui mulcta imposita colligebant suffragia tribuum, opinor ideo pœna capitali abstinentes, quòd vererentur ne absolueretur à populo. perlatis deinde suffragijs, & dinumeratis calculis, non magna extitit differentia. Cum enim una & viginti tunc tribus essent, à nouem absoluebatur Marcius: quibus si accessissent duæ, absolutus fuisset legitimè. Hoc fuit primum de patritio viro populi iudicium: & ex illo tempore morem sibi fecerunt tribuni quibuscunque liberet diem ad populum dicere. unde maximum incrementum potestas plebis habuit: sicut optimatium factio detrimentum accepit maximum dignitatis pristinæ, admissis plebeijs hominibus in senatum, ad magistra-

tus & sacerdotia, aliósque honores quondā solis concessos patritijs: quos postea plebi communicauit, partim inuita & necessitate coacta, partim sapienti consilio inducta, sicut dicetur suo tempore. Caterùm mos iste potentiores accusandi apud populum, multam materiam præbere potest eum vel laudare vel vituperare volentibus. nam multi boni & honesti viri haudquaquā pro dignitate à tribunis tractati miserum in modū vita spoliati sunt: sicut etiā multi superbi & tyrannici coacti vitæ ac studiorū rationē reddere pœnas luerunt meritas. quod quoties recto iudicio fieret, supprimerentúrq; elati magnatum spiritus, mirifica res visa est, laudabatúrq; ab omnibus. Quoties autem vir Reipubl. vtilis per inuidiam tolleretur iniustè, reliquis graue id videbatur inuentorem eius moris incusantibus. accidítque iam sæpenumero, vt pop. Rom. deliberans satiúsne esset eum abrogare, an sinere vt erat relictus à maioribus, nullum expediret consilium. quod si mihi quoq; licet de tentare meam sententiam interponere, mihi videtur mos ipse si per se examinetur vtilis, & Reip. Romanæ necessarius sed qui magis minúsve commodus esset pro tribunorum ingenijs. nam quoties hæc potestas incideret in viros iustos & prudentes, amantiorésq; patriæ quàm vtilitatis propriæ, perniciosis Reip. hominibus paratum erat supplicium, metúque deterrebantur à maleficio similes. Bonus autem vir, & bono animo tractans Rempub. tutus erat ab iniquo iudicio & alienis à suo instituto criminationibus. quoties verò nequam & intemperantes auarique homines adipiscerentur hanc potestatem, faciebant his contraria. quapropter non opus erat morem corrigi vt vitiosum, sed in creandis plebis præsidibus delectum bonorum virorum habere, & non temere cuiuis rem
tanti

tanti momenti committere. Atque hic fuit seditionis exitus quæ prima post pulsos reges ex causis iam dictis extiterat. Prolixior autem in hac narratione fui, ne quis miretur quomodo patritij tantam potestatem plebi permiserint, neque casis neque pulsis optimatibus sicut fit in ciuitatibus alijs. Nam vnusquisque dum aliquid præter opinionem audit, cupit causam eius discere, nec aliàs facilè fidem habet narrationibus. Cogitabam igitur parum aut nihil impetraturum me fidei, si hoc tantum dixissem, patritios plebi suam tradidisse potentiam, & cum possent per optimates Rempubl. gubernare, plebi commisisse maximarum rerum arbitrium: causas porrò cur ita factum sit omisissem: eapropter omnes recensui. Et quoniam ea mutatio non vi & armis expressa est, sed verbis impetrata & rationibus, necessarium duxi ante omnia ponere ipsas orationes, quibus tum vsi sunt vtriusque factionis principes. demiror autem illos qui res bello gestas accuratissimè describendas existimant, & nonnunquam vno prælio plurimum verborum insumunt, locorum naturas, armaturas militum, modum quo acies instructæ fuerint, adhortationes ducum, cæteráque denarrantes quæ alterutris victoriam pepererint: dum verò seditiones & ciuiles motus produnt, non opus putant orationes commemorare, quarum in admirandis negotijs conficiendis tanta fuerit efficacia. Vix enim aliud est in tota Romanorum reipub. ratione æquè dignum laude atque adeo imitatione omnium hominum, mea quidem opinione, ac tanta ciuilitas: vt neque plebs contemptis patritijs, editáque maxima cæde optimatium, omnem eorum potentiam sibi vsurpauerit: neque viri dignitate præminentes plebem vniuersam oppresserint suis opibus externísve auxilijs.

xiliis, vt in posterum sine metu viuerent: sed non aliter se gesserint quàm fratres cum fratribus aut liberi cum parentibus in bene instituta familia, de æquabilitate verbis disceptantes & controuersias dirimentes rationibus, nunquam progressi ad immania facinora cladésque immedicabiles, quales memorantur accidisse in aliis ciuitatibus seditione laborantibus: vt Corcyræ, Argis Mileti, totáque Sicilia. Hæc est causa cur diligentius quàm compendio narrare ista maluerim, iudicium esto cuique liberum. Ergo vbi res hunc exitum habuit, plebs dimissa est aliquanto insolentior, existimans iam sublatam ex vrbe optimatium potētiam: patritii verò deiectis vultibus & animis incusabant Valerium, ex cuius autoritate plebi iudicium permiserant. Marcius cum multorum lacrymis & gemitibus domum deductus est, ipse ad eum casum nec gemitu edito, nec vllo dicto gestúque qui virum dedeceret magnanimum. sed maiorem etiam fortitudinem præ se tulit ingressus ædes, cum videret vxorem matrémque laceris vestibus plangentes pectora, & vt in carissimorū digressu fieri solet vociferantes, nihil flexus lamentis ac lacrymis mulierum: tantum vale dixit eis, & forti animo esse iussis commendauit filiolos: quorum grandior expleuerat decennium, minor in vlnis etiámnum gestabatur. aliâs nihil immoratus affectibus, ac ne viatico quidem accepto, properauit ad portam, nemine sciente quò tenderet. Paucis deinde diebus pòst comitiorum tempus aduenit. COSS. facti, Q. Sulpitius Camerinus, Sp. Largius Flauus iterum. Eo anno multis prodigiis vrbs est territa. nam & spectrorum nouæ facies multis obuersatæ sunt, & exaudita voces emissæ à nemine, & monstrosi ac vix credendi partus extiterunt hominum atque pecudum, multísque locis reddebantur oracula.

cula, & fanaticæ mulieres canebant vrbi fortunam miserabilem. nec cessabat pestilentia, magna pernicie pecorum. hominum tamen mortes crebræ non erant, cum morbis tantum conflictabantur: alijs deorum hanc indignationem esse interpretantibus, quòd virum optimum eiecissent e patria: alijs nihil horum ad deos referentibus. sed fortunæ omnes humanos casus imputantibus. Tandem venit in senatum quidam T. Latinus ægrotus lectica delatus, vir senior & satis amplarum facultatum dominus, cæterùm ruri plerunque habitare & opus rusticum exercere solitus. Is aiebat visum sibi in somnis Capitolinum Iouem dicere, I Latine, dic tuis ciuibus, mihi ludis præsultatorem displicuisse: qui nisi magnificè instaurentur, periculum vrbi fore. Se experrectum nihili fecisse somnium, ceu inane & vnum è vulgaribus. sed denuo sibi dormienti obuersatam eandem dei speciem, irati iam quòd iussa non fecisset, minantisque magnum malum ni faciat. Cúmque & secundum somnium contempsisset, quòd puderet hominem rusticum & senem apud senatum denarrare somniorum terricula, ne forte risum cieret, post paucos dies repente amisisse filium iuuenem, nec morbo correptum, nec vlla manifesta causa exitij. Ac rursum deum in somnis visum indicare filij mortem pœnam esse contemptus ac negligentiæ, secuturámque mox aliam. Tum verò se gauisum si mors instaret iam vita saturo. At deum non hanc sibi pœnam inflixisse, sed in omnia membra dolores immisisse intolerabiles, vt nullos artus mouere posset absque cruciatu grauissimo. ac tum demum amicos in consilium adhibitos, quorum iussu nunc in senatum venisset. Dum hæc narrat, videbatur dolor paulatim se remittere. vbi verò narrationem absoluit, surgens

è lect-

è lectica inuocato deo, pedibus suis per vrbem domum sanus rediit. At senatum metus inuasit, attonitis omnibus, nec valentibus coniicere quid sibi deus posceret, quisve esset ille pompæ præsultator, quem sibi placuisse negaret. Tandem quidam ex illis facti reminiscitur, attestantibus cæteris. Non obscurus quidam paterfamiliâs seruum damnatum virgis cædendum, & quo magis conspicua pœna esset, per medium forum aliáque præcipua loca vrbis agendum conseruis tradiderat, quà mox pompa ludorum traducta est: qui eum ad furcam adstrictis ambobus manuum tenus brachiis, & ad pectus reuinctis nudum sequebantur lacerantes verberibus. Is in tali necessitate cõstitutus voces ominosas emittebat quas dolor exprimeret, & gestus ad flagra indecoros edebat. Hunc omnes accipiebãt à deo significari saltatorem non bonum. Quoniam autem huc narrationis ventum est, non opinor silentio prætereundum quomodo hi ludi fiant non digressionum amœnarum & theatricarum gratia, sed vt seriæ cuiusdam rei fidem faciam: videlicet gentes quæ primùm ad habitandam Romam cõuenerunt Græcarum fuisse illustrissimas, non vt quidam opinantur vagas & barbaras. Pollicitus sum enim in fine primi libri, quem scripsi de eius gentis originibus, confirmaturum me hoc argumentis innumeris, in medium productis eorum priscis moribus, legibus & studiis, quæ durant vsque ad nostra tempora, sic vt per manus accepta sunt à maioribus: existimans scribentibus antiquitates regionis alicuius non satis esse si fidem sequantur indigenarum: sed opus esse certis & irrefragabilibus testimoniis, inter quæ præcipuum locum tribuo singulorum populorum religionibus: nam hæ diutissimè seruantur apud Græcos & barbaros, neminesac

nesac

ne facilè nouante in his aliquid metu numinum, maximè in regionibus barbaris, ex multis causis nunc non referendis: nec potuit longa seculorum series efficere vt patrios deorum cultus dediscerent, mutaréntve in his aliquid vel Aegyptij, vel Afri, vel Galli, vel Scythæ, vel Indi, aliáve vlla gens barbara, nisi fortè in alienam potestatem reducta, & coacta victoris ritus recipere. Cæterùm populus Romanus nunquam eam fortunæ iniquitatem expertus est, sed ipse semper alijs istra reddidit. Ergo si barbarici fuissent generis, tantum aberat vt mutarent sacra quibus suam felicitatem deberent, vt ea potius in subditas omnes gentes inueherent, eásque ad horum cultum traducerent: nec vetuisset quicquā quin eorum opera Græcia fieret barbara, ætate iam septima degens sub illorum imperio. Alius fortè contentus fuisset ex præsentibus populi Romani exercitijs argumenta non leuia priscorum institutorum sumere. Ego verò nequis hanc probationem putet inualidam, falsò suspicans post deuictam Græciam mutuatos inde meliores ritus quos præferrent patrijs, coniecturas summam ex illo tempore, quo nec Græciam tenebant, nec alias transmarinas prouincias: sequárque idoneum autorem Q. Fabium, qui vnus pro multis mihi sufficit, vt Romanorum scriptorum antiquissimus, cõmentatus non audita ab alijs, sed quæ ipse nouerat. Ludos hos decreuit senatus Romanus, vt suprà dictum est, bello Latino votos à dictatore A. Posthumio, priusquam signa conferret cum Latinis populis, qui violato fœdere desciuerant, volebántque Tarquinium in regnum reducere. in horum simulque sacrificiorum impensas assignatæ fuere quingentæ argenti minæ annuæ. quod obseruatum est vsque ad bellum Punicum. Per

eos.

eos dies agebãtur multa more Græcanico circa mercatus & excipiendos hospites communésque inducias, quæ operosum esset commemorare: pompa autem sacráque, ex quibus licet æstimare & reliqua, habebant se hoc modo. Priusquam spectaculum committeretur, viri potestate ac dignitate præminentes pompam ducebant dijs à Capitolio per forum in circum maximum, in qua primi erant eorum filij pubertati proximi, qui iam per ætatem interesse possent, equis inuecti quorum patres erant Romani equites, cæteri pedites in pedestrem accensendi militiam, distincti per alas & centurias classiúmque ordines ac si ludum literarium peterent, vt appareret hospitibus futura iuuentus vrbana, quæ esset egregia forma & numero. hos sequebantur quadrigarij, bigarij, singulariúmque equorum agitatores: post quos athletæ grauiorum leuiorúmque certaminum, nudi cætera pudenda tantum tecti subligaribus campestribus: qui mos Romæ manet nostro quoque tempore: sicut olim fuit in Græcia, in qua nunc antiquatus est, orto à Lacedæmonijs initio. Primus autem nudauit totum corpus in Olympiaco stadio decurrẽs Neanthus Lacedæmonius Olympiade quintadecima: antea verò turpe habebatur apud omnes Græcos toto corpore nudo certare, sicut colligere licet ex Homero testium omnium grauissimo & antiquissimo, qui succinctos inducit heroas certè Aiacis & Vlixis luctam ludis in Patrocli honorem funebrib. describens sic ait:

Tum sese in medium cœtum duo magna dedere
Corpora heroũm succincta.

Atq; etiam manifestius idem liquet ex Odyssea, vbi Irum & Vlyxem facit pugiles his versibus:

—Diuus Vlyxes
Prosilit in medium feruens, partíque pudenda

Sublig

Subligar iniecit. Mendicum porrò metu tergiuersantem fingens sic canit:

Ast Iro frigidus tetigit præcordia sanguis.
Illi cunctanti licet, inuito atque trementi
Subligar inducunt.

Hunc certè priscorum Græcorũ morem, qui hodieq́; Romæ seruatur, satis apparet non à nobis eos desumpsisse posteriore tempore: sicut nec abolitum vetustate, quemadmodum apud nos. Athletas sequebantur saltatorum chori diuisi trifariam, primo virorum, deinceps imberbiũ, postremo puerorum: post quos tibicines inflantes antiqui moris breues tibias, quarum & nunc vsus est, citharistæq́; plectentes lyras septem fidium eburneas & quæ vocantur barbita, quibus iam vti Græcia desiit, apud Romanos verò adhibentur omnibus antiquis cerimoniis. Saltatorum habitus erat tunicæ puniceæ balteis æreis astrictæ gladiis dependentibus, gestabantq́; breuiores mediocribus lanceas: viri verò etiam æreas galeas cristis pinnatis insignes. quemque chorũ præcedebat vnus vir, qui præibat cæteris saltationis formulas, vnus item militares ac concitatos præcinens modulos rhythmis plerunque proceleumaticis. id genus exercitij apud Græcos olim cùm primis erat celebre, armata saltatio quæ vocatur Pyrrhica: siue id Mineruæ inuentum est. quæ post deletos Titanas in lætitia victoriali fertur prima saltasse armata choreasq́; duxisse: siue prius etiam institutum à Curetibus, dum infantem Iouem mulcerent armorum sonitu concinnisq́; gesticulationibus, vt habent fabulæ. quem morem priscis Græcis vulgarem fuisse indicat Homerus cum aliâs sæpe, tum in cælatura clypei Achilli à Vulcano donati. fingens enim in eo duas ciuitates, alteram pace florentem, bello diuexatam alteram, feliciorẽ illam describit festos dies

agenteri, vacantémque nuptiis vt fieri solet atque conuiuiis. Carmen sic habet.

-Arcta canoros
Tibia dat sonitus, salit omnis ad incita pubes
Carmina, & audaces catu feruente choreas
Deducunt. iuuat è patulis spectare fenestris,
Vestibulis domnum pulchras astare puellas.

Rursusq; aliam choream Creticam constantem ex innuptis puellis & iuuentute, vbi sic canit:

-Spectandum denique multa
Arte chorũ, & vario distinxerat ordine qualem
Construxisse ferunt Cretais Dædalon oris
Formosæ auxilium Minoides ignibus olim.
Illic & nitidi iuuenes pulchræq; puellæ
Stabant, alternata manu ceu vincla tenentes.

Deinde habitum eorũ describens vt mares in armis gesticulatos intelligamus, hæc subiicit:

-Pulchras hæ ferre coronas,
Hi gladios auro nitidos.-

Præsultatores quoque aliorum sic describit:

Plurima circunstans delectabatur amicum
Turba chorum spectans, medio gemini pueri arte
Praibant magna thiasis, saltúque rotabant
Corpora.-

Nec tantùm è meditata ista certaminibusq; apta saltatione, qua in cerimoniis pompisq; Romani vtebantur, eorũ cũ Græcis apparet cognatio, verũ etiam è ludicra & satyrica. Post armatos enim saltatores in pompa incedebant Satyri, sicinnem referentes Græcanicã. habitus horum Silenos repræsentantiũ erant hirsutæ tunicæ, quas quidam appellant scorteas, amiculaq; conserta ex omni florũ genere. alius itẽ satyrorum, ex hircinis tergoribus campestria, setæq; horrentes in vertice, aliaq; his similia. hi serias illas saltationes ridiculè imitabantur depravantes per ludibrium, quibus lusibus satyricis

satyricis salibusq́; iam inde à priscis seculis delecta tos Romanos apparet è triumphis etiã. permittitur enim victores deducentibus iambos & dicteria iacere in imperatores clarissimos, quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducẽtes scommatibus obuios impetere: nunc autẽ extemporalibus utuntur versiculis. quin & in illustrium virorum funeribus pompis inter alios feretrum præcedebant saltatores Satyrici, maximè in diuitum. Lusus autem satyricos, nec Ligurum, nec Vmbrorum, nec aliorum barbarorum Italiã habitantium fuisse inuentum si docere voluero, vereor ne molestus videar laborans in euidenti re demonstrãda. Post hos choros transibat agmẽ citharistarum ac tibicinum: post quos alij gestantes acerras argenteas aureasq́; tam sacras quàm publicas, suffitumq́; faciẽtes. Extremum agmen claudebant simulacrorum baiuli, habentium quales apud Græcos finguntur effigies, eundémque habitum, eadem insignia muneráque quorum inuentores & donatores traduntur: nec solum Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, aliorúmque quos Græci inter XII. numerant, sed antiquiorum etiam, quorum XII. illi sunt progenies, Saturni, Themidis, Latonæ, Parcarum, Memoriæ, ad hæc Proserpinæ, Lucinæ, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, semideorúmque quorum animæ post mortem inter cælites relatæ pari cũ his honore coluntur, Herculis, Aesculapij, Castorum, Helenæ, Panis, & aliorum innumerorum. atqui si barbari fuissent Romæ conditores & festi huius institutores, quorsum attinebat Græcanicos deos geniósque omnes colere contemptis patrijs? aut ostendat nobis aliquis præter Græcam nationem aliam cui sacra hæc sint domestica, & tum demum probationem hãc ut ineptã calumnietur. Peracta pompa

confestim sacrificabant consules sacerdotésque quibus fas erat & victimarij, idque more nostratium. Lotis enim manibus, & lustratis aqua pura victimis, moláque conspersis earum capitibus, votísque nuncupatis, tum ministros eas mactare iubebant. quorum alij stantem etiam tum hostiam vecte feriebant in tempora, alij cadentem cultris excipiebant, ac mox direpto tergore concidebant membratim, delibatásque ex singulis extis aliisq; membris primitias farre obuolutas in canistris offerebãt sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum affundebant insuper. quæ singula in sacrificiis Græcorum factitari solita apud Homerum videre est. nanque manus lauãtes heroas inducit molásque utentes, ubi sic canit:

Dant famuli manibus lymphas, queis salsaq; farra Contrectent. *Pilos quoque de capite victimæ desectos in ignem iecisse sic ait:*

Ardentésque focos raptis de vertice villis
Spargit, *Vectibus etiam ferientes in frontem, & collapsas mactantes, sicut in Eumæi sacrificio.*

Icta graui trunco cadit hostia, móxque cadentem Excipiunt cultro.

Primitias item extorum desumentes aliorúmque membrorum, eásque farre prius imbutas consecrantes super altaribus, in eodem sacrificio fingit:

Polline conspersos adipes, per singula carpens,
Iniicit in flammas Ithacensis.

Quæ etiam ætate mea Romanos in sacris obseruare comperi, vel hoc vno argumento satis persuasus, non barbaros fuisse Romæ conditores, sed è multis Græciæ locis conuenas. Fieri enim potest ut quidam barbari circa festorum ac sacrorum rationem nonnihil cum Græcis commune habeant: sed impossibile est ut conueniãt omnia. Supersunt pauca de certaminib

taminibus dicenda, quæ à peracta pompa spectabantur. primus erat quadrigarum, bigarum, singulariúmque equorum cursus, sicut olim in Olympia, & nunc quoque. In his equestribus certaminibus duo quædam priscorum instituta seruantur à Romanis hoc quoque seculo: alterum trigariorũ, quod defecit in Græcia, vsitatum Heroum temporibus, vt Homerus testatur describens eorum prælia: quo duobus equis bigarum in morem iunctis adiungebatur tertius funalis loramentis adnexus, quem inde παρήορον Græci vocabant. alterum quod apud paucos aliquot Græciæ populos durat ex antiquitate reliquum. vectorum cursus. finito enim equorum certamine, viri qui prius cum aurigis eodem curru vehebantur, quos poetæ parabatas, Athenienses apobatas nominant, desilientes in pedes cursu certant in stadio. Post equorum cursum athletæ inducebãtur, cursores, luctatores, pugiles. hæc enim tria genera certaminum apud priscos Græcos erant, vt Homerus indicat in Patrocli funere. Cæterùm medio inter certamina tempore bene de republica meriti coronabantur, vocéque præconis celebrabantur ex more Græcorum laudatissimo, sicut Athenis per liberalia factitatum est: & ostentabantur spectatoribus relata ex hoste spolia. Sed de his neque silendum erat omnino, quæ poscebat argumenti ratio: neque tamen immorandum est eis diutius, reuocante nos à diuerticulo narrationis serie. Vt enim senatus cognouit de seruo qui antè pompam heri iussu sub furca cæsus fuerat, nouitatem hanc auersatus quòd eum præsultatorem à deo significatum interpretaretur, requisito & pro dignitate punito domino, alios ludos Ioui decreuit duplo maiore sumptu quàm antea. Hæc sunt quæ his COSS. gesta produntur.



DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER VIII.

In quo bellum Coriolani contra Roma. pop. & eius mors. Bellum cũ Hernicis, Equis, Volscis. Legis agrariæ prima inuentio per Sp. Cassium, ipsiúsque Cassij supplicium. rursus bellum cum Volscis & Veientibus. tẽpus annorum octo.



Equenti autem anno, Olympiade septuagesima tertia, qua vicit in stadio Astylus Crotoniensis, Anchise Athenis principe, COSS. fuere C. Iulius Tullus, P. Pinarius Rufus, viri minimè bellicosi, & ob hoc ipsum à populo creati: quorum consulatu maximum periculum populus Romanus adiit, vt minimum abfuerit quin erueretur funditus. Marcius enim ille Coriolanus qui ob suspicionem tyrannidis exilio perpetuo mulctatus fuerat à populo, indignè hunc casum ferens, & quomodocunque vlcisci acceptam ab inimicis iniuriam cupiens, vnam Volscorum potentiam Romanis parem inueniebat, si de communi sententia ductu prudentis imperatoris bellum eis inferrent: cogitabátque si hoc eis persuadere

suadere posset, committique sibi copiarum imperium, facilè se rem confecturum. Deterrebatur tamen ab hoc conatu conscientia tot illatarum ei genti cladium, alienatorúmque ab eis tot oppidorum opera sua. Tandem contempto periculo rem aggressus, obseruata nocte obscura venit Antium nobilissimam Volscorum vrbem cœnæ tempore ingressusq; ædes viri potentis, nobilis, bellóque clari, & summæ in ea gente autoritatis, Tulli Attij, supplex ad focum sedenti accidit: denarratáque sua necessitate in quam redactus esset inimicorum iniuriis, orabat vt humano affectu se miserum exciperet, nec pro hoste haberet, sed pro subdito: néue in calamitosum afflictúmque vim exerceret, considerans humanarum fortunarum vicissitudines. Disce, inquit, hanc instabilitatem sortis vel exemplo meo, qui modò in maxima vrbe visus præstantissimus, nunc ab omnibus destitutus, exul & humilis antè te iaceo, passurus quod tibi hosti libuerit. Polliceor autem tantum boni me Volscis allaturum receptum in amicitiam, quantum mali hostis intuli. Quòd si mauis in me animaduertere, confestim iram exerce, & mortem mihi largire quàm citissimam, tua manu mactato hic ad larem proprium. hæc locutum porrecta dextra Tullus à foco subleuat, iubens bono esse animo. nihil enim sua virtute indignum passurum: magnámque gratiam ei se habere, quòd aduenerit ad se, honoris sui causa id factum interpretans: pollicebatúrque se Volscos omnes ei conciliaturum facto à suis ciuibus initio: quod & præstitit. Nec ita multo pòst de bello Romanis inferendo consultauerant sine arbitris. Tullus volebat confestim omnibus Volscorum viribus concitis vrbem inuadere, dum seditionibus agitaretur populus, & imbelles duces haberet. Marcius

verò aiebat prius iustam piamq́; belli causam quærendam, docens omnibus negotiis adesse numina, bello verò tanto magis, quanto periculosior est eius alea. & erant tunc Romanis ac Volscis induciæ, in duos annos factæ paulo antea. Si inconsideratè, inquit, & præpropere bellum intuleris, violabis inducias, nec habebis deos propitios. Quod si expectaueris donec ipsi hoc faciant, defendere te videberis & vindicare violata fœdera. Id quomodo fieri oporteat, vt ab illis videatur ortum belli principium, nos verò iustum piúmque bellum gerere, ego post longam cogitationem inueni. opus est enim vt à nobis decepti iura priores temerent. modum autem decipiendi, quem continui hactenus occasionem expectans, nunc proferam, quando te ad bellum animatum video. Ludos popul. Romanus instaurabit mágificè, confluéntque ad eos spectandos multi hospites. hoc expectato tempore itu quoque, & fac quantum potes vt plurimi Volscorum conferant se ad id spectaculum. Vbi verò in vrbe fueris, fidissimum aliquem amicum mitte ad COSS. qui occultè moneat, Volscos parare vrbi nocturnas insidias, ideóque venisse tam multos. Certo scito si hoc audierint sine cunctatione electuros vos ex vrbe, prabiturósque iustam iræ materiam. Lætus id Tullus accepit, & tēpus expeditionis operiens, interim totus erat in apparandis rebus bello necessariis. Deinde postquam consulatum inierunt Iulius & Pinarius, præstantissima Volscorum iuuentus ex omnibus oppidis autore Tullo ad spectacula conuenit: quorum maior pars diuertit in loca sacra & publica, quòd hospitia priuata non sufficerent: & quoties per vias incederent, cateruatim ambulabant, non sine murmure ac suspicione populi. Interea subornatus à Tullo index adit consules,

vt

ut Marcius suaserat: & ut in re occulta quam de amicis apud inimicos proferret, a consulibus iuratis silentij fidem securitatem suam stipulatur, ac tum demum de insidiis figmentum eis communicat: creditúmq; est facilè, ac mox viritim conuocatis senatoribus index in conspectum eorum productus, accepta & ab illis fide, dixit eadem quæ antè apud consules dixerat. qui cum iam ante suspicari cœpissent, videntes tantum iuuentutis ex vna gente male pacata in suam urbem receptum, accedente huc indicio cuius dolus ignorabatur, valde in opinione sua confirmati sunt: placuitque omnibus summoueri eos ex urbe antè solis occasum, pœna capitis per præconem denuntiata contrà facientibus: ut autem tutò & illæsi discederent, id curare consules. Hoc S. C. *facto præcones per omnes vias dimissi qui edicerēt, Volscos e vestigio ex urbe abire omnes per vnam portam Capenam. alij verò cum* COSS. *deducebant abeuntes, quando maximè apparuit numerus eorum & robur, eodem tempore omnibus per vnam portam exeuntibus. primus Tullus exibat propere, occupatóque non longè ab urbe loco idoneo, postremos serius venie͂tes ibi colligebat. vbi verò omnes conuenerunt, concionabundus in Romanos inuectus est, dicens Volscos grauem & infandam ab eis accepisse iniuriam, solos omnium hospitum expulsos: postulabátque ut quisque in suam patriam id renuntiaret, darétque operam ut compescatur Romanorum superbia, ipsiq; luāt pœnas iuris violati meritas. His dictis vltro indignantes exacerbauit amplius, atque ita concionem dimisit. Postquam autem oppidatim cognitum est de accepta contumelia, non sine facti exaggeratione, ab ira se nemo continuit: missisque circa populos legationibus totius gentis indictum est concilium*

lium, in quo consiliis collatis de bello agerent. Nec cessabat incitator Tullus, donec honoratiores vndique conuenerunt Ecetram, praetérque hos magna turba alia. erat enim sita loco apto ad eorum populorum comitia. ibi post multos sermones à proceribus habitos ventum est ad suffragia eorum qui aderant: obtinuítque autor belli sententia, quando per Romanos priores foedus violatum sit. iamq; de modo gerendi consultantibus progressus in medium Tullus suasit acciri Marcium, & ex illo quaeri quomodo Romani possint debellari. hunc enim maximè scire qua laborent res Romanae, qua valeant. placuit consilium, móxque acclamatum est ab omnibus, vocarent hominem. Tum Marcius arrepta occasione optatissima prodiit moestus ac lacrymabundus: & post modicum silentium sic exorsus est. Si existimarem vobis omnibus aequè calamitatem meam cognitam, non necessarium crederem super ea disserere. Sed quoniam in tanta ingeniorum varietate probabile est non defore qui falso licet atque immeritò suspicentur me non sine iusta causa pulsum à Roma populo, primum omnium reddenda mihi ratio est mei exilij. Verùm illud oro per deos, vt & vos, qui iam ante scitis quàm indignis modis ab inimicis sim habitus, quámque praeter ius ac fas in hoc infortunium inciderim, patienter me audiatis: nec prius desideretis meum consilium quàm me autorem eius qualis sim examinaueritis. Nec enim diu huic parti sermonis immorabor, etiam si repetendus est altius. Populus Romanus à principio rempublicam habuit mixtam ex potestate regum & optimatium, quae sub vltimo rege Tarquinio versa est in tyrannidem. eum optimates conspiratione facta eiecerunt ex vrbe: móxque ipsi rempubl. administrauerunt

optima-

optimè prudentissimeq; constitutam confessione omnium. Nuper autem ante triennium fermè aut quadriennium, egentissimi quique inertissimique ciuium malos duces secuti cum alia multa proteruè fecerunt, tum postremo tentauerunt optimates submouere à gubernaculis reipublicæ, magno dolore senatus, qui iam sibi cauendum intelligebat, ne illa detrimenti aliquid acciperet: in quo negotio insignis fuit inter seniores optimates opera Appij Claudij viri multis nominibus laudatissimi, inter iuniores mea: nec desiimus vti liberis verbis in senatu, non infensi plebi, sed suspectam habentes malorum potentiam, nec vt ciuem aliquem seruitute premeremus, sed vt conseruaremus libertatem omnium, & reipublicæ regimen redderemus potioribus. Hæc videntes nequissimi illi plebis antistites, statuerūt primos nos qui apertè sibi aduersaremur è medio tollere, non ambos simul aggressi, ad vitandam facinoris inuidiam, sed orsi à me iuniore & opprimi facili. Ac primò iniudicatum conati sunt perdere; deinde à senatu ad mortem deditum accipere. Frustrati autem vtroque diem mihi dixerunt ipsi futuri iudices, obiecto crimine affectatæ tyrannidis, ne hanc quidem absurditatem sentientes: neminem tyrannum contra plebem conspirare cum optimatibus, sed potius plebis ope potentissimū quenque è ciuitate tollere. nec iudices dati sunt mihi more patrio centuriatis comitiis, sed quod omnes fatentur improbatissimum iudicium & de me primo ac solo factum, in quo plus valitura erāt suffragia mercede operas suas locantium vagorum hominum alieniq; appetentium, quàm bonorum virorum & iustorum amantiũmque Reipublicæ. Tantum autem innocentiæ mihi superfuit, vt ab iniquo bonis viris, & ob hoc mihi quoque infenso vulgo

vulgo iudicatus, duobus tantum damnatus sim calculis, tribunis potestatem deponentibus ni ego damnarer, dicentibúsque se extrema à me passuros, & omni studio contentionéq; aduersum me connitentibus. Hæc igitur passus à meis ciuibus vitam hanc non duxi mihi vitalem, nisi pœnas de ipsis sumerem. quapropter cum liceret mihi viuere in otio vel apud Latinorum cognatum aliquem nobis populum, vel in quapiam recens à patribus nostris deducta colonia, nolui malens ad vos confugere: quos sciebam maximis à populo Romano affectos iniuriis, eique infensissimos, vt vnà vobiscum communes calamitates vlciscerer pro viribus, seu verbis seu factis opus ad id fuerit. habeóque vobis magnam gratiam quòd exceperitis me, atque etiam maiorem pro honore mihi habito, traditis obliuioni omnibus malis acceptis à me belli tempore. Ergo qualis vir essem, si honoribus debitis priuatus ab ingratis ciuibus, simúlq; patria, domo, amicis, penatibus, maiorum sepulcris, aliisque bonis omnibus, & his cunctis inuentis apud vos, cum quibus gessi bellum in illorum gratiam, non infestarem quos pro ciuibus inimicos expertus sum, nec benefacerè his quos pro hostibus amicos comperi? Equidem pro viro non habeo qui nec inimicis, irascitur, nec seruatoribus suis bene vult. patriam porrò existimo, non quæ me ciuem dedignatur, sed in quam homo externus ascitus sum: & regionem eam amicam puto in qua tutus maneo, non in qua iniuriis exagitatus sum: speróq; diis iuuantibus & vestra opera fretus breui magnam mutationem futuram. Scitis enim populo Romano tot bellis exercito nullum hostem magis formidatum quàm vos: nec aliud magis curare semper, quàm vt gentem vestram quantum possunt reddant debilem. & ideo populos vestros

alios

alios opprimunt bello, alios fallunt spe amicitiæ, ne coniunctis viribus commune bellum geratis cum eis: qui si pro dignitate vestra decertare pergatis, & in bellum cōsentiatis vt nunc facitis, potentiam eorum facile tolletis è medio. Et quoniam cognoscere cupitis quid ipse de modo ac ratione belli gerendi sentiam, siue id peritiæ siue beneuolentiæ meæ testimonium est, siue vtriusque, dicam nihil dissimulans. Ante omnia moneo curetis habere prætextum belli iustum ac pium: qui quomodo quærendus sit etiam cum vestro commodo audite. Ager Romanus à principio paruus fuit & sterilis: quod autem ei pòst accessit mulctatis finitimis amplum est & fertile: quòd si quisque populus partem suam per vim ereptam velit recipere, nihil erit tam paruum, egenum, debile, quàm Romana vrbs. huius rei à vobis fieri decet initium. Mittite legatos qui repetant ab eis occupata vestra oppida, munitionibusque quas in nostra terra munierunt iubeant eos excedere, & si quid aliud de vestro vsurparunt reddere. nec prius bellum inferte, quàm illi responsum dederint. Si enim hæc feceritis, alterutrū consequemini: aut res vestras recipietis sine sumptu & periculo, aut honestam iustámque belli causam habebitis. Est enim omnium confessione honestum, si quis alieni non appetens, cōtentúsque res suas repetere, passus repulsam armis persequatur ius suum. Agedum quid putatis Romanos facturos vobis hæc postulantibus? Vtrū reddituros vestrum agrum? & quid vetabit quin mox relinquant quicquid alienum est? Venient enim Aequi, Albani, Hetrusci, aliique repetitum terras suas. An retenturos occupata, nihílque iustum facturos? vt ego certè opinor. Ergo protestati ab illis prioribus ortam iniuriam, sumetis arma necessaria, & habebitis

bitis

bitis auxiliares quotquot ab eis spoliati sunt, nec possunt aliter quàm armata manu res suas recipere. Est autem admodum opportunum rem aggrediendi tempus populis læsis à Rom. populo, quod ex insperato fortuna obtulit, dum illi ob seditionē suspecti sunt inuicem, & duces habent imperitos militiæ. Hæc sunt de quibus amicos summa fide beneuolentiáque monendos verbis censui: quæ verò factis exequenda erunt & arte prouidenda, committetis copiarum vestrarum imperatoribus. meū erit quocunque loco me res vestras tueri volueritis, dare operam nequo milite, centurionéve, tribunóve deterior habear. Vos me in fidem vestram recepto vtimini vt vobis videtur commodū. persuasum habentes me si hostis vobis obesse potui, socium etiam profuturum non mediocriter. Hæc loquentem Volsci libenter se audire præ se ferebant: vt verò dicere desiit, conclamarunt rectè monere: nulláque ampliore deliberatione addita comprobarunt hominis sententiam, scriptóque decreto. mox nobilißimum quenque oppidatim delectum Romam in legationem miserunt. Cæterùm Marcio decreuerunt dignitatem senatoriam & ius gerendorum magistratuum honorúmque omniū: & non expectato Rom. populi responso cuncti se bello parabant: tum si qui prioribus præliis fracti fuerant, recipiebant animos velut euersuri Romanum imperium. At legati Romam mißi vt in curiā introducti sunt, aiebant Volscos magnopere cupere vt sublatis controuersiis sine dolo malo amici sociique populi Rom. habeantur: futurámque fidā & firmam eam amicitiam, si agros suos & oppida per Romanos occupata receperint: aliás nec pacem inter eos firmam futuram nec amicitiam. natura enim ita comparatum vt iniuria preßi male velint opprimentibus. orabántque ne sibi

sibi iusti belli necessitatem imponerent. His dictis, & legatis excedere iussis, in senatu consultatum est: nec multò pòst reuocatis de communi patrum sententia sic est responsum. Non latet nos Volsci, non amicitiam vos sed honestam occasionem belli quærere. nam quæ à nobis petitis, sat scitis vos non impetraturos. postulatis enim iniqua & impossibilia. nam si donatos nobis agros pœnitentia ducti repeteretis, iniustum esset eos non restitui pristinis dominis. quorum verò dominium iure belli amisistis, eos iam alienos iniustè petitis. nos certè his maxime gaudemus possessionibus, quibus bello potiti sumus: nec nostrum hoc institutum est vt scitis, sed mos receptus apud deos æquè ac homines, apud Græcos pariter ac barbaros: nec animus est in vestram gratiam semel bello quæsitis cedere per ignauiam. turpissimum enim esset, res virtute fortitudinéque partas amittere per stultitiam & formidinem. Quod verò ad bellum attinet, nec inferre id vos cogimus, nec si bellare vobis certũ est, quo minus id faciatis deprecamur: sed si priores inceperitis, arcebimus. Hæc Volscis renuntiate: simúlque monete, illos priores arma sumpturos, nos verò lacessitos & posteriores. Cum hoc responso legati Volscorum ad suam gentem remissi sunt. Rursum igitur coactis comitiis, decernitur deos iubere vt bellũ Ro. populo inferant. Tum imperatores eligunt Tullum & Marcium, qui delectibus habendis tributísque colligendis præsint, aliáque parent quæ belli vsus postulat. cúmque iam dimittendus esset conuentus, assurgens Marcius sic locutus est. Quæ decreta sunt his comitiis bene habent, exequenda suo tẽpore. Interim dũ delectus habebuntur, aliáque expedientur quæ vt video sine mora non possunt confieri, ego & Tullus ibimus. quibus libet prædari ex hostico & lucrari,

lucrari, sequimini. Polliceor vobis, deo iuuante, multa commoda. adhuc enim Romani sunt imparati, quòd videant nos nondum contraxisse copias. itaque securè nobis licebit quantum voluerimus agrorum percurrere. Probata Volscis hac quoque sententia priusquam Romæ conatus eorum noscerentur, profecti sunt cum magna voluntariorum manu: quorum partem Tullus in Latinorum agros duxit, ne qua inde hosti subuenirent auxilia, cum reliquis Marcius urbem petiit: perterritísque improuiso malo agrestibus multi capti sunt tum serui tum liberi: boum quoque, iumentorum, pecorum magna vis: & frumentum, ferramenta, instrumentáque rustica vel direpta sunt vel corrupta. postremo villæ iniecto igne à Volscis exustæ sunt, ut non nisi longo tempore possent reparari à dominis. maxime verò in plebeiorum prædia sæuiebatur, patritiorum latifundiis est parcitū: aut si quid eis damni datum est, id intra mancipiorum ac pecorum prædam constitit. Sic enim Volscis mandarat Marcius, quo magis inter patritios & plebem suspiciones gliscerent, & seditio maneret in urbe diutius. quod etiam contigit. Vt enim Romam renuntiata est agrorum vastatio, cognito non æquè afflictas esse res omnium, pauperes vociferabantur in diuites, ab his inductum contra se Marcium. patritij verò vaframentum hoc ducis esse aiebant. nemo tamen vel rebus pereuntibus sucurrere, vel reliquas seruare volebat ob proditionis suspicionem mutuam. Itaque Marcius reduxit domum integras copias debacchatas in hostem pro arbitrio, & luculenta præda ditatas. Pari modo paulò pòst Tullus ex agris Latinorum cum magna præda rediit. nam & illic hostis non ausus est congredi, ut imparatus & oppressus malo repentino. quo factum est ut omnes

Volscor

Volscorum populi ingentes spes conceperint, & opinione citius conscripto exercitu, alacritate magna quicquid opus esset suppeditaretur imperatoribus. Postquam autem praesto fuit totus exercitus, cum collega Marcius consilia contulit, quomodo res gerendae sint in posterum. Mihi, inquit Tulle videtur optimum diuisis inter nos bifariam copiis, alterum nostrum cum militum robore hostes petere, facereque pugnae copiam: quam si non detrectauerint, vno praelio de summa rerum decernere. quòd si non audebunt (vt futurum credo) militi maiore ex parte tironi & imperitis rei militaris ducibus hanc aleam committere, tum agros eorum populari, socios distrahere, colonias expugnare, à nullo temperare maleficio. alterum verò hîc relictum agros custodire cum oppidis, ne forte incustoditos hostis inuadat, & magnam accipiamus ignominiam, si appetentes aliena exuamur propriis. Sed is qui hic mansurus est, debet instaurare sicubi collapsa sunt moenia, fossas repurgare, castella munire in quae agricolae refugiant: nouas copias conscribere, commeatus foris militantibus suggerere, arma fabricare, & siquid aliud opus sit, expedire celeriter. Tibi optionem offero, externísne copiis praeesse malis, an iis quae hîc relinquentur ad regionis custodiam. Vehementer hoc Tullo placuit, & quia notam habebat hominis felicitatem & industriam, illi permisit educendum exercitum. At Marcius non amplius cunctatus Circeios petiit, oppidum promiscuè habitatum à Romanis colonis & ciuibus veteribus, eóque obiter potitus est. Nam oppidani vbi cognouerunt hostem occupato agro iam ad moenia sua contendere, apertis portis obuiam progressi deditionem fecerunt, receptíque in fidem nihil hostile passi sunt. frumentum tantum in vnum mensem

imperatum, vestésque in vsum militum, & aliquantulum pecuniæ: præsidiúmque relictum modicum, vel ad ipsos in fide continendos, vel ad arcendam vim hostium. His Romam nuntiatis maior etiam terror incubuit, patritiis plebem incusantibus quòd virum bellicosum, industrium, magnanimum eiecerint, Volscísque ducem dederint: plebis magistratibus in senatum crimen regerentibus, quasi dolo illorum res gereretur: & bellum non impeteret totum populum, sed plebem Romanam duntaxat: cui opinioni accedebat vulgi pars pessima. Cæterùm de exercitu scribendo, euocandis sociorum auxiliis, curandis necessariis, in tanta simultate nunquam in mentem venit. Id animaduertentes natu maximi communicato inter se consilio aggressi sunt priuatim publicéque turbulentissimum quemque è plebe cohibere ab huiusmodi suspicionibus & criminationibus, ostendentes periculi magnitudinem quo vrgeantur ob vnius viri nobilis exilium, & quanto maius instet si petulantia plebis plures exacerbentur eodem modo: profecerūtque non parū. Sedato porrò tumultu senatus in curiam conuocatus primum Latinorum legatis qui tum petebant auxilium, respondit non facilè esse in præsentiarum id mittere. Licere ipsis exercitum conscribere, eíque proprios duces præficere, tantúmque copiarum, quantū Romanus populus miserit, in id bellum mittere. nam vtrunque vetitum fuerat fœderis conditionibus. deinde consulibus mādauit delectum habere, vrbem custodiis firmare, auxilia sociorum accersere, exercitum verò non prius educere quàm instructis rebus omnibus. eadem approbauit populus. supererat autem de annuo magistratu non multum temporis: quapropter nihil eorum quæ decreta sunt confici potuit, sed rem semiperfectam

tradid

tradiderunt successoribus. Hi fuere Sp. Nautius, Sex. Furius: qui conscriptis copiis ex urbana multitudine quammaximis per castella opportuna disposuerunt speculas, nequid ignorarent eorum quæ in agris fierent: multum frumenti pecuniarum, armorum breui comparauerunt. atque ita domi apparata videbantur omnia quæ præsens postularet necessitas. Sed socij non omnes parebant alacriter, nec cogi poterant ad prabenda auxilia, quòd timeretur proditio, nonnullis apertè ad Volscos deficientibus. primi Aequi desciuerunt, mox initio belli ab illis impetrato fœdere: miseruntque Marcio maximas & alacerrimas copias: quorum exemplo moti & alij multi clàm fauebant Volscis, non publicè mittentes auxilia, sed permittentes si suorum aliquis vellet sequi eorum militiam, atque adhortantes etiam, tantum ut vetarent aberat: breuique tantum virium eis accreuit, quantum nunquam ante habuerant, neque dum maxime floreret eius gentis felicitas. his fretus Marcius rursum in agrũ Romanum irrupit: moratúsque ibi per aliquot dies deuestauit quicquid superioribus populationibus intactum reliquerat. paucis tamen corporibus ingenuorum in hac expeditione potitus est. collecta enim cariere supellectile multo ante confugerant, pars in urbem, pars in castella munitiora, ut quæque erant proxima. Pecora verò quæ illi mature abigere non potuerant, seruósque pastores, & triticum etiamtum iacens in areis, aliásque fruges vel demessas vel comportatas, hostes abstulerunt. Sic ille exercitus depopulatis omnibus, & nemine congredi auso, domum reductus est grauis præda ut agre incederet. Quo viso Volsci & audita Romanorum timiditate, qui nuper alienorum agrorum populatores, iã impune suos vastari in conspe-

ctu suo finerent, magnos collegerunt animos & conceperunt spem imperij. quasi iam minimo negotio possent delere aduersariorum potentiam: decretísque supplicationibus, templa sua foráque ornabant spoliis: vacantésque epulis atque hilaritatibus celebrabant Marcium, præferentes eum in rei militaris peritia omnibus omnium seculorum imperatoribus tam Græcis quàm barbaris, mactum felicitate dictitantes cui omnia sine labore succederent ex sententia. quapropter nemo militaris ætatis erat qui non libenter sequeretur eius ducis auspicia, quòd omnes facinorum eius participes esse cuperent, ex omnibus populis ad eum confluente multitudine. At imperator vbi Volscorum alacritatem confirmauit, & depressam hostium virtutem redegit ad consiliorum inopiã, contra socias eorum vrbes quæ in fide manserant, duxit exercitum: paratísque rebus ad oppugnationem necessariis, in Tolerinos Latini nominis populum fecit impetum. qui quoniam ad bellum se præparauerant, comportatis ex agro suis rebus intra mœnia, restiterũt fortiter. & cum aliquandiu sustinuissent oppugnationem sauciatis multis hostibus, tandem à funditoribus depulsi sub vesperã multis locis nudarunt mœnia. Quo viso Marcius alios milites iussit admotis scalis eas muri partes conscendere. ipse cum lectissimo quoque portam aggressus est, multis telis petitus è turribus: perfractísque repagulis primus vrbem ingressus est. eam portam seruabat valida manus hostium, qui aliquandiu repugnauerunt strenuè: sed multis cæsis reliqui terga verterunt diffugientes per vias. ille vrgebat interficiẽs quotquot assequeretur, solis parcẽs supplicibus qui arma proiicerent. interea mœnia quoque scalis capta sunt. In hunc modũ expugnata vrbe Marcius selectis è præda spol

da spoliis quibus deos donaret ornarétque Volscorum oppida, reliquũ concessit militibus. inerat autem multum mancipiorum, frumenti, pecuniarum, vt victoribus ad exportandũ nõ sufficeret vna dies, sed per vices agentes ferentésque consumerẽt multum temporis. Imperator direpto desolatóque oppido Bolam duxit exercitum. non imparatam & ipsam, vt quæ aduentum eius præsenserat. quam cum se putaret primo impetu expugnaturum non vno loco aggressus est mœnia. Oppidani verò expectata opportunitate temporis, aperta porta instructi erumpunt, & aggressi proximos, multis cæsis, pluribus sauciatis, reliquis fugatis, intra mœnia se recipiunt. At Marcius cognita Volscorũ fuga (nã forte fortuna non aderat cũ accepta est ea ignominia) cum paucis propere aduolauit, recollectísque quos fuga disperserat, & hortatu suo restitutis in ordinem, & monitis quid opus facto sit, iussit vt quà hostes eruperant oppugnarent oppidum. Tum Bolani primo successu feroces erumpunt iterum, Volscis vt moniti fuerant non excipientibus eorũ impetum, sed per procliuia refugientibus: quos oppidani dolum non intelligentes diu persecuti sunt. Eos Marcius longe à mœnibus distractos inuasit cum lectissimis iuuenum, multósque vel repugnantes vel fugientes occidit, hærénsque tergo priusquam porta clauderetur irrupit intra mœnia: porta verò in potestatẽ redacta mox repletum est hostibus oppidum. Bolani desertis mœnibus in domos refugerunt. præda hominum & rerum concessa militi oppidum quemadmodum illud alterum per otium magnis opibus exhaustum igni est traditum. Inde Labicos cum exercitu petiit, Latini nominis populum, vnum ex Albanorum coloniis: quos vt terreret exurebat eorum villas obiter, quà maxime con-

ſpicuum fore putabat clauſis incendium. Lauicani freti firmis mœnibus nec territi ſunt, nec verſi ad ignauiam, ſed ſtrenuè propugnando ſæpius hoſtem ſcandentem reiecerunt à mœnibus. poſtremo tamen expugnati ſunt, quòd non valerent pauci multis ſine intermiſſione repugnare. nam Volſci ab omni parte oppugnabant, ſuccedentes feſſis recentes, ita vt oppidani diéſque noctéſq; continuato labore defatigati cogerentur muris decedere. Marcius hoc quoque oppidum diripiendum conceſſit militi, captiuis ſub haſta venditis copiæ ad Pedum traductæ ſunt, & hoc Latini nominis. id primo impetu captum, tractatúmque vt alia. Sequenti luce duxit Corbionem. propinquanti portæ apertæ ſunt oppidani obuiam effuſi ſupplices deditionem fecerunt. his laudatis prius quòd optimè ſibi conſuluiſſent imperauit pecuniam & frumentum in vſum exercitus: quibus alacriter exhibitis abduxit exercitum verſus Coriolos: acceptóque in fidem oppido, liberaliter adiutus commeatibus, pecuniјs, & cæteris quæ imperauerat, velut per pacata duxit ſine noxa exercitum. Valde enim curabat nequid hoſtile paterentur dedititij, parcens agris eorum & his quæ inerant pecoribus atque mancipijs. nec ſinebat militem diuerſari in oppidis, ne peccaret furtis rapiníſue ſed caſtra metabatur prope mœnia. Ad Bouillas demum exercitus admotus eſt vrbem tunc nobilem & armorum peritia ſecundam nulli Latini nominis: excluſuſque fiducia mœnium firmitatis & propugnatorum multitudinis, ſuos ad rem fortiter gerendam cohortatus eſt magnis præmijs propoſitis his qui primi euaſiſſent in mœnia: pugnatúmque eſt circa vrbem acriter. nam Bouillani non contenti defendere muros eruptione quoque pugnabant, hoſtémque propellebant per decliuia.

plurimi

plurimi Volscorum ibi cæsi, diúque oppugnatio durauit vix vlla spe victoriæ. Sed imperator in cadentium locum alios sufficiens efficiebat ne sentiretur detrimentum numeri. laborantes autem confirmabat sua præsentia semper succurrens quocunque res posceret, nec verbis tantum, verum etiam exemplo suos animans. nam omnia subibat pericula, nihil intentatum relinquens, donec vi mœnia caperet. tandémque redacta in potestatem vrbe, victos partim occidit repugnantésque, partim viuos cepit: adeptúsque clarissimam victoriam, præda onustum abduxit exercitum, ditatúmque pecunijs plurimis: nusquam enim plures inuenta sunt. Post hæc quacunq; iter facerent & ager erat in potestate, nec oppidum vllum eis se opposuit præter Lauinium, quod primum à Troianis Aeneæ socijs olim in Italia fuerat conditum, à quo etiam Romanorum originem deductam diximus. Oppidani autem quiduis passuri videbantur potius quàm nepotum suorum fidem deserturi. ergo acriter pugnatum est aliquot oppugnationibus, atq; etiam eruptionibus Sed nihil profecerũt primi impetus ita vt obsidione opus fuerit. absistens igitur ab irrito conatu Marcius circumuallauit oppidum, quo tum auxilia, tum commeatus excluderet. At Romani audientes excidia sociarum vrbium, & compulsos ad defectionem populos, solicitatíque quotidianis in fide manentium auxiliúmque implorantium legationibus, ad hæc territi obsidione Lauinij, quod solum remorari videbatur ne hostis vrbem infestus peteret, vnum malorum omnium remedium credebant, si decreto populi reuocaretur in patriam Marcius, vociferante tota plebe, tribunísque paratis de irritanda mulcta referre ad populum. sed patritij nolebant quicquam de re semel iudicata mutari, nec nisi

ex senatusconsulto tribunis referendi ius erat. quod sanè mirandum, cur ita senatus superiore tempore semper Marcij studiosus, tunc plebi hominem reuocare volenti aduersatus sit, haud facili coniectura num experiri volens eius constantiam, an ideo difficilem se præbens quo magis accenderet desiderium, an verò vt eorum calumnias refelleret, qui patres & fauere Marcio, & ei fuisse autores belli mouendi iactarent. nam ipsi dissimulabant causam huius consilij. His per transfugas cognitis Marcius, vt erat iratus, mox exercitum versus vrbem mouit: & ad fossas Cluilias quinque ab vrbe millia passuum castra posuit, relicta copiarum parte quanta sufficeret ad continuandam obsidionem Lauinij. ad cuius aduentum tantus in vrbe tumultus exortus est, ac si iamiam instaret oppugnatio, omnibus iniussu magistratuum arma corripientibus, & alijs discurrentibus ad mœnia, nonnullis portas agminatim nullo duce petentibus. nec deerant qui armatis seruitijs parietes domesticos pararent defendere, alij rursum qui arcem Capitolinam aliáve vrbis loca munitiora occuparent: mulieres ad templa deorum currebant passis crinibus, precibus auersura imminens periculum. per hanc trepidationem exacta nocte ac parte sequentis diei. cum nihil fieret eorum quæ timuerant, nec castra moueret Marcius, concursus plebis in forum factus est vocantis patres in curiam, & nisi viro decernerent reditum, minantis seipsos consulturos sibi ut proditis. quo factum est vt ex S. C. quinque seniores ex patribus legati ad illum mitterentur, qui erant ei gratissimi, acturi de pace atque amicitia. missi sunt M. Minucius, Postumius Cominius, Sp. Largius, P. Pinarius, Q. Sulpitius, omnes consulares. hi postquam in castra venerunt, Marcius sedens

dens

dens in consessu nobilissimorum Volscorum aliorúmque sociorum quo loco maximè possent ab omnibus exaudiri quæ dicerentur, eos ad se vocari iussit: qui ubi coràm fuere, Minucius qui in consulatu suo plurimum pro eo laborauerat, plebique se opposuerat, sic orsus est. Non ignoramus Marci affectum te à plebe iniuria, apud quam nefarij criminis reus peractus è patria pulsus es: nec miramur si indignè fers hoc infortunium. Sic enim natura comparatum est ut læsus ei qui se læsit infensus sit. Illud miramur, non discernere te ratione in quos vindicare debeas, nec moderatè pœnas exigere. sed eodem loco habes innoxios noxios, amicos inimicos, mouésque naturæ leges immobiles, & confundis fas, ne tui quidem ipsius memor, quis è quibúsve natus sis: & venimus à republica legati è patritijs natu maximi, tuíque studiosissimi, afferentes violati iuris expostulationem mixtam precibus, accepturíque vicissim conditiones pacis quas velis renuntiari populo: simúlque admonituri quid in rem tuam fore putemus, quídve te facere deceat maximé. Ac primùm de iure dicetur. Conspirauit in te plebs à tribunis iritata, conatique sunt te indemnatum occidere quibus eras terribilis. Id ne fieret nos senatores prohibuimus, effecimúsque nequid patereris contra ius. Postea qui vetiti sunt interficere, diem tibi dicere voluerunt ad populũ, quòd apud senatum plebi male locutus sis: restitimus hîc quoq; ut nosti, nec passi sumus te vel sententiæ dictæ vel orationis habitæ pœnas luere. hic quoq; frustrati, postremo adierunt nos obijcientes tibi tyrannidem. ad hoc crimen refellendum ipse te obtulisti, quòd plurimum abesses ab eo, permisistíq; de te iudicium populo. ac tunc quoq; tibi senatus affuit, multis pro te fusis precibus. quid igitur mali tibi fecimus nos pa-

tritij? Cur nos bello petis, quorum tantum fauorem in tua causa expertus es? Imò ne plebem quidem totam te expulsum voluisse satis apparet, quando duobus tantum calculis damnatus es. quapropter ne his quidem iure hostis esse potes, quorum absoluebaris suffragijs. Sed fac si libet à tota plebe atque etiam senatu mulctatum te hoc infortunio, omnésque nos tuo dignos odio, quid damni dederunt fœminæ tibi Marci, vt earum hostis sis. cuius earum calculo eiectus es? quam concionem habuerunt aduersus te? quid verò pueri nostri vel egerunt vel cogitauerunt iniustè contra te? quibus nunc imminet periculum captiuitatis aliarúmq; miseriarum quæ solent euenire vi captis vrbibus. non æquum iudicas Marci, qui putas sic persequendos inimicos & noxios, vt interim ne amicis quidem parcatur & insontibus. hæc certè secus quàm bonum virum decet cogitas. Et vt omnia ista omittam, quid responderes dic per Iouem, si quis te roget, quánam iniuria lacessitus monumenta maiorum diruas, honorésque eis ab hominibus concessos adimas? deorum item aras, templa, fana, quonam merito ipsorum offensus spolias, exuris, subuertis, eósque cultu priuas solenni ac legitimo? quid ad hæc posses dicere? equidem nihil video. Atque hæc pro nobis Marci, próque senatu & alijs tuis ciuibus, quos is perditum nihil læsus ab eis, próque sepulcris & aris patriæ quæ te genuit & educauit dicta sint. Nisi forte censes æquum omnes homines etiam innoxios vnà cum vxoribus & liberis à te plecti, atque etiam deos geniósque, vrbem, agrósque, pœnas dare tribunorum dementiæ, nihílque haberi eximium. An non satis pœnarum iam exegisti ab omnibus, tot editis stragibus, tot agris igni ferróque vastatis, tot funditus euersis vrbibus, tot abolitis deo-

rum

rum dæmonúmque cæremonijs & religionibus quibus multa loca desolata sunt? Equidem arbitror indignum viro cui quantulacunque virtutis cura est, vel amicos cum inimicis confundere, vel iram in delinquentes implacabilem gerere, eos præsertim qui iam satis pœnarum luerint. Hæc igitur sunt quibus vel nostrum ordinem excusamus, vel deprecamur pro plebe. Restat vt subijciam quæ tui studio si tibi pollicentur si redeas in gratiam cum patria. tuum est præsentem potentiam adiutam fauore numinum moderatè dispensare, cogitaréque quàm mutabiles sint fortunæ vices, quàm nihil in rebus humanis stabile: & quicquid ad summum claritatis fastigium euaserit indignationem deorum non effugere, vertíque rursum in nihilum: ídque potissimum vsu venire sæuis ac superbis ingenijs & humanitatis oblitis. Licet autem tibi nunc honestissimis conditionibus pacem componere. nam & senatus totus ad decernẽdum tibi reditum paratus est, & populus ad legem sanciendam qua irritetur de exilio tuo lata sentẽtia. quid igitur vetat te suauissimarum & carissimarum necessitudinum conspectu frui, & patriam toties armis defensam recipere, præesse imperantibus & ductores ducere, honestissimámq; nominis memoriam relinquere? horum certè promissorum omnium breui præstandorum nos sponsores sumus. nunc enim non decebat ex S. C. aut plebiscito tibi decerni æquum aliquid dum exercitum habes contra nos & geris te hostiliter quòd si ab armis discedas, tibi afferemus decretum de tuo reditu. Hæc sunt quæ reconciliatus habebis commoda. quòd si irasci pergens simultatem nolis deponere, multæ tibi obuenient molestiæ, sed duæ præcipuæ. primo quod male concupisti, frustra laborabis populi Romani potentiam, præsertim Volscorum ope subuertere:

uertere: deinde etiamsi voti compos euadas, habeberis mortalium omnium miserrimus. Cur autem ita opiner, patienter audi Marci me dicentem liberè, & primum tentare te impossibilia. Scis ipse pop. Rom. abundare multa iuuentute domestica. ex qua si eximatur seditio, quod vt propediem fiat extorquebit ipsa belli necessitas, conciliante omnes communi periculo, nec Volsci praualebunt, nec vlla gens alia quæ Italiam incolit. multum virium est & Latinis aliisque socijs atque colonis nostris, quos propemodum omnes breui affuturos expecta. duces quoque tui similes tum seniores tum iuniores tot nobis sunt, quot vix omnibus alijs populis. sed maxima spes est quæ nos nunquam in aduersitatibus fefellit, in maiore humanis viribus deorum beneuolentia, qui per octo iam ætates nostram vrbem conseruarunt non solùm liberam, verum etiam fortunatam & imperantem multis gẽtibus. nec nos Pedanis aut Tolerinis aliisue paruis ciuitatibus confer, quarum expugnasti oppida: potest enim etiam te inferior imperator & minoribus instructus copijs infirma munimenta à paucis defensa capere: sed considera vrbis magnitudinem rebus bello gestis clarissimæ, & deorum fauore fortunatissimæ, per quem ex parua tam magna facta est: tuásque istas copias quibus fretus rem tam arduam aggrederis, ne puta factas nunc alias: sed memento te Volscos & Aequos ducere, quos nosipsi toties prælio vicimus, quoties ausi sunt congredi. Proinde scito te cum deterioribus aduersus præstantiores certaturum, & cum toties victis aduersus vincere semper solitos. Quod si contrà se res haberet, mirandum tamen si tam peritus rei militaris vir ignoras in periculis non tantum audaciæ suppetere solere aliena vsurpantibus, quantum sua bona defendentibus.

tibus. nam illis vt male cedat, nihil perit, his nihil reliquum fit nisi rem gerant fortiter. nec alia causa est cur interdum maiores copiæ vincantur à minoribus, & potentiores à debilioribus. Vehemens enim res est necessitas, & extremum periculum satis est ad indendam audaciam sicui non innata sit. qua de re hæc dixisse sufficiat, quamuis plura possem dicere. Dicam vnum etiam: id si non cum ira sed ratione iudicaueris, probabitur tibi sat scio, mouebitque te ad pœnitentiam. quidnam illud? Nemini mortalium dij dederunt certam futurorum scientiam: nec post homines natos quisquam extitit cui omnia cesserint prosperè, nusquam aduersante fortuna: ideóque homines longæui & multo rerum vsu assecuti eximiam prudentiam, priusquam aggrediantur aliquam rem euentum eius spectandum existimant. nõ eum tantum quem ipsi sibi destinauerint, sed eum etiam qui potest præter expectationem accidere: id quod maximè decet imperatores potestate præminentes, in quos tam boni quàm mali euentus causa vulgo referri solent: & si viderint ex frustratione nullum aut paruum damnum futurum, aggrediuntur rem: sin multa magnáque, ne incipiunt quidem. hoc tu quoque fac, & antequam periclitẽris prospice quid futurum tibi sit. si non contingat victoria accusaberis apud tuos hospites vt aggressus rem impossibilem. deinde vbi nos cum exercitu agrum illorum ingressi vastabimus, nec enim lacessiti quiescemus, alterutrum euadere non poteris, quin aut ab ipsis turpiter interficiaris vt magnæ calamitatis autor, aut à nobis quos perdere atq; in seruitutẽ redigere conatus sis & fortassis illi priusquam aliquid à nobis patiantur, pacis impetrandæ causa dedent te ad supplicium: quod sæpe coacti sunt facere multi tam Græci quàm barbari. Hæccine

cine tibi parua & contemnenda videntur, cum sint coniuncta extremo periculo? Age quid si succedat, quid inde magnificum tantáque contentione appetendum consequi potes? quam egregiam gloriam? expende & hoc. primò carendum erit carissimis affectibus, matre misera, cui pro partus ac educationis molestijs non bonam refres gratiam: pudica coniuge, quæ in viduitate contabescit tui desiderio, noctésque diésque deplorans tuum exilium: ad hæc duobus filijs, qui deberent dignos maioribus suis honores in patria fortunata capessere: quos omnes videbis misere perditos, si ausus fueris mœnibus nostris admouere tuas copias. non enim tuis parcent qui timebunt rebus & cognationibus proprijs, eandem expectantes à te sæuitiam, imò sentientes etiam. non abstinebunt ab eis tormenta nec vllum iniuriarum ac contumeliarum genus exasperati suis calamitatibus. In culpa verò non tam ipsi erant, quam tu qui hanc eis necessitatem imposueris. has voluptates carpes è tuis successibus. Quid laudem & honorem, quibus potissimum boni viri mouentur, qualem inde habiturus sis vide. matricida diceris, filiorum interfector, vxoris pernicies, patriæ malus genius: nec ad sacra, nec ad epulas, nec ad domesticum larem, admittet te quisquam iustus ac pius: ac ne ipsis quidem carus eris in quorum ista facis gratiam: sed abusi ad suam vtilitatem tuis impijs facineribus, odio prosequentur mores alienos ab humanitatis consilijs. Omitto dicere, non solum inuisum te fore æquissimo cuique, verum etiam obnoxium inuidiæ parium, & inferiorum suspicionibus, quorum vtrunque solet insidias parere: aliásque molestias taceo, quæ necessariò sequuntur virum sine amicis habitantem peregrè: sicut & diras quæ facinorosis immittuntur ab infensis numinib

minibus: à quibus corpus & animam excruciati post miseram vitam sortiuntur tristem exitum. Has considerans Marci resipisce, & desine meminisse iniuriæ acceptæ à patria. & in fortunam reiecta mutuarum offensarum culpa, lætus reuertere domum ad amplexus matris gratissimos officia coniugis suauissima, salutationes liberorum dulcissimas, téque ipsum restitue ornamentum ingens & bonum patriæ, quæ te tantum virum educauit & genuit. Ad hæc post paruam morulam sic Marcius. Tibi quidem Minuci, vobísque alijs senatus legatis amicus sum, paratus quantum possum benefacere, vt qui & olim ciuis vester sociúsque curarum sæpe opera vestra vsus sum, & iam exul in aduersa mea fortuna constantem vestram beneuolentiam experior, non tam erga me qui nec amicis prodesse, nec inimicis nocere valeo, quàm erga matrem meã, vxorémque ac liberos, quorum calamitates vestra prouidentia leuiores redditis. cum cæteris Romanis bellum gero hostiliter, nec eos odisse desinam: qui cum me honorare deberent ob tam multas res gestas egregias, quasi grauissimi criminis conuictum, turpiter exegerunt è patria, nec matrem meam reueriti, nec liberos miserati, nec vllo tacti affectu humano. hoc cum sciatis, siquid vobisipsis à me impetratum cupitis, ne pigeat dicere apud paratum gratificari quantum mihi est possibile. Cæterùm de pace ac reconciliatione cum pop. Roma. quam suadetis ostentantes spem reditus, desinite agere. Scilicet optãdus est mihi reditus in eam vrbem, in qua virtutis præmia ferunt ignauissimi, maleficiorum pœnæ infliguntur innocentibus. Dic enim obsecro, quam ob culpam expertus sum hoc infortunium? ob quod facinus indignum meis maioribus? prima militiæ rudimenta posui adolescens

admod.

admodum, quando contra reges vi reditum quærentes pugnauimus. ex eo prælio ciuicam coronam retuli, donatus ab imperatore ob ciuem seruatum & hostem perditum. deinde in omnibus tum equestribus tum pedestribus prælijs insignem nauaui operam, in omnibus militaria dona meritus: & neque vrbs vlla capta est cuius ego mœnia non primus aut cum primis conscenderim: neq; hostes in acie fugati sunt, quin mihi accepta ferretur victoria omnium qui interfuissent testimonio: neque vllum aliud opus militiæ præclarum extitit absque mea vel felicitate vel audacia. Verùm hæc fortasse posset alius quoque vir fortis de se iactare, etiam si non tam multa. Sed quis posset vrbem ostendere captam à se milite vel centurione, sicut ego Coriolos? eodémque die fusum ac fugatum exercitum hostium, sicut ego Antiatium fugaui, qui veniebat obsessis auxilio? taceo talium facinorum contempta præmia, aurum, argentum, mancipia, iumenta, pecora, latifundia: quando ad vitandam inuidiam ex omni præda vnum tantum bellatorem equum accepi, & ex captiuis vnum hospitem, reliquas diuitias in commune deposui. Ob hæc facta vtrum pœna dignior eram an honoribus? vtrum nequissimis ciuium subijci, an reddere iura inferioribus? At non ob hæc me plebs expulit, sed quòd aliàs flagitiosus essem ac luxu perditus. Et quis vnquam vidit propter meum luxum aut licentiam aliquem mulctatum patria, vel libertate, vel pecunia, aut afflictum quouis modo? imò ne inimicus quidem vllus vnquam mihi tale quicquam obiecit vel priuatim vel publicè: sed vniuersos habui testes quotidianæ frugalitatis inculpatissimæ. Dixerit aliquis ita me versatum in republica, vt exosus hoc nomine in calamitatem inciderim, quòd cum potuissem meliori parti adhærere,

rere, deteriorem prætulerim, & continenter aduersatus optimatibus rempubl. patrio more tractantibus, potestatem eorum ad imperitum vulgus transferre conatus sim. imò diuersissima fuerunt mea studia Minuci, vt penes senatum esset reipublicæ cura, & vt conseruaretur status eius pristinus. pro his honestissimis exercitiis, quæ apud maiores nostros habebantur æmulatione dignissima, hanc felicem ac fortunatam gratiam patria mihi reddidit, non à plebe sola eiecto Minuci, sed multo prius à senatu: qui ab initio me spe inani erexit, dum tribunis aduersarer astruentibus sibiipsis tyrannidem, securitatem pollicitus: deinde à plebe sibi metuẽs destitutum inimicis prodidit. tu ipse Minuci consul eras quando S.C. factum est de iudicio, & quãdo Valerius dedendum me plebi suadẽs valde laudatus est: cum ego veritus ne senatus quoque suffragio damnarer, assensi & iudicandum me prabui. I nunc Minuci, responde utrum senatui pœna dignus visus sim ob bene tractatam rempublicam, an plebi tantummodo. Si enim omnes contra me consensistis, & omnes me abire compulistis, liquet virtutem esse inuisam vobis omnibus, nec esse locũ in vrbe qui virum honestum ac bonum capiat. quod si à plebe senatus coactus est id cõtra animi sui sententiam facere, male institutam habetis rempublicam, in qua nequam homines plus quàm senatum posse fatemini. & postea vultis ut in talem ciuitatem reuertar, vbi meliores parent deterioribus? ergo insanum me putatis. Sed finge hoc mihi persuasum, & pace facta iam me reuersum, quid animi posthac erit mihi? quam vitam victurus sum? Vtrum securiora consilia secutus, magistratus, honores, aliáque quibus me dignum existimo appetam, ambiámque fauorem vulgi penes quẽ talium

P confer

conferendorum potestas est? malus igitur ex bono fiam, & nihil mihi præterita virtus proderit. an mores eosdem retinens, idémque institutum in republica, aduersabor diuersum sentientibus? id quidem si fecero, dubio procul iterum plebem habebo infensam, iterum cōtra me poscet aliud iudicium: & in promptu crimen erit, quòd per ipsam restitutus in patriam, non colam eam iucundis officiis. non potestis negare. Exorietur deinde aliquis Icilio similis aut Decio tribunus audax, qui accusabit me inter ciues dissidia serere, aut insidiari plebi, aut rempublicam hostibus prodere, aut tyrannidem vt Decius calumniatus est affectare, aut aliud contra leges facere quodcunque ipsi visum fuerit: nō enim inimico crimina deerunt: quibus accedent & hæc non diu dissimulata quæ per me hoc bello gesta sunt, agri excisis arbustis vastati, prædæ abactæ, vrbes ad defectionem coactæ, propugnatores earum partim cæsi, partim redacti in potestatem hostium. Hæc obiicientibus accusatoribus quid responsurus sum? aut quo vtar auxilio? An non igitur manifestum nihil præter pulchrè ficta verba vos afferre Minuci, & rem nefariam honesto nomine prætexere? non enim reditum mihi conceditis, sed victimam plebi me reducitis, volentes ac prudentes fortasse: nihil enim boni de vobis suspicor: aut si ita mauultis, sit ita nescire vos quid passurus sim. Sed quid mihi proderit vestra vel ignorantia vel stultitia, qui nihil vetare etiamsi velitis poteritis, & cogemini hoc quoque largiri plebi sicut cætera. Iam satis ostensum est inutilem esse mihi hunc vt vos vocatis reditum, vt ego existimo celerem viam ad perniciem. quòd verò nec ad gloriam, aut honorem, aut pietatem mihi conferat, quando etiam de his monuisti Minuci rectè faciēs: sed inhonestè ac impiè

factur

facturus sim, si vestram autoritatem sequar, audi vicissim. Ego Volscis dum hostis eorum eram multa mala intuli, afferens imperiū patriæ, potentiámque & gloriam. An non igitur par erat honorari me ab iis quos beneficiis affeceram, à læsis haberi odio? Igitur factúmne est quod debuit? imò fortuna in contrarium vertit omnia. Vos enim in quorum gratiam illis eram inimicus, exutum me bonis omnibus & in nihilum redactum abiecistis: hi verò tot malis à me affecti me inopem, exulem, laris egenum exceperunt in oppida sua. nec contenti facto tam magnanimo, ciuitatem mihi dederunt apud omnes suos populos, simúlque magistratus & honores maximos. Omitto alia, nunc imperatorem me crearunt omnium quas emiserunt copiarum, & remp. in manus meas tradiderunt. Age quo pectore possem hos prodere, à quibus sic honoratus sum, læsus verò ne minimum quidem? nisi fortè beneficiis eorum lædor, sicut vos meis. egregiam verò laudem mihi afferret apud homines cognita geminata proditio. quis non me laudaret audiēs comperisse me hostes à quibus inuādus eram, & amicos factos qui inimici capitales fuerant, ac postea cum deberem odio respondere odientibus, amore amantibus, fecisse contrarium? Iam verò quòd ad deos attinet, considera Minuci, quales nunc erga me sint, qualésue futuri sint in posterum, si vestrum consilium secutus fidem prodidero. nunc adiuuant me quicquid aggredior, & nihil non succedit: id quod quātum argumentum putatis pietatis meæ? Si enim contra patriam impium bellum gererem, oportebat habere me aduersa numina. quoniam autem secunda fortuna aspirat, & quicquid tento succedit, satis apparet me virum esse pium, nec conatus meos impios. quid si mutatus res vestras promoueam, ho-

rum deteriores reddere cupiam? Annon omnia vertentur in cōtrarium, & vltricem experiar Nemesim? & sicut ex humili magnum me dij fecerunt, sic rursus ex magno fiam humilis? meisque calamitatibus erudientur alij? Mihi quidē id persuasum est de diis: & terribiles istas furias & implacabiles vltrices, quarū tu quoque Minuci meministi, tum credo vexaturas meum corpus & animum, si deseruero ac prodidero eos qui me seruarunt à vobis perditum, & insuper tractauerunt honorificentissimè: quibus sponsores deos dedi, me malo eorum non venisse, & hactenus seruaui fidem. Dum verò amicos vocas Minuci qui expulerunt me, patriam quæ abnegauit, naturæq; leges inuocas, & de pietate differis, videris mihi communi sensu carere, qui nescias amicum ab hoste non aspecta facie discerni aut nomine audito, sed vsu & operibus. amamus enim omnes iuuantem, lædentem odimus, non vt humanis legibus visum fuerit, sed iuxta sempiternum naturæ ius nullo antiquādum tempore, & firmiter inhærens omnibus sensum habentibus. ideóque & amicis ob acceptam iniuriam renuntiamus, & ex inimicis amicos facimus ob acceptam gratiam, patria quoque tantisper dum prodest pietate prosequimur, si noceat deserimus non propter locū amantes eam, sed propter cōmoda. nec soli priuati homines in hoc consentiunt, sed & ciuitates & gentes integræ. atque ita qui hanc opinionem habet, nihil à iure diuino humanóve discrepat. Ego certè dum meum ago negotium, iustè, vtiliter, honestéque facio, nihílque à pietate digredior, nec iudicia moror hominum qui coniecturas magis quàm veritatem sequuntur, contentus approbare me diis superis. quibus iuuantibus non conor impossibilia, si licet ex præteritis argumentum de futuris

turis sumere. Quod verò petitis vt modestè fortuna vtar, nec radicitus gentem Romanam eruam, vrbémve subuertam funditus, poteram dicere Minuci, non esse hoc mihi in manu, nec à me peti debere: mihi copiarum tantum imperium creditum, penes hos manere belli & pacis arbitrium. Non tamen sic respondeo: sed in honorem deorum patriorum, sepulcrorumq́ reuerentiam ac natalis soli, simulq́ miseratione mulierum ac puerorum in quos immeritos maritorum ac parentum peccata recidunt, atque etiam in vestram gratiã Minuci, quos legatos misit populus, hoc responsum do. Si populus Romanus redhibitis agris & oppidis quæ occupauit, reuocatísque colonis, Volscos in fœdus amicitiam perpetuam, iúsque ciuitatis sicut Latinos iureiurando interposito recipiat, pacem ei do. Renunciate hæc, & quemadmodum modò apud me, sic apud eos de iure aptè disserite. æquum esse vt quisq; sua bona in pace possideat, magníque æstimandum nec hominem vllum nec tempus metuere: turpe verò alienarum possessionum cupidine bellum sustinere non necessarium, coniunctum cum salutis periculo: & ostendite illis præmia quæ alienorum agrorum appetentes manent rebus aduersis vel prosperis. &, si vobis videtur, addite: periculum esse ne dũ aliena oppida inuadunt, si frustrentur, amittant etiam vrbem propriam, & insuper inspiciant pessimè tractari vxores, rapíque liberos, & in seruitutẽ abduci parentes decrepitos. Docetéque senatum, hæc mala nõ imputanda Marcio, sed ipsorum stultitiæ: si cũ liceat iure seruato feliciter degere, malint de summa rerum aleam iacere, & continenter inhiare alienis ditionibus. habetis responsum, præterea nihil expectate aliud, sed abite & dispicite quid vobis opus facto sit. ad deliberandum XXX.

dies do. Interim in vestram gratiam Minuci ex hoc agro abducam exercitum: non posset enim sine magno vestro damno hic manere: cæterùm ad trigesimum diem expectate me ad accipiendum responsum reuersurum. His dictis surgens dimisit cõsistorium. Sequenti verò nocte circa vltimam vigiliam motis castris duxit ad reliqua Latinorum oppida: siue quòd reuera audisset ventura inde Romam auxilia, sicut apud milites pro concione dixit: siue ipse rumorẽ cũ finxerat, ne videretur cessare in gratiã hostium. Tum aggressus Longulam, expugnatam minimo negotio diripuit sicut alias exinaniuitq; captiuis abductis, ac mox porrò contrà Satricanos duxit exercitum. & potitus hoc quoque oppido, prædaq; amborum cum præsidio missa Ecetram, ipse cum copiis suis Setiam petiit: & hac etiam capta ac direpta, Polustiã aggressus est. Hæc quoque vi expugnata ad vlteriora dedit trãsitum. Itaque Albiolani & Mugillani expugnati sunt eodem impetu, Corani verò deditione in fidem recepti. Ita subactis intra dies triginta Latinorum septem oppidis Romã petiit cũ multo maiore quàm prius exercitu, & trigesimo fermè stadio ab vrbe in Tusculana via castra posuit. Interea senatus post diutinas de Marcij postulatis consultationes decreuit nihil faciendum indignum maiestate Ro. populi: sed si Volsci deductis è Romano sociorumq; agro copiis pacati legatos de amicitia miserint, senatum consultare de conditionibus fœderis, ac deinde referre ad populum: sin manere pergant & rẽ hostiliter gerere, nihil mite decernendum. Semper enim populus Romanus diligenter cauit ne videretur hostiũ metu imperata facere: sed fœdere innectis aduersariis & in fidẽ receptis largiretur quicquid æquum peterent: eúmque animum constan-

ter

ter obtinuit in multis grauibus periculis usque ad nostram ætatem, siue bellis externis vrgeretur, siue ciuilibus. Hæc vbi senatui placuere, rursum electi sunt in legationem alij decem consulares qui peterent nequid graue iubeat & indignum Romano populo, siquidem velit diuturnum ac stabile fœdus fieri: sed positis inimicitiis, abductóque exercitu, verbis & rationibus impetret quæ cupiat: quando quicquid necessitas pro tempore vel priuatis hominibus vel ciuitatibus extorqueat, tantisper duret donec cesset ea necessitas. Cum his mandatis legati profecti sunt quamprimum audierunt de aduentu Marcij: ad quem admissi multis suasoriis verbis vsi sunt, seruata interim dignitate Rom. populi. Quibus ille nihil aliud respondit, nisi vt melius sibi consulerent, & reuerterentur post triduum. non enim se ampliores daturum inducias. Cúmque illi nescio quid ad hæc vellent dicere, non permisit, sed iussit e uestigio castris excederent, minatus ni faciant habiturum se eos pro exploratoribus. ita illi silentio confestim se dederunt in viam. Hæc tam superba & minacia postquam legati renuntiauerunt senatui, ne tum quidem placuit emitti exercitum: siue quòd parum fiderent inexperto bellorum militi: erant enim tirones plerique: siue quòd timerent ignauiam cōsulum, in quibus nihil erat industriæ, periculosam rati hanc aleam: siue deterriti sunt prodigiis, auguriísve, & Sibyllinis oraculis, aut aliis religionibus patriis, quorum ætas ea fuit obseruantior quàm nostri seculi homines: sed iusserunt præsidiis vrbem firmari & propugnatoribus. Inter horum apparatum nondum abiecta omni spe flectendi Marcium si maior & honoratior legatio mitteretur, decretum est vt pontifices, augures, cæteríque sacerdotes & sacrifici, quorū magnus est numerus,

eorumq́ nobilitate ac dignitate præcellẽtium, præferentes deorum quibus initiati essent insignia, sacróque vestitu venerabiles, vno agmine castra hostium peterent, eadem postulaturi quæ legati proximi. Qui admissi & auditi ne ipsi quidem impetrarunt quæ volebant: sed suasit eis vt irent & imperata facerent, si pacem habere cupiãt: aliás bellum venturum expectarent ad vrbis mœnia: edixitq́ ne posthac legati mittantur ad se. At Romani hoc quoque conatu frustrati desperata pace parabant se ad oppugnationem sustinendam, dispositis circa fossas & portas iunioribus, super mœnia verò emeritis, sed qui labori ferendo etiamtum essent idonei. Interea mulieres vt malo iam imminente relictis penetralibus ædium priuatarum currebant ad templa deorum, & cum lamentis prouoluebantur ante simulacra: erantq́ omnia sacrata loca referta eiulatu fœminarum supplicantium, sed Capitolini Iouis templum maximé. Ibi quædã dignitate præminens annisq́ matura, & aliás prudens fœmina, Valeria Publicolæ illius qui cum primis vrbem à tyrannide liberauerat soror, diuinitus instincta in summa tẽpli area constitit: vocatásque ad se cæteras, primũ consolata est iubens bono esse animo, nec perterreri periculo. deinde pollicebatur vnicam spem salutis publicæ reliquam, quæ in ipsarum solarum opera sita sit, si velint quæ faciẽda sunt facere. Tum vna ex earum numero. Et quomodo nos fœminæ possemus seruare patriam viris cessantibus? quas vires ad hoc habemus inualidæ & miseræ? Non opus est, inquit Valeria, manibus & armis, à quibus vacationem habemus sexus priuilegio, sed verbis & affectibus. Acclamatum est vno ore, proferret si quid haberet auxilij. Tum illa: In hoc sordido & inculto vestitu, assumptis aliis mulieribus, ducentes &

tes & paruos liberos, eamus ad ædes Veturiæ matris Marcij, & depositis antè ipsius genua pueris, rogemus cum lacrymis, vt nos innocentes miserata, & in extremo periculo constitutam patriam, progrediatur ad castra hostium, ducens secum nepotes eorúmque matrem & nos vniuersas: comitabimur enim eam, & ipsæ ducentes liberos: deinde vt supplex filium oret, ne quam calamitatem inferat patriæ. nam ad eius lamēta & preces miseratio subibit hominem, & humanitatis respectus. non ita ferreum pectus habet ac impenetrabile, vt matrē ante genua sua volutari sustineat. Placuit omnibus id cōsilium, votisq; factis vt dij precibus suis vim persuadendi & gratiam adderent, procedentem è templo comitatæ sunt: ac mox assumptis aliis matronis simul adierunt domum Veturiæ. quas cum vidisset uxor Marcij Volumnia prope socrum assidens, mirata, quid inquit, vobis uultis mulieres, quòd tam multæ venistis ad domum afflictam & miseram? Tum Valeria: In extremo periculo constitutæ tum ipsæ tum nostri pueri cōfugimus supplices ad te Veturia, quæ sola reliqua est opem à te petentes: primùm vt miserearis communis patriæ, nec patiaris eam nemini vnquā antè obnoxiam libertate à Volscis exui, si tamen parcent ei, & non funditus conabuntur euertere. deinde vt pro nobis ipsis supplicare velis & his infelicibus pueris, ne simus inimicis ludibrio, quæ non sumus causa vestri infortunij. Siquid est in te humanitatis Veturia, miserere mulier mulierum cum quibus sacra habuisti cōmunia, & assumpta tecum bona hac Volumnia eiusq; pueris nobisq; supplicibus ferentibus hanc tenellam progeniem, vade ad filium, ora, obsecra, precari non desine, pro multis vnam hanc reposcens gratiam, vt pacem det suis ciuibus, & reuertatur in desideran-

temse patriam. certò enim persuadebis, nec despiciet te ante suos pedes iacentem vir pius. Quem si in vrbem reduxeris, & ipsa immortalem habebis gloriam, vt par est, ob ereptam è tam horribili periculo patriam: & nos honoratiores apud maritos facies, quæ bellum submouerimus quod ipsi nequiuissent repellere: videbimur illarum posteræ ac progenies, quæ sub Romulo bellum Sabinum legatione sua diremerunt, conciliatísque ducibus ac populis, vrbem hanc ex parua magnam fecerunt. Honestum est periculum Veturia, filium recipere, liberare patriam, seruare suas ciues, virtutis immortalem gloriam ad familiæ posteros transmittere. Concede nobis libens & alacris hanc gratiam nec cunctare Veturia. nam imminens periculum nullas moras patitur. His dictis effuse lacrymās conticuit. Lamentantibus autem & aliis mulieribus ac vehementer deprecantibus Veturia paulisper lacrymata inquit: Ad infirmam & exilem spem confugistis Valeria opem quærentes à nobis miseris fœminis, quibus non deest pietas erga patriam & voluntas seruandi qualescunque ciues, sed non supersunt vires & efficacia. alienatus est enim à nobis Marcius ex quo triste illud iudicium de eo fecit populus, & totam familiam æquè exosam habet ac patriam: id quod non ex alio quàm ipso cognouimus. Postquam enim damnatus domum rediit amicis deducentibus, cum reperisset sordidatas & in gremiis tenentes mœstos ipsius pueros, deplorantésque fortunam quam habituræ essemus illius orbatæ præsentia, stans aliquantum semotus siccis oculis vt lapis: Periit, inquit, vobis Marcius, mea mater tuq; Volumnia mulierum optima, expulsus à ciuibus quòd vir bonus esset amánsque patriæ, quódque pro ea multos labores pertulerit. at vos, vt bonas mulieres

lieres decet, moderatè ferte hunc casum: hos pueros absentiæ meæ solatium, educate vt dignum est vobis vestráque familia: quibus vbi adoleuerint fortunam precor meliorem mea, virtutem non deteriorem: & valete. iam enim abeo relinquens vrbem quæ bonos viros non capit. Vos quoque dij penates & lares patrij geniíque huius loci præsides valete. Hæc vbi dixit, nos miseræ edẽtes voces quas dolor exprimebat, plangentésque pectora, ruebamus in amplexus vltimos, ego maiorem trahens puerum, mater eorum in vlnis minorem gerens. Ille auersus & repulsis nobis inquit: Nec tibi mater Marcius posthac erit filius, sed abstulit senectutis tuæ nutritorem patria: nec tibi Volumnia maritus sed sis felix alium maritum nacta fortunatiorem me: nec vobis filij charissimi pater ero, sed orbi & desolati apud has vsque virilem ætatem educabimini. Hæc locutus non dispositis rebus domesticis, non mãdatis vllis datis, ne loco quidem indicato quem peteret, abiit miser ex ædibus solus ô matronæ, sine seruo, sine pecunia, ne vnius quidem diei viatico assumpto: & iam quartum hunc annũ agit in exilio omnes nos pro alienis habens, nihil scribit, nihil mandat, non quid agamus scire curat. Apud tam durum & impenetrabilem animum Valeriæ quid efficient preces nostrũ, quas nec amplexu dignatus est nec osculo, nec vlla alia comitate, digrediens extremum ex ædibus? Attamen si hoc quoque petitis vos mulieres, & certum est videre nos rem indecoram cœptantes, fingite iam & me & Volumniam ad eum accedere vnà cum pueris. quid primũ ego mater dictura sum? quas preces afferam filio? dicite & docete me. rogabo vt parcat suis ciuibus à quibus patria pulsus est innocens? vt misereatur populi, qui nec misertus est ipsius nec condoluit? vt

deseram

deserat & prodat eos, qui multis affecti ab eo calamitatibus, non hostiliter sed peramicè exceperunt exulem? quo animo rogabo filium, vt infensissimos sibi homines amet, seruatoribus iniuriam faciat? Haccine decet sanæ mentis matrem à filio petere, hæccine à marito coniugem? non cogite nos matronæ hæc orare ab eo, quæ impetrari neque ius sinit neq; fas. Omittite miseras iacere sicut afflictæ sumus à fortuna, nec dedecus insuper addite. Finita oratione tantus eiulatus mulierum coortus est, tantis ædes personuerunt gemitibus, vt longe per vrbem exaudiretur clamor, & concursus multitudinis fieret, ita vt turbis opplerentur vici proximi. Tum Valeria denuo maiore contentione prolixis vsa est precibus, aliæque matronæ vt quæque erat alterutri amicitia cognationéve coniunctissima: nec desinebant supplicare tangentes genua. Tandem Veturia precibus earum victa legationem suscepit pro patria, pollicita se ituram cum vxore Marcij liberísque & aliis quotquot vellent comitari coniugibus ciuium. Ita lætæ matronæ diis in vota vocatis egressæ ex eius ædibus, quid egissent consulibus nuntiauerunt. qui laudata harum voluntate senatúque conuocato retulerunt de profectione illarum, & an permittenda sit rogauerunt sententias: multáque verba super hoc facta sunt, vsque ad vesperam consultantibus. quidam enim non paruum periculum demonstrabant, si mulieres vnà cum liberis sinerentur ire in castra hostium: nam si illi contempto iure supplicum & legationum eas retineant, fore vt vrbe potiantur sine certamine: censebántque solas Marcij cognatas sinendas proficisci vnà cum liberis. Alij ne his quidem permittendum exitum, sed diligenter asseruandas velut obsides, quo minus hostes in vrbem sæuiant. Rursum

sum alij suadebant omnibus permittendum, ut maiore cum dignitate Marcij cognatæ perfungantur deprecatione pro patria. quas nihil mali passuras sponsores ostendebant primum deos quibus curæ sunt supplices: deinde virum ipsum quem adirent, cuius nota esset vitæ integritas abhorrens ab omni scelere. Hac sententia vicit magna cum laude tum senatus prudentiæ, qui optimè in futurum prospexit nihil deterritus periculo: tum pietatis Marcij, de quo hoste fuit opinio nihil patraturum impium: in imbellem ciuitatis partem quæ se ipsius fidei committeret. Senatusconsulto facto consules progressi in comitium concionem aduocant obscura iam nocte: expositísque senatus placitis edicunt vt mane præsto sint ad portam qui deducant mulieres proficiscentes: se interim curaturos necessaria. Sub lucem matronæ pueros secum habentes cum facibus accesserunt ædes Veturiæ, eámque deduxerunt ad portam. Consules qui mulas iugales, carpenta, aliáque vehicula præparauerant, impositas eis prosecuti sunt per satis longum viæ spatium. aderant in consulum comitatu multi senatores aliique ciues, laudantes eas & precantes eis fausta omnia. Vt verò à longe prospectum est agmen mulierum, Marcius mittit aliquot equites qui cognoscant quænam ea turba vrbē egressa sit, & ad quid veniat: cúmque renuntiaretur, Romanas matronas aduentare cum pueris, & matrem ipsius vxorémque cum suis pueris præcedere: primum demiratus est mulierum audaciā, quæ castra hostium peterent absque virorum præsidio, idq́ cum pueris, nec pudore matronali retentæ quo minus in ignotorum virorum conspectum venirent: nec periculo deterritæ quod incurrere poterant, si apud suos ius minus valeret quàm lucri ac prædæ cupiditas. deinde

cum

cum iam prope essent, occurrere matri extra castra cum paucis decreuit, imperatorias secures relinquere iussis lictoribus, & fasces vbi prope matrem veniretur submittere. Sic enim Romanis mos est, quoties minores magistratus obuiam fiunt maioribus, qui seruatur & hodie. Ex hoc more tunc Marcius velut maiorem potestatem conuenturus, imperij deposuit insignia. Tanta in eo viro pietatis cura fuit. Vbi verò conuenere, prior mater accessit ad salutandum, sordidata in morem lugentium, oculis lacrymatione tabidis, miserabilis admodum: qua visa Marcius, rigidus hactenus & confirmatus ad perferendas omnes molestias, non valuit amplius manere in proposito: sed abreptus humanis affectibus, amplexus est eam salutauitque blandissimè, & flens diu dolore exanimatam labantémque sustinuit. Postquam matris salutationi satis indultum est, vxorem ac liberos excipiens inquit: Bonæ mulieris officium fecisti Volumnia qua apud matrem meam manseris, non deserens eius solitudinem, quo nihil mihi gratius potuisti facere. post hæc vtrunque filium exosculatus, rursum se ad matrem vertit, iussitque dicere quid postulet. Illa omnibus audientibus ait se nihil petituram impium, rogabátque vt pro tribunali se audiret. pergratum id fuit Marcio, qui se putabat honestius responsurum corã multitudine, nec defuturas iustas rationes quibus occurreret matris precibus. Ergo ad imperatorium tribunal progressus, primum iussit lictores inde sellam in pauimentum transferre, indignum ratus è sublimiore loco & pro potestate cũ matre agere. deinde nobilissimis ducum & centurionum adhibitis in consessum, & admissis quicunque adesse cuperent, matri fecit dicendi copiam. Tum Veturia stans vnà cum coniuge Marcij liberísque,

riſque, & Romanarum matronarum nobiliſsimis, primum diu fleuit humi defixis oculis, multū ipſa ſpecie mouens ad miſericordiam: deinde vbi ad ſe rediit ſic locuta eſt. Hæ mulieres fili Marci cogitantes vim hoſtilem & calamitates perferendas ſi vrbem noſtrā expugnari contingeret, deſperata omni ope alia, quandoquidem viris earum pacem petentibus nimis durè ac ſuperbè reſpondiſti, adductis ſecum ſuis pueris, & pannis hiſce amictæ lugubribus, confugerunt ad me tuam matrem, & Volumniam tuam vxorem, rogantes ne diſsimulanter feramus ſe indigniſsimè tractari à tuis, quæ nulla vnquam in re nos offendiſſent, & felicitatis noſtræ tempore beneuolæ, nec intactæ miſeriarum noſtrarum condolentia. Teſtes enim eis ſumus, poſt diſceſſum tuum è patria, nos deſolatas in rebus afflictis continenter interuiſitatas ab eis conſolantibus & compatientibus. Quorum officiorum memores ego & vxor tua domeſticæ vitæ mihi ſocia, preces earum non auerſatæ ſuſtinuimus ita vt rogabant venire ad te, & deprecari pro patria. Hic Marcius orationem eius interrumpens, Rem, inquit, impoſsibilem petis mater, vt hoſpites prodam expulſoribus. & meis ſpoliatoribus maximorum bonorum largitores, quibus ego imperator creatus deos atque dæmonas ſponſores dedi, nec me proditurum rempublicam eorum, nec pacem hoſti daturū niſi ex conſenſu Volſcorum omnium. Proinde tum deorum metu quos iuraui, tum hominum reuerentia quibus fidem dedi, debellabo cum Ro. populo. quòd ſi agros de Volſcis occupatos reddiderint, ipsíſque in amicitiam & æquabilem ſocietatem ſicut Latinos receperint, pax eis dabitur, aliter verò non. Vos igitur matronæ abite, & dicite hæc maritis veſtris, & ſuadete ne delectentur vſurpandis alienis di-

tionib

tionibus, sed contenti sint si detur frui propriis, nec expectent dum Volsci bello adempta eodem iure belli recipiant. Victores enim non satis putabunt sua recepisse, nisi etiam victos spolient. qui si peruicacia solita retinentes quæ nihil ad se pertinent, malent quiduis perpeti, illis imputate ventura mala, non Marcio, non Volscis, non cuiquam aliorum mortalium. Te verò mater vicissim filius oro, ne sis mihi autor facinoris iniusti iuxta atque impij, néue stes pro infensissimis mihi contra amicos fidissimos: sed mecum mane vt æquum est, & eandem quam ego patriam incole, & domum quam paraui, meis honoribus fruere, mea te oblecta gloria, amicos & inimicos communes mecum habitura. Depone iam luctum istum misera, quē pertulisti propter meum exilium, & vexare te isto squalore desine. mihi enim mea mater cætera supra spem & supra votum contigerunt benignitate deorum atque hominum: tui verò cura, cui non refero in senectute nutricandi gratiam, intabescens pectori acerbam mihi vitam facit, nec sinit frui bonis præsentibus. quòd si mecum esse volueris particeps rerum mearum omnium, nihil mihi ad summam felicitatem deerit, quæ potest homini contingere. Finita oratione Veturia tantisper cunctata dum circumstantiū acclamationes conquiescerent, sic locuta est. At ego fili Marci nec vt Volscos prodas postulo, qui exulem te receperunt, & honorauerunt imperio copiarū suarum concredito: nec volo vt reconcilieris priuatim absque consensu publico, contempta religione iurisiurandi, quo te obstrinxisti dum sumeres imperiū: nec credas matri tuæ sic mentem deos ademisse, vt vnico filio carissimo turpe aliquid & impium suadeat: sed rogo vt de communi gentis sententia hostis esse desinas, autoritate tua Volscis inductis ad

aquas

æquas conditiones, & pacem quæ vtrisque honesta sit: id quod fieri poterit, si nunc abducto exercitu in vnum annum concedas inducias. eo temporis spatio licebit legatis vltro citróque commeantibus de amicitia vera & firma pace agere. certo enim scito populum Romanum quod maiestate ipsius salua fieri poterit, omnia non grauatim concessurum verbis & precibus: quod siquis vi cogat, vt tu nunc facis, nihil largiturum nec maius nec minus, sicut potes aliorum exemplo discere, vel hoc Latinorum nouissimo, qui depositis armis impetrarunt quicquid petierant. Volsci, sicut fieri solet, insolescunt felicitate nimia: quos si doceas qualemcumque pacē quouis bello potiorem esse, & amicitias spontaneas coactis præferendas vt firmiores: esséque prudentium virorum rebus prospere succedentibus moderatè fortuna vti: contrà in afflictis ad nihil inhonestum se demittere: aliáque quæ ad lenitatem & æquitatem faciunt, non ignota vobis remp. tractantibus: facilè ponent ferociam, & arbitrio tuo committent vt agas quæ in rem ipsorum fore videbuntur. quòd si difficiles se præbeant, nec admittant tua monita, elati rebus gestis tuis auspiciis, ac si fortunam perpetuo sint habituri propitiam, palam depone imperium, ne vel proditor fias eorum qui fide nituntur tua, vel hostis coniunctorum indiuulsis necessitudinibus. nam vtrumque est impium. hæc precatura veni ad te, Marci fili, non impossibilia sicut tu ais, sed quæ salua pietatis ac iustitiæ conscientia possis facere. At infamiam times siquid des meis precibus, auditurus ingratus erga benemeritos, qui te hostem exceptum hospitio admisissent in partem omnium quæ communicantur natiuis ciuibus. hæc sunt enim quæ verbis extollis tantopere. ergo non abundè illis retulisti gratiam,

iam nunc victis à te benificentia? quibus cum hactenus gratum & optatum fuerit in libera patria viuere, non solum constabilisti eis hanc libertatem, sed in tantum ipsos euexisti, ut ambigant utrum imperium Romanum delere sit satius, an in societatem eius donatos ciuitate recipi. Omitto spoliorum ornamenta, ditatúmque præda militem. Et hos tantis per te auctos felicitatibus putas non fore contentos bonis suis præsentibus, & indignaturos nisi patriæ sanguine parentaueris eorum manibus? Ego certè non puto. Superest etiam dicendum quiddam, si rationem in iudicium adhibeas, multum apud te valiturum, parum si iram, de iniusto odio quo persequeris patriam, quæ neque sana erat aut institutis patriis regebatur, quando de te suffragia tulit sed morbo laborabat magnáque tempestate iactabatur: neque totius ea fuit sententia, sed peioris partis sequentis præfectos nequissimos. imò etiamsi non à pessimis, sed ab omnibus, ut inutilis reip. expulsus fuisses, tum quoque debuisses obliuisci eius iniuriæ. nam & aliis multis optimis patriæ consultoribus idem usu venit: raríque in rep. versantur, quorum virtuti non aduersetur æmulorum inuidia. attamen ferunt hæc Marci viri fortes ut humanos casus, deligúntque sibi domicilium ubi patria nihil incommodent. Fecit hoc Tarquinius Collatinus, ut domesticum exemplum afferã, is qui inter præcipuos liberatores urbis fuit: deinde calumnia petitus quòd mutato animo faueret tyrannorum reditui, & ob hoc pulsus in exiliũ, non recondidit iram, nec cum tyrannis arma ingratis ciuibus intulit; quo facto verisimiliorem fecisset calumniam: sed in veterem nostram patriam Lauinium se contulit, ibique vitæ reliquum exegit, nihilo iniquior patriæ. Sed fac

licet

licere læsis nullo amicorum inimicorum, noxiorum innoxiorum discrimine vlcisci acceptam iniuriam, an non satis pœnarum exegisti ab iniquis iudicibus? fertilissimos eorũ fundos fecisti pecoribus compascuos, vrbes depopulatus es socias multis laboribus redactas olim sub ipsorum imperium, iam tertium annum intra mœnia cohibitos grauasti commeatuum inopia. nunc pergis diruta vrbe in captiuitatem abductis ciuibus exsatiare immanem iracundiam. & neque venientes à senatu legatos, absolutionem criminis reditúmque in patriam offerentes, viros amicos es reueritus, neq; sacerdotes postremo ab vniuerso populo missos, viros senes præferentes verbenas & sacras coronas cælitum: sed hos quoque repulisti pertinaciter, imperioso responso haud secus ac victis dato. Equidem non possum laudare hæc tam superba & immitia, támque inhumanam iuris executionem, cum videã omnes homines in mutuis offensis ad deprecationem confugere: & à diis hunc morem institutum, vt nostro merito iratos placemus, humiliter petita venia. Sic enim quæuis ira solet languescere, & in miserationem verti odium. eos verò qui superbè supplicum preces despiciunt indignationẽ deorum incurrere, & miseris absumi calamitatibus. nã ipsi dij qui sic iubẽt, ante omnes nobis exẽplo sunt faciles ad humanorũ erratorum veniam & placabiles, sæpenumero post graues peccatorum offensos votis propitiati ac victimis. nisi forte tibi Marci æquum videtur, deorum iras mortales esse, immortales hominum. Rectè igitur & ex dignitate tua feceris, si remiseris culpam pœnitenti patriæ, petentíque pacem ac veniam, & quicquid olim tibi abstulit, nunc restituenti. quòd si erga illam es implacabilis, mihi fili hanc honoris causa concede gratiam, à qua nihil vulga-

re accepisti, quale quiuis alius filius, sed res maximas ac pretiosissimas, quibus parasti cætera, nimirum tale corpus & talem animam. à me enim hæc mutuatus es, nullo auferenda vel loco vel tempore: nec omnia Volscorum aliorúmve hominum beneficia, etiam si cælum attingant magnitudine, tantum apud te valere sines, vt his cedat naturæ ius: sed meus eris omni tempore. mihíque primam debebis acceptæ vitæ gratiam, & sine causatione obsequeris meis precibus. Hanc enim legem natura præscripsit omnibus qui sensus & rationis sunt participes: qua freta Marci fili ego te oro ne bellum inferas patriæ, & obsisto tuæ violentiæ. aut igitur me prius resistentem tibi matrem tua manu macta furiis, atque ita bellum infer patriæ: aut matricidiũ exhorrescẽs cede tuæ matri, & vltro dona fili hanc gratiam. Ergo cum hanc legem, quam nullum vnquam tempus aboleuit, pro me habeam, indignã me censeo Marci quæ sola honoribus ab hac mihi concessis per te spolier. huic accedunt mea beneficia, quæ multa & magna cõmemorare possum: quando te pupillum à patre relictum assumens mansi vidua, educationis labores pertuli, nec matris tantum, sed patris, fratris, nutricis, sororis, omnium carissimarum necessitudinũ loco tibi fui. deinde vbi virilem togã sumpsisti cum liceret mihi relictis curis alteri nubere, alиósque liberos gignere, & plura parare senectuti meæ præsidia, nolui, sed mansi in eisdem laribus, contenta præsenti vitæ genere, in te vno collocatis omnibus meis voluptatibus & commodis, quibus me fraudasti partim sponte, partim inuitus, fecistíque omnium matrum miserrimam. quo enim vnquam tempore ex quo adultus factus es, vixi sine metu aut tristitia? quando exhilaraui propter te animum, cum te viderẽ bella bellis, prælia præl-

lia præl

lia præliis nectentem & continuantem alia post alia reportare vulnera? Sed forte voluptati mihi matri esse cœpisti ex quo admotus es ad curam reipub. imò tum maximè infelix fui, videns te iactatum seditionibus. in quibus enim maxime pollere videbaris actionibus, vehementius spirans contra plebeiam factionem aduersam optimatibus, hæ me terrebant plurimum, cogitantem humanæ vitæ vicem exiguo momento mutabilem, quæq; plurimà audieram de aliorum casibus, semper illustribus viris infensam aut deorum indignationem aut inuidiam hominum. atque vtinam me fefellisset animi mei præsagium. oppressus es inuidia ciuium, & abreptus à patria. quæ autem post hac vita mea secuta est, si licet vitam dicere, ex quo me desolatā cum hisce pueris relinquens abiisti, in his sordibus exacta est, in his pannis lugubribus. pro quibus omnibus hanc à te reposco gratiam, nec hactenus tibi molesta, nec futura in posterum, vt reconcilieris tuis ciuibus iam tandem, & desinas implacabiliter irasci patriæ, quod vtrique nostrum bonum fuerit atque commodum. nam & tu persuasus nihil facinorosum admittes, purámque & immunē à diris seruabis conscientiam: & mihi à toto populo honor habebitur, à viris pariter ac mulieribus, felicitérque reliqua vita defuncta gloriam sempiternam, vt credendum est, res hæc pariet: & siquis locus est, qui humanas animas à corpore solutas recipiat, meam non subterraneus caliginosusq; capiet, miserorum domicilium, nec campi quos Lethæos nominant: sed sublimis & purus æther, in quo aiunt diis genitos beatos animos degere: quibus renuntiata tua pietate concessaq; sibi gratia & honore habito, semper aliquam bonam retributionem tibi petat à Superis. quòd si repuleris tuam matrem & inhonoratam di-



miseris: quid tibi propterea mali venturum sit non possum dicere, nec libet ominari tristia. illud sat scio, etiam si tibi cætera omnia succedant prosperè, fingamus enim hoc quoque, certè propter meos casus vexaberis dolore perpetuo, qui te non sinet frui bonis aliis non sustinebit enim Veturia contumeliosam repulsam passa tot testibus vel minimum temporis spatium superuiuere: sed in cõspectu omnium vestrum tum amicorum tum inimicorum meipsam interficiam, vindictam commendans diris vltricibus. quam necessitatem auertant dij Romani custodes imperij, déntque bonam ac piam mentem Marcio, vt sicut in aduentu meo secures deposuit & fasces submisit, sellámque de tribunali in solũ transtulit, cateráque imperatoria insignia vel minuit vel in totũ amouit, significans se in alios imperium habere, ipsum subiectum materno imperio: ita nunc honoratam me faciat & conspicuam donata communi patria, reddátque è miserrima mulierum omnium felicissimã & si fas est ad filij genua matrem procumbere, nec hoc nec aliam quamuis submissionem grauabor pro salute patriæ. Hæc elocuta humi se proiecit, & ambabus manibus amplexa pedes Marcij deosculata est: ac mox secutus est ingens eiulatus mulierũ. Volsci verò qui assidebant, nouitatem eius spectaculi non ferentes auerterunt oculos. ipse Marcius prosiliens è sella, correptam matrem erexit semanimẽ, eámque complexus cum multis lacrymis exclamauit, Vicisti mater, quod nec tibi bene vertet, nec mihi. Patriam seruasti, me verò pium & indulgentem perdidisti filiũ. Hæc effatus iuit in tentorium, iussis sequi vxore, matre, atque liberis, eámque diem absumpsit deliberando cum eis quid opus facto sit. tandẽ in hæc consensum est. De reditu eius nec ad populũ referre senatum,

nec

nec ipsum quicquam statuere, priusquam cum Volscis pax componatur receptis in amicitiam. Ipsum vero copias sine noxa non secus quam per pacatas terras abducere: redditáque ratione rerum in imperio gestarum ad vtilitatem eorum à quibus id commissum accepisset, petere vt si fieri posit, se pacificatore amicitia inter vtrosque coëat aequis conditionibus. quod si successibus elati pacem recusent, abdicare se imperio. aut enim idoneorum inopia neminem suffecturos: aut si temere cuipiam exercitum commiserint, suo magno malo cognituros quid debuissent eligere. Haec sunt quae tum videbantur iusta & pia, nec vllam infamiam, cuius maximè is vir rationem habuit, allatura. Sed terrebat eos quaedam suspicio, ne fortè inconditum vulgus frustratum spe delendi aemulorum potentiam, factum id ferat iniquius, & tanquam proditorem indicta causa perimat. visum est tamẽ virtute ac fide incolumi quodnis subire periculum. iámque vergente sole post mutuos amplexus egressi sunt è tentorio: ac mox mulieres in vrbem reuersae sunt. At Marcius pro concione causa reddita cur à bello desisteret, rogatísque militibus darent veniam, & domum reuersi beneficiorum memores adessent sibi contra vim aliorum, multa in eam sententiam locutus iussit parare se in profectionem excessuros castris nocte proxima. Romani verò leuati metu periculi: nam rumor reditum mulierum praeuerterat: laeti procurrebant obuiam salutationibus, iubilis, aliísque hilaritatis signis, vt solent praeter spem erepti, prae se ferentes gaudium modò singuli, modò conuenientes in circulos: totámque noctem exegerunt in conuiuijs & voluptatibus. Sequenti verò die coactus à consulibus senatus de honoribus Marcio decernendis agere in aliud tempus magis opportunum distulit. ma-

tronis verò ob promptè nauatam reipub. operam decreuit laudationem in æs incisam referendam in ærarium ad perpetuam posteritatis memoriam: præterea præmium quod ipsis foret gratissimum: quod senatusconsultum plebiscito confirmatum est. Illæ de communi consilio nihil inuidiosum petierunt, nec aliud quàm vt sibi senatus permissu liceat templum Fortunæ muliebri ædificare, quo loco incolumitatem vrbis impetrauerant, eóque quotannis conuenire ad sacrificium, redeunte die quo pax data est. Senatus tamen populúsque Romanus decreuit locum emi pecunia publica vbi fanum dedicaretur deæ, in eóque templum & ara ex præscripto pontificum: sumptúque publico sacrum anniuersarium ibi fieri, cui præsit matrona quam ipsæ delegerint ad id ministerium. Itaque ex senatusconsulto prima creata est sacerdos Valeria, quæ mulieribus legationis autor fuerat, & Marcij matri persuaserat, vt ei profectioni vellet interesse. qua praeunte primum sacrificium mulieres peregerunt pro populo in ara recens in fano facta, priusquam absolueretur templum aut deæ simulacrum, calendis decembribus anni secuti proximé. nam ea die bellum finitum fuit. anno deinde post primum sacrificium altero ædes quæ publicè locata fuerat dedicata est pridie nonas quintiles à cõsule Proculo Virginio. Non alienum autem fuerit à legibus historia, & cum primis necessarium ad corrigendam persuasionem quorundam, qui deos nec honoribus per homines sibi delatis gaudere, nec sceleribus offendi opinantur, memorare manifestatam numinis eo tempore præsentiam, idque semel atque iterum, sicut habetur in commentarijs pontificum: vt religiosi homines confirmentur in sua pietate, nec eos bonæ mentis pœniteat: inemendabiles verò tanto magis exosi sint dijs & miseri.

seri, si neque maiorum autoritate moueantur, vt credant diuina prouidentia regi res hominum. Fertur cum ex senatusconsulto publicè locatum esset deæ templum atque simulacrum, seorsum ex collatitia matronarum pecunia locatam aliam effigiem: cúmque vtraque consecraretur eo ipso die dedicationis eam quæ mulierum sumptu parata fuerat, latinè locutam in mulierum præsentia, voce clara & diserta, RITE ME MATRONAE DEDICASTIS. *Cúmque vt ferè fit in nouis & inopinatis vel vocibus vel visionibus, multæ dubitarent ne fortè non simulacrum esset quod humanam vocem ediderat, præsertimque quæ tum aliud agentes non satis attentè viderant loquentem effigiem, nec satis crederent ijs quæ se etiam vidisse aiebant, paulò post iam referto templo, cum forte fortuna maximum esset silentium, maiore voce iterum totidem verba simulacrum edidit, vt nulla relinqueretur ambiguitas. His cognitis senatus decreuit annua sacra cæterúmque cultum ex pontificum sententia. Cæterùm mulieres monitu primæ sacerdotis morem instituerunt simulacrum hoc nec à bis nuptis coronari nec à viduis, sed solis recens nuptis tribui hoc honoris & ministerij. Verùm de his rebus nec silentio prætermittenda erant quæ produntur ab eius gentis domesticis scriptoribus, nec diutius immorandum est talibus digreßionibus. quapropter reuertar ad narrationis seriem. Post discessum mulierum Marcius sub diluculum motis castris velut amicus iter faciebat: & postquam Volscorum fines attigit, totam prædam quæ ipsi contigerat largitus militibus, nihilo sibi retento domum redijt. Legiones Volscæ diuitijs graues reuersæ gaudebant à bello interquiescere, fauentésque suo duci facilè ignoscebant supremam manũ bello non impositam ma-*

ternarum precum reuerentia. at iuuentus quæ domi relicta manserat, inuidens tam luculentis lucris militum, & frustrata spe quam de perdomandis Romanis expugnandáque vrbe conceperat, vehementer contra eum exasperabatur: ac postremo assumptis in odiũ societatem aliquot gentis proceribus in tantum efferata est vt ad impium facinus progressa sit. sed maximè Tullus Attius iras popularium concitauerat, quòd multos haberet in vnoquoque oppido factionis suæ homines. Is iamdudum inuidia percitus decreuerat Marcium, si subiugata Roma victor reuerteretur, per insidias clam tollere: sin re infecta rediret, vt proditorem interficiendum suæ factioni obijcere: quod & factum est. coacta enim nõ mediocri manu accusauit hominem, coniecturis de futuro sumptis ex rebus præteritis: iubebátque vt abdicato imperio rationem administrati redderet. præerat autem ijs copijs quas oppidorum præsidio relictas diximus, & poterat pro imperio vel concionem conuocare, vel diem cuilibet dicere. Marcius verò neutrum detrectabat, tantum de ordine contendebat, volens prius rationem rerum bello gestarum reddere, ac tum demum si ita Volscis omnibus videatur imperium deponere. nec de se iudicium committi volebat vni cuipiam populo, quòd nullius non maiorem partem corrupisset Attius, sed vniuersæ gentis legitimis comitijs, in quæ mos erat quoties de magnis rebus consultandum esset, consiliarios conuenire è singulis populis. id non ferebat alter, vt qui sciret virum disertum, si in dignitate manens rerum egregiè gestarum rationem redderet, facilè persuasurum multitudini: & adeò alienum fore à proditionis crimine, vt clarior etiam & honoratior factus potestatem componendæ pacis consensu omnium acciperet: diúque durauit in comitijs ea contentio.

tentio, exactis per altercationes diebus aliquot, vim enim neuter poterat inferre alteri, quòd pares essent dignitate imperatoria. Cúmque nullus contentionum finis fieret, Tullus die dicta Marcio, ad quã imperio deposito causam de proditione diceret, subornatísque ad facinus audacissimis quibusdam quos pollicitationibus corruperat venit ad indicta comitia: progressusque ad tribunal, postquam multum diúque accusauit Marcium, prouocabat multitudinem, vt nisi ille sponte deponeret imperium, totis viribus eum compesceret. qui cum editiorem locum conscendisset vt pro se diceret, primùm à factione Tulli loqui vetante reclamatum est, deinde ferocissimus quisque feri conclamant, circumuentúmque lapidibus coniectis necant fœdum in modum. Eum in foro iacentem, & qui casum illius viderunt, & qui iam mortuo superuenerũt miserati sunt, vt qui malam recepisset gratiam, memorantes quàm bene meritus esset de republica: homicidásque illos comprehensos cupiebant, qui tam impium perniciosúmque exemplum ediderint, & per vim hominem inindicatum, eúmque ducem occiderint. Sed insignis fuit eorum indignatio, qui auspicijs eius militauerant: & quoniam non potuerunt viuo succurrere, statuerunt defuncto debitam referre gratiam, collatis in forum rebus ad honorandum bonum virum necessarijs, iámque paratis omnibus ornatum imperatorio cultu imposuerunt in lecticam instratam splendidè: tum prælatis manubijs & spolijs, coronísque & captarum vrbium imaginibus, suis humeris extulérunt eum spectatissimæ fortitudinis iuuenes, mœsto ac lacrymante populo funus deducente ad rogum constructum in præcipuo suburbio. Ibi cæsis inferijs parentatum est ei non aliter quàm fieri solet in summorum regum aut imperatorũ exequijs:

ardentíque aſtiterunt vltimum vale dicentes amici donec flamma langueſcens ſubſideret: móxque oſſa collecta humauerunt eodem loco, & inſuper tumulum altum certatim congeſſerunt, monumentum inſigne futurum apud poſteros. Hunc exitum habuit Marcius, ætate ſua vir bello maximus, & omnibus iuuenilibus voluptatibus ſuperior, iuſtitiæ cultor non legum pœnarumve metu coactus, ſed vltroneus & ad hanc natus, vt qui vix inter virtutes numeraret innocentiam, nec ſolum ipſe alienus ab omni vitio, ſed ab aliis etiam virtutem exigens, magnanimus ac munificus, & ad ſublenandam amicorum quam noſſet inopiam promptiſſimus, bellicáque laude nulli ſecundus ex optimatibus. & niſi impeditus fuiſſet ſeditionibus, maximum incrementum eius auſpiciis accepiſſet Romanum imperium. Sed non poterat omnes virtutes natura humana capere, nec vnquam è mortali ſemine naſcetur vir abſolutè bonus. huic certè tantis diuinitus ornato virtutibus inhæſerunt etiam quædam vitia. non inerat enim eius moribus manſuetudo & hilaritas, nec in appellando ſalutandóque comitas, nec in offenſis ingenium placabile, nec illa quæ omnes actiones humanas ornat gratia, ſed ſemper moroſus & triſtis erat. hæ ei ſæpe in bellis obfuerunt, præcipuè rigida immodicáque iuris obſeruantia, & nulla æquitate temperata ſeueritas. Videturque verum eſſe illud ab antiquis dictum philoſophis, mediocritates non extremitates eſſe morum virtutes, præſertim iuſtitiam. Nam ſiue infra modum ſit, ſeu excedat nimium, parum prodeſt: interdum etiam quoſdam in calamitates & mortes miſerabiles irreparabiliáque damna conicit. Marcio ſanè nihil aliud exilium attulit, cæterarúmque virtutum fructum abſtulit, quam ſumma & exa-

ctiſſima

ctißima iustitia. Cum enim debuisset plebi nonnihil cedere, obsecundaréque eius cupiditatibus, atque ita primus inter ciues haberi, noluit: sed contradicens ad iniusta omnia conciliato sibi odio expulsus est. Volsco etiam bello finito cum liceret ei deponere imperium & migrare aliò donec rediret in patriam, neque se inimicorum insidijs & inconditæ multitudini obijcere, malens suo periculo rationem rerum gestarum reddere ijs à quibus id imperium acceperat, & si conuinceretur maleficij pœnas dare legibus, summæ iustitiæ non pulchram mercedem recepit. si igitur corrupto corpore simul etiam animæ substantia quæcunque tandem ea est interit, haud video quomodo beatos credere debeam, qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam pereunt propter eam. quod si immortales sunt nostræ animæ vt quidam existimant, aut post relictum corpus aliquanto durant tempore, bonorum virorum longißimo, malorum contrà perbreui, non contemnendum præmium virtutis studiosos sequitur, etiamsi fortuna vsi sint parum propitia, videlicet bene audire à viuentibus, & frui diuturna sui memoria: quod & illi viro contigit. non solum enim Volsci mortem eius luxerunt, & colunt vt virum olim optimum: verum etiã Romani vbi eum casum cognouerunt, accipientes pro suo magno infortunio, priuatim ac publicè luxerunt hominem: & eorum matronæ, sicut in domestico luctu, posito auro & purpura ornatúque cætero, atro amictu sunt vsæ per annum integrũ. quin etiam memoria eius post quingentesimum ab obitu annum nondum euanuit, sed nostro quoque tempore ab omnibus celebratur vt vir iustus & pius. Ita Romani euaserunt hoc periculum, quale nunquam ad eam ætatem adierant, quo minimum abfuit quin à Volscis & Aequis Marcio duce vrbs funditus euersa sit.

sa sit. Post paucos inde dies ambo Romani consules educto magno exercitu progressi usque ditionis suæ terminos, castra metati sunt seorsim in duobus tumulis munitissimis. nihil tamen gesserunt memorabile, sed re infecta reuersi sunt, tametsi hostes egregiam occasionem rei bene gerendæ præbuerant. prius enim Volsci & Aequi cum exercitu Romanum agrum inuaserant, quod placeret non dare hosti ad recolligendas vires spatium: sed vti perterritorum metu, sperarentque vltro deditionem facturos. Ibi ex certamine Volsci Aequine imperatorem darent orta seditio, arreptisque armis secutum est atrox prælium: in quo nec ordinibus seruatis, nec signis obseruatis, cateruatim & promiscue pugnauerunt, ingensque strages est edita multis vtrinque cadentibus. & nisi nox interuenisset, certatum fuisset usque ad vtriusque exercitus perniciem. Sic inuiti dirempti sunt, & in sua castra reuersi. Sequenti verò luce ambo exercitus retro abierunt unde venerant. Cæterum consules audito ex transfugis & captiuis qui ex ipso euaserant prælio, quanta rabies & deorum ira hostes inuasisset, nec vsi sunt occasione optatissima, triginta non amplius semoti stadijs, nec discedentes persecuti sunt, cum potuerint defessos saucios, paucos è multis superstites, incompositum agmen, ipsi recentes & instructi facilè internecione delere: sed motis castris & ipsi reduxerunt in vrbem exercitum, siue contenti fortunæ beneficio, siue non satis fidentes tironum exercitui, siue quòd ne paucos quidem vellent amittere. Reuertentes ignominiosè accepti sunt, timiditatis notati: nec amplius vrbem egressi tradiderunt magistratum successoribus. Sequenti anno consules fuerunt viri bellicosi, C. Aquilius, T. Sicinius. his ad senatum de bello referentibus, pri-

mum

mum placuit legatos mitti ad Hernicos, qui velut ab amicis res repeterent. nam bello Volsco iniurias ab eis acceperant, excursionibus & latrociniis finitimos agros infestantibus. interim dum responsum expectatur, consules quàm maximum exercitum conscribere, & à sociis auxilia per legatos accersere, frumentum, arma, pecunias, aliáque bello necessaria certatim comparare ac celeriter. ut verò legati renuntiarunt responsum Hernicorum: eos negare fœdus sibi unquam intercessisse cum Romano populo, quod autem cum rege ictum sit Tarquinio, iam finitum existimare morte ipsius & exilio. quod si quæ rapinæ latrociniáve facta sint, non totius gentis, sed priuatorum hominum dicere facinora lucris propriis inseruientium, quos ipsos se non posse ad supplicium dedere, & habere se quoque de quo vicissim queran tur, nec bellum detrectare: senatus his cognitis decreuit trifariam diuidi conscriptas ex iunioribus copias. Vnam partem C. Aquilium in Hernicos ducere, alteram in Volscos collegam eius T. Sicinium. cum tertia Sp. Largium, qui præfectus à consulibus creatus fuerat, custodire agros vrbi proximos. eos verò qui non dedissent nomina, quotquot essent ferendis armis idonei, sub signis habitos custodire arces vrbis & mœnia, nequa repentina vis hostium ingruat per vniuersæ iuuentutis absentiam. his praeesse virum consularem A. Sempronium Atratinum. quæ omnia mox facta sunt. Aquilius Hernicis in agro Prænestino inuentis propè castra illorum & ipse sua metatus est, paulo longius ab Vrbe quam ducentesimo stadio. Tertia verò die postquàm castra contulerant, progressis in aciem Hernicis & pugnæ copia facta, Romani quoque producti sunt: móxque sublato clamore concurrerunt,

eminus primū miſsilibus conſauciantes ſe inuicem. dein equitum turmæ conflixerunt & legiones pedi tum: diúque pugnatum eſt acriter neutris loco cedentibus. tandem acies Romana cœpit laborare, vt quæ diu vacauerat à prælijs. quo viſo Aquilius iuſſit recentes in hoc ſeruatos in locum feſſorum ſuccedere. ſaucios verò ac defatigatos transferri in vltimam aciem. At Hernici vbi ſenſerunt moueri hoſtium ordines, rati hoc eſſe fugæ initium, cohortati ſe inuicem impreſsionem fecerunt in fluctuantem aduerſam aciem: quos recentes Romani exceperunt fortiter, rursúsque redintegratum eſt prælium, Hernicis quoque ducibus in locum laborantium recentes ſubmittentibus. iámque veſper inſtabat, cùm conſul cohortatus equites vt fortem ſibi nauarent operam, ipſe cum primis irrupit in dextrum cornu hoſtium: quo poſt paruam moram impulſo magna cædes eſt edita. ita turbatis in hoc cornu Hernicorum ordinibus, læuum reſiſtebat atque etiam vrgebat Romanos in dextro aduerſo pugnantes, breui tamen retulerunt pedem hi quoque. Nam Aquilius fortiſsimorum iuuenum globo ſtipatus ſuccurrit & ibi, accendens & nomine inclamans ſpectatæ virtutis viros: & ſicubi ſegnius repugnantes animaduerteret, ſigniferis erepta ſigna conijciebat in hoſtes medios: vt metu militaris pœnæ, quam daturi erant niſi ea recepiſſent, cogerentur fortiter rem gerere. ſempérque ipſe vt quæque pars laborabat aderat, donec ex aduerſo pugnantes impelleret. ita profligato vtroque cornu, ne media quidem acies locum ſuum tenuit: ſed turbatis ordinibus effuſa fuga caſtra petebant Hernici, Romanis eorum terga cædentibus: tantúmq; audaciæ in eo certamine ſuperfuit, vt eorum nonnulli tentarent vallum hoſtium, conantes id expugnare primo impetu. quorū alacri-

tatem

tatem nec tutam nec utilem cernens consul iussit receptui canere, atque ita inuitos ab oppugnatione reuocauit, veritus ne è superiore loco telis petiti reiicerentur cum damno ac ignominia, & iam partā obscurarent gloriam. Sole demum occidente Romani læti & vitulantes castra sua repetunt. Sequenti nocte strepitus magnus & clamor exaudiebatur è castris Hernicis, & ignes multi collucebant in eis. desperantes enim se posse ad iterandum prælium sufficere, deserere castra decreuerunt iniussu ducum: atque hæc erat clamoris & concursationis causa. nam pro se quisque properabat vocantes se inuicem, neglectis gemitibus & precibus eorum qui derelinquebantur ægroti aut saucij. Id ignorantes Romani, qui ex captiuis acceperant alias copias Hernicis venturas auxilio, clamorem illum & tumultum rati ortum propter aduentum illorum, correptis armis corona cinxerunt castra, ne qua nocturna vis eis inferretur, interim modò collisis scutis edentes strepitum, modò clamorem tollentes qualis fit aciebus cōcurrentibus. Hernicis autem hoc quoque timorem augebat, nec aliter quàm si hostes se insequerentur, dispersi fugiebant, alius per aliam viā. ubi verò illuxit & exploratum missi equites renunciarunt, nec auxilia noua venisse hostibus, & eos qui pridie pugnauerant fugisse: Aquilius educto exercitu castra deserta cepit, referta iumentis, armis, commeatibus, & vulnerati ibi deprehensi non pauciores his qui fugerant: immissoq́ equitatu in palantes per vias & auia nemora, multi viui capti sunt: quo factum est vt impunè agros Hernicorum peruagatus prædas abegerit, nemine audente congredi. Dum hæc gerit Aquilius, collega eius T. Sicinius in Volscos missus cum robore copiarum in Veliternum agrum irrupit. nam ibi erat Tullus

R   *Attius*

Actius Volscorum dux cum florentissimo exercitu, volens Romanorum socios debellare primum, sicut Marcius initio belli fecerat, ratus in eodem metu Romanos etiamnum esse, nec missuros auxilium in fide sua manentibus. ut verò se mutuum conspexerunt exercitus, sine mora congressi sunt. fuit autem locus medius, in quo pugnandum erat, tumulus saxosus & salebrosus, ubi equitatus neutris esset usui. id animaduertentes Romanorum equites, & turpe sibi ducentes si spectatores tantum essent certaminis, adierunt consulem, rogantes ut si ipsi videretur, permitteret eos omissis equis pedestrem pugnam inire. Ille valde laudatos iussosq; descendere circa se habuit, ut cum eis posset laborantibus succurrere: fueruntq; hi tũ præcipua causa Romanorum victoriæ. nam peditum copiæ pares erant vel armatura vel numero, simulq; ordinũ ratione ac pugnandi peritia, & inferendo pedem referendoq;, vitandis infligendisq; ictibus exercitati pariter. omnẽ enim militarem artem Marcio duce in Romanum morem mutauerant. Itaque ad multum diei marte æquo certatum est: & loci natura inæqualis nũc hos nunc illos iuuabat. at equites Romani diuisi bifariam, pars ex transuerso hostes inuaserũt à dextro cornu, pars superato tumuli ambitu in eorum terga fecit impetum. ac mox alij lanceas eiaculati sunt, alij equestribus gladiis longioribus ferientes brachia & cubitos, multorum manus defensantes corpora vel protegentes abscidebant vnà cum ipsis armis defensoriis ac protectoriis: multorum genua talosq; consauciantes profundis vulneribus prosternebant semineces, iámque vndique vrgebãtur Volsci, à frõte à peditibus, à latere ac tergo ab equitibus: quamobrẽ supra vires repugnantes strenuè post edita multa militaris audaciæ facinora in dextro cor-

nu

nu penè ad vnum concisi sunt. media verò acies & alterum cornu postquam dextri cladem viderunt, & Romanos equites pari modo in se tendere, explicatis ordinibus sensim castra repetebant, equitibus instructis insequentibus. quò simulatque ventũ est, noua pugna oritur, equitibus vallum aliquot locis conscendentibus, hostibus acriter repugnantibus. Cúmque Romani iam laborarent, consul fossis per pedites suo iussu expletis coniectu fascium, primus transgrediebatur cum lectissimis equitũ iuxta portam firmissimam, & reiectis propugnatoribus, excisisq́ portæ cataractis, intra vallum irrupit, sequentes se pedites recipiens. Occurrit Tullus Actius cũ valentissimis Volscorum & audacissimis, edẽs multa præclara facinora. erat enim pugnator robustus & manu promptus, sed imperio parum idoneus. ibi labore fessus oppletúsque vulneribus cecidit. Cæteri Volsci aut in propugnatione castrorũ concisi sunt, aut abiectis armis vitam impetrauerunt supplices: pauci admodum fuga seruati domum redierũt incolumes. His Romæ cognitis per nuntios missos à consulibus ingens gaudium fuit: diis supplicationes, consulibus honores decreti, non pares ambobus. Sed Sicinio qui à maiore terrore vrbem liberasse videbatur deleto Volscorum iniurioso exercitu ducéque cæso, triumphus concessus est: & inuectus est in vrbem prælatis spoliis, captiuis currum præcedentibus, militibus victoriæ sociis prosequentibus, equis tractus insignibus aureis faleris, cultu vt mos est regio. Aquilio cõtigit ouatio, de qua dictum est quid à triumpho differat. ingressus est vrbem pedibus nõ sine sua pompa: atque ita hic annus finiit. Sequentes consules Proculus Virginius. Sp. Cassius tertium, cum legionibus & sociorum auxiliis in bellum profecti sunt. Virginio Aequi, Cassio Herni-

nici & Volſci, prouincia obuenit. Aequi munitis oppidis, & in ea comportatis rebus carioribus, agros vaſtari, villas incendi paßi ſunt, ita vt Virginius minimo negotio maiorem eius regionis partem peruagatus vaſtitate vinetorum arbuſtorúmque edita, nemine defendente, integras copias reduxerit. Volſci & Hernici contra quos duxit Caßius, primum ſtatuerant iacturam populationum contemnere, incluſi mœnibus: nec tamen permanſerunt in ea ſententia, non ferentes exciſis plantis fœdari fundos fertiliſsimos, quos non facilè poſſent reparare, ac ne munitionibus quidem ſatis fidẽtes in quas confugerant: ſed per legatos pacem petierunt à conſule, primum Volſci: quo facilius impetrauerunt, pecunia conſuli perſoluta quanta imperata eſt, prabitíſque commeatibus exercitui, recepti in fidem ac ditionem populi Romani, nec de æquo iure contendentes amplius, deinde Hernici deſtitutos ſe à ſociis videntes, & ipſi de pace atque amicitia egerunt cum conſule. Cæterùm Caßius multis verbis prius accuſata gente apud legatos, reſpondit, prius illis facienda quæ victos & ſubiugatos decet facere, atque ita demum petendam amicitiam. Cúmque legati pollicerentur quicquid æquum eſſe ac poßibile, imperauit eis pecuniam in ſtipendium aliquot menſium, & frumentum quantum in vnum menſem militibus ſat eſſet: ad quæ paranda dierum aliquot induciæ conceſſæ ſunt: omnibúſque magna alacritate repræſentatis celerrimè, rurſum amicitiam petebant. Caßius collaudatos prius ad ſenatum remiſit. Patribus poſt longam conſultationem placuit in amicitiam eos recipi. Cæterùm leges fœderis Caßium conſulem conſtituere ſuo arbitrio, & rata eſſe ipſius placita. Hæc vbi ſenatus decreuit, Caßius in vrbem reuerſus petiit triumphũ ſecundum,

ſubiuga

ſubiugatis gentibus maximis, gratia magis vſurpans eum honorem quàm iure poſtulans, quippe qui nec vrbes vllas expugnauerat, nec hoſtem acie fuderat, nec triumphi ornamentum captiuos vllos habebat aut ſpolia quæ in pompa traduceret: vnde opinionem arrogantiæ, quòd ſuprà ciuilem modum ſe extolleret, inuidiámque populi lucratus eſt. triũpho impetrato pacis Hernicis datæ conditiones protulit, tranſcriptas ex Latinorum fœdere: quas ægrè tulit honoratiſsimus quiſque ſenatorum & natu maximus, ipſumq́; ſuſpectum habebat, quòd indignum cenſerent cognatis ſuis Latinis honore æquari alienigenas, & ſpectatæ fidei homines iis quorum nulla extarent erga populum Romanum merita. nec placebat eius faſtus qui accepto à ſenatu honore, non viciſsim patribus honorem habuerit, vt communicaret cum eis conſilium, ſed vt ipſi viſum eſt ſcriptas conditiones protulerit. Ita nimia felicitas ei periculoſa fuit & inutilis: ſicut pleriſque hac occaſione ſurrepere ſolet inſana ſuperbia & immoderatæ cupidines. trium enim conſulatuũ duorum triumphorum honore ciuibus ætatis ſuæ præminens, elatius ſe gerebat: & principalis poteſtatis appetens, cum animaduertiſſet facillimam omnium atque tutiſsimam viam ad regnum tyrannidémve, multitudinis fauorem redemptum largitionibus, eam ingreſſus eſt: ac mox agrum quendam publicum, qui per incuriam magiſtratuum à diuitibus occupatus fuerat, ſtatuit plebi diuidere: & fortaſsis illi ſucceſsiſſet quod cœptabat, ſi non vlterius prouectus fuiſſet ſuis cupiditatibus, per quas nõ parua ſeditione mota infelicem exitum habuit. Volebat enim & Latinos in partem agrorum aſſumi, & recens ciuitate donatos Hernicos, fauorem harum gentium ſibi concilians. itaque altera poſt trium-

phum die vocata concione pro tribunali, ut mos est triumphalibus, primum rationem rerum à se gestarum reddidit, cuius capita erant hæc: primo suo consulatu Sabinos de principatu contendentes cum Romano populo magno prælio à se victos, coactosq; imperium Romanum agnoscere: secundo sedata seditione reductam plebem in patriam: Latinos cognatos Romanorum, sed eosdem imperij gloriæq; æmulos, in amicitiam & ciuitatem receptos, ut postea Romam patriam existimarent non aduersariam: hoc tertio Volscos ex hostibus amicos factos: Hernicos gentem magnam & validam, quæ ut propinqua vel prodesse posset vel lædere, in deditionem ultro venientes receptos, his atque similibus denarratis autoritatem sibi vindicabat apud populum, quasi præ cæteris habens curam Reipu. habiturúsque in posterum. Postremo sic orationem finiit, ut polliceretur plebi tot tantáque beneficia, quanta nemo ad eam diem præstiterit, quantumuis laudatus ob plebis studium: idque fore propediem. Concione dimissa ne momentum quidem cessans temporis, sequenti die senatū conuocauit in curiam, iam solicitum propter orationem ipsius proximam: & priusquam aliud quicquā ageret, quod pridie apud plebem celauerat in mediū protulit: quandoquidem plebs perutilis fuerit Reipubl. tā in asserenda libertate quàm in parando imperio, prouidendum ei diuiso agro, qui bello partus nomine vocetur publicus, reuera occupetur ab impudentissimo quoque patritio. & frumenti à Gelone Siciliæ tyranno donati, quod cum debuisset omnibus ciuibus diuidi, venditum fuerat pauperibus, pretium emptoribus reddendum ex ærario. Adhuc eo loquēte fremitus erat in senatu molestè verba eius ferentium. vbi verò desiit, & collega Virginius valde accusauit eum

ut seditionem introducentem in Romanum populum, & cæterorum senatorum honoratissimus quisque ac natu maximus, præcipuè Appius Claudius, ita ut inter exacerbatos per multas horas duraret altercatio non sine conuitiis amarulentissimis. Diebus qui sequuti sunt Cassius continuatis concionibus fauorem plebis sibi conciliabat, de diuidendis agris disserens, & in aduersarios vehementer inuehens. Virginius verò quotidie senatum cogens de cõmuni patrum sententia parabat contra eum præsidia legitimáque obstacula. Vtrunque comitabatur globus assectarum ad tutelam corporis, inopes, sordidi, & ad quiduis audendum prompti, Cassium: nobiliores & sinceriores Virginium. Itaq; aliquandiu deterior pars in concionibus multum superabat alteram: tandem æquatæ sunt. nam tribuni vel quòd non videretur è repu. largitionibus corrumpi multitudinem exemplo pessimo, vel quòd inuidia tangerentur, quia non ipsi essent autores eius beneficij, quorum erat plebẽ curare, sed alius: vel quòd nollent eum virum cum periculo ciuitatis crescere, meliori parti adiuncti aduersabantur legibus quas ferebat Cassius, docentes iniquum esse parta magnis populi Romani laboribus, non solis ciuibus Romanis assignari, sed Latinos quoque ex æquo participes eorum fieri, qui periculis non interfuerint, atq; etiam Hernicos recens acceptos in amicitiam, quibus gratum esse deberet quod bello subacti proprios agros non amitterent. At plebs nunc tribunis assentiebat, quòd singulas portiones non magni momenti putaret, si partem publici agri caperet cum Latinis & Hernicis: nunc Cassij popularibus sermonibus persuasa mutabat sententiam, quasi per tribunos patritiis prodita, qui causam intercedendi honestam prætexerent Latinos & Hernicos. aiebat

enim se lege cauturum vt agri solis aßignẽtur pauperibus: satiúsque esse ac tutius modicum accipere, quàm multa sperando in totũ frustrari. In hanc sententiam concionante Caßio cum sæpe flecteretur vulgus, prodiit in medium vnus tribunorum C. Rabuleius vir minimè stolidus, pollicens se breui compositurum consulum dißidium, & populo commonstraturum quid opus facto sit. cúmque acclamatum esset ei, móxque silẽtium præbitum, Nónne, inquit, Caßi túque Virgini, hæc legis sunt capita: vnum, oporteátne agrum publicum viritim diuidi: alterum, oporteátne & Latinos & Hernicos partem eius accipere? Ita est inquiunt. Ille porrò, Tu inquit, Caßi de vtroque refers ad populum. quid tu Virgini, dic per deos, vtrum alterum tantum abrogas quod ad socios attinet, nec æquás hic nobis Latinos & Hernicos? An illud alterum quoque, & ne nobis quidem diuidendum censes quod est publicum? ad hoc mihi responde nihil dißimulãs. Cumq́; Virginius dixisset de Latinis Hernicisq́; in partem æquam admittendis se contradicere, cæterùm ciuibus Romanis passurum se aßignari agros, si idem omnibus videatur, tribunus versus ad multitudinem inquit: ergo quoniam alterum sententiæ caput placet ambobus COSS. alteri contradicitur à collegarum altero, & neuter alterum potest cogere, quod ambo offerunt, iam nunc accipiamus, id verò de quo ambigitur, differatur in tempus aliud. Acclamante populo vt rectißimè monenti, & postulante tolli ex lege partem illam quæ gigneret dißidiũ, Caßius inops consilij, vt qui nec absistere à ferenda lege vellet, nec posset pergere tribunis aduersantibus, tunc dimisit concionem. Sequentibus verò diebus infirmitatem simulans, non amplius veniebat in forum, sed domi manens hæc agebat vt per vim

legem

legem perferret: & accersebat ad suffragia ex Latinis & Hernicis quotquot poterat. Illi frequentes conueniebant, breuique repleta est vrbs hospitibus. Hoc cognito Virginius voce praeconis edixit per compita, vt omnes quibus in vrbe non esset domicilium excederent, praefinito ad id non magno temporis spatio. Cassius verò iussit contrarium proclamari, vt quotquot haberent ciuitatis ius, manerent donec perferatur lex. cúmque contentionis nullus finis fieret, veriti patres ne ad arma res veniret, aliáque quae solent in seditiosis comitiis accidere, dum lex ferretur conuenerunt in curiam semel decreturi de toto negotio. Ibi Appius primus Rogatus sententiam negabat plebi agrum diuidendum, docens molestum & inutilem cohabitatorem fore vulgum, si otio assuescat & abliguriendo publico, nihilque relicturum ex publicis vel praediis vel pecuniis: aiebátque rem pudendam, cum Cassium incusent vt autorem instituti pessimi, & plebis corruptorem, postea ipsos confirmare id velut iustum & vtile: cogitandum etiam si diuidantur publica, pauperes habituros gratiam non ipsis qui hoc decreuerunt, sed autori eius sententiae Cassio, qui senatum inuitum ad decernẽdum coëgisse visus sit. haec praefatus & alia in eundem sensum, postremo consuluit è senatu honoratissimum quemque eligi qui visant agrum publicum determinéntque, & siquid ex eo furtim aut per vim priuati homines depascant aut colant, dignoscant ac reddant publico. determinatum porrò ab illis agrum diuidi in fundos quotcunque, & terminis decẽtibus distinctum, vendi suadebat, maximè quem priuati controuersum facerent, ita vt emptoribus contra vindicatores eorum sit actio: reliquum in quinquennium locari. quicquid autem pecuniae confectum fuerit ex

iis locationibus, impendi in stipendia militum, & in sumptus bello necessarios. nunc enim inquit, pauperes meritò inuident diuitibus, qui sibi vsurpauerunt quod est publicum: nec mirum est si eos diui dii malunt quàm occupari à paucis hominibus impudentissimis. quòd si viderint decedere inde istos qui nunc ex eis fructus percipiunt, & quæ publica sunt verè publica fieri, inuidere nobis desinent, & refrigescet ille amor legis agrariæ, vbi intellexerint maiorem esse vtilitatem possessionis publicæ, quàm agellorum diuisorum viritim. Doceamus, inquit, eos quantum intersit: & quòd si vnusquisque pauperum paruum agri modum acceperit, & fortassè incommodum vicinum habuerit, nec ipse valebit eum præ paupertate colere, nec alij locare nisi vicino. sin autem latifundia varias & non contemnendas culturas habentia locētur publicè, magnos inde prouenturos reditus: & satius esse ipsis quoties eundum erit in militiam ex publico frumentum atque stipendium accipere, quàm è suis promptuariis penuria nonnunquam laborantibus: fore etiam vt minus grauentur cōtribuenda pecunia. Hæc sententia cum satis placere videretur, secundo loco rogatus A. Sempronius Atratinus dixit. Antè omnia laudandus est mihi Appius, vt prudentissimus in venturis prospiciendis, sententiarúmque autor honestissimarum vtilissimarúmque, & in rectè iudicatis constantissimus, nec metu nec gratia dimoueri à proposito facilis. nunquam enim eius prudentiam ac magnanimitatem laudare mirarique desino: nunc quoque sententiam non aliam quàm ille dicturus sum paucis modo additis quæ mihi omisisse videtur. Nam Hernicis & Latinis recens ad ius ciuitatis admissis ne ipse quidem agros nostros diuidendos censeo. non enim ex quo illi in amicitiam

recepti

recepti sunt eos agros parauimus, sed antea nostro Marte, nullis externis auxiliis, hostibus nostris ademimus. Respondendum igitur est eis, quas possessiones ante coniunctam amicitiam vel illi vel nos habuimus, eas proprias ac perpetuas debere manere suis dominis: quicquid autem agrorum post fœdus communi militia parauerimus, ex eo cuique populo suam portionem obuenturam. Sic enim neque sociis velut affectis iniuria causa irascendi præbebitur: nec populo Romano timendum erit ne videatur magis vtilitatis quàm honestatis rationē habuisse. Cæterùm electionem virorum, quos Appius definitores publici agri esse voluit, valde approbo. nam hoc pacto liberius cum plebe agere poterimus, quæ nunc vtroque nomine indignatur: & quòd ipsi nihil fructus referunt ex publico, & quòd ex nobis aliquot nullo iure iis agris fruuntur: quos si publicatos viderint, & eorū prouentus in necessitates impendi publicas, non putabunt sua referre vtrū agris fruantur an eorum prouentibus. Omitto nonnullos inopum magis gaudere alienis detrimentis quàm propriis cōmodis. non tamen opinor satis esse vtrúmque hoc in S.C. scribi, sed alio quodam officio promerendam plebis gratiam, de quo dicam paulo pòst, vbi prius causam exposuero vel potius necessitatem, cur id faciendum sit. Scitis proculdubio quid pro concione tribunus dixerit, quando rogabat alterum è consulibus hunc Virginium, quid sentiat de diuendis agris, vtrum ciuibus Romanis permittat diuidi agrum publicum, sociis non item: an ne nobis quidem patiatur eum diuidi. cúmque ille dixisset permittere se vt nobis diuidatur si idem placeat omnibus, hac permissione & tribunos nobis adiunctos, & plebem mitiorem redditam. cur igitur quæ tunc concessimus nunc retractamus? aut ad

aut ad quid conferent ista praeclara nostra statuta dignáque imperio, si usum eorum non persuaserimus? non persuadebimus autem. & hoc nemo vestrum ignorat. minus enim offenduntur qui sua spe frustrantur, quàm qui alienis pollicitis. veniet rursus qui gratas eis leges ferat, nos à tribunis quoque destituemur. quid igitur faciendum censeam audite, quidve addendum Appij sententiae. Sed praebete oro mihi silentium, & quieti estote donec audieritis omnia. Eligendis ad inquisitionem ac definitionem agrorum siue decemviris, siue quotcunque, committite ut discernant quantum agri debeat esse publicum, & quinquennalibus locationibus augere populi reditus: quantum item plebi diuidi. Tum quem illi agrum plebi diuidendum asignauerint, de eo vos cognoscite, omnibúsne, an his qui nullam portionem habent, an his quorum census est minimus, aut quomodocunque diuidi placeat. Creationem autem decemuirorũ, & senatusconsulti quod de diuidendis agris facietis executionem, & reliqua eò pertinentia, quoniam reliquum magistratus consulum tempus breue est, demandanda futuris consulibus censeo, ut agant quod maximè videbitur è republica. Nam neque tanta negotia breui tempore possunt confici, neque hi dissidentes inter se consules prudentius dispicere possunt quid sit utile, quàm futuri quorum speramus concordiã. Plerumque autem utile est differre, carétque periculo: & multa mutantur vel unius diei tempore. praeterea magistratuum consensus omnium bonorũ causa solet esse ciuitatibus. haec est mea sententia. si quis meliorem habet, dicito. Huius verba magnis laudibus excepta sunt, omnésque qui pòst rogati sunt, in eandem concesserunt sententiam. post haec tale S.C. scriptum est. Decemuiri creati è consularibus natu

max

maximi terminato agro publico, pronuntient quantum eius locandum sit, quantum diuidendum populo. cæterùm sociis ius ciuitatis adeptis, siquis posthac ager communi militia partus fuerit, sua cuique populo portio continget ex fœdere. electionem autem decemuirorum, & agrorum distributionem, & quicquid curandum erit, curent futuri COSS. *Id* S.C. *ad populum relatum & Caßij conciones cohibuit, & gliscentem seditionem inopum non siuit vlterius progredi. Insequenti anno initio septuagesimæ quartæ Olympiadis, qua vicit in stadio Astylus Syracusanus, Athenis principe Leostrato, Q. Fabio. Ser. Cornelio* COSS. *duo patritij iuuenes maiorum imaginibus nobilißimi, suisque potentes clientelis ac opibus, & in ordine iuniorum nemini secundi tractandis negotiis publicis, Cæso Fabius frater consulis, & L. Valerius Publicolæ nepos eius qui reges expulit, quæstores & proinde conuocandæ concionis potestatem habentes, superioris anni consuli Sp. Caßio agrariæ legis autori diem dixerunt, qua apud populum tyrannidis affectatæ reus causam suam ageret. ad quam diem ingenti multitudine coacta enarrauerunt pro concione gesta eius quæ manifestè indicarent nihil boni eum habuisse in animo: qui primum Latinis pro magna felicitate ducentibus si contingeret eis Romana ciuitas, non contẽtus hanc in suo consulatu indulsisse, etiam tertiam prædæ partem in communi militia decreuerit: deinde Hernicos quibus bello subactis gratũ esse deberet si non mulctarentur agro proprio, amicos maluerit facere quàm subditos, & ciues potius quàm stipendiarios. agrorum quoque ac prædæ cuiuscunque alterã tertiam deciderit: vt diuisa trifariã præda subditi & aduenæ duas tertias accipiant, ciues Romani & domini*

mini unicam: monstrabántque hinc secuturum è duobus absurdis alterutrum, ut si quos alios ob multa magna merita honorare velint qualibus Latinos muneribus, aut qualibus Hernicos nihil de republica meritos, cum reliqua sit tantum una tertia, aut non habeant quam illis dent, aut si eadem eis decernant, sibiipsis nihil reliquum faciant. Addebant cum publicare vellet bona ciuitatis, nec ex S.C. nec ex collegæ consensu, conatum vi legem perferre. ut non ideo solùm iniquus fuerit inutilisque reipublicæ, quòd cum debuisset consulto senatu, si id patribus placeret, communem supremi ordinis facere hanc gratiam, in se unum eam transmouerit: uerum etiam, quod omnium sit grauißimum, verbis tantummodo ostentasset populo donationem agri publici, re autem vera eum Romanis auferre voluisset quorum partus erat laboribus, quandoquidem unicam portionẽ accepturi essent, Hernici verò & Latini ad quos ager is nihil pertineat, duas. & quòd ne tribunis quidem intercedentibus, & alterũ legis caput quod aduenas participes faciebat abrogantibus paruerit, sed omnibus bene reipub. consulentibus pertinaciter aduersatus sit. citabántque uniuersos ciues testes horum omnium. Post hæc etiam occultas tyrannidis probationes proferebant, collatas ei ab Hernicis & Latinis pecunias, armáq; comparata: quódque affectarentur eum audacißimi populorum illorum iuuenes occultorum consiliorum socij, multarúmque aliarum rerum ministri. Hic quoque testes adducebant multos tum ciuium tum sociorũ nec malos nec ignobiles: quibus credens populus, nec meditatis eius orationibus motus, nec misericordia flexus, tametsi tribus liberis multísque amicis atque cognatis cum eo sordidatis reorũ habitu deprecantibus, ac ne rerum quidem gestarum

& honor

& honorum per eas promeritorum ratione habita, damnauit hominem. adeò infensus erat tyrannidi, vt ne pœnam quidem moderatus cum capite mulctauerit. Verebatur enim ne missus in exilium vir imperatoriis artibus ætate sua præstantissimus idem faceret quod nuper Marcius, & amicis iratus conspiratione facta cum hostibus bellum grauissimum inferret patriæ. itaque peracto iudicio quæstores ductum in foro imminentem rupem, toto populo inspectante dederunt præcipitẽ. hoc enim tum erat vulgare apud Romanos supplicium. Id propius fidem est, quamuis non desint qui prodant aliter. aiunt enim etiamtum latente affectatione tyrannidis, primum Cassij patrem suspicione motum rem accuratissimè perquisitam detulisse ad senatum: quo iudice simul & accusatore conuictum reum, domestica animaduersione verberatum necatúmque. & vt tum erant mores patrum in filios sontes, inclementia facit hanc quoque opinionem credibilem. nam & antea Brutus in ambos filios animaduertit vt maleficos, securi percussos quòd viderentur agere de reducendis regibus: & postea Manlius Gallico bello imperator, filium post egregiam in pugna operam editam coronatum prius virtutis ergò, mox quia contra imperium ad eam pugnam excesserat præsidio, vt desertorem necauit. alij quoque patres, quidam maiore, quidam minore de causa, nec pepercerunt filiis, nec eos miserati sunt. quantum igitur ad hanc seueritatem attinet, ei opinioni fidem vt dixi non abrogo: sed aliis non minimi momenti argumentis traducor in contrariam: quia post eius necem & ædes dirutæ sunt, vbi nunc quoque ante Telluris patet area, in cuius parte postea deam hanc consecrauit populus in via quæ ad Carinas fert: & bona eius confiscata sunt, in-

déque

déque cum alia templorum ornamenta, tum signum Cereri factum ex ære cum hac inscriptione, EX CASSIA FAMILIA. *Quòd si pater eius index simul & accusator punitórque fuisset, nec domus eius esset diruta, nec bona publicata. Apud Romanos enim nihil filij poßident viuis patribus: sed licet eis & pecuniis & corporibus filiorum uti arbitratu suo. vnde satis constat patrem non fuisse mulctatum ob indicium per eum factum tyrannidis filij: & hoc est cur priori opinioni accedam libentius. posui tamen vtramque vt lectori liberam electionem facerē. Cúmque nonnulli monerent tollendos etiam filios Caßij. visum est senatui tam inhumanum exemplum non introducendum in rempublicam, remissáque ex senatusconsulto pœna, licuit adolescentulis tuto in patria viuere absque vlla ignominia: & ex eo tempore vsque ad nostram ætatem mos hic Romæ seruatus est, vt parentū peccata impune sint liberis, siue illi tyrāni, siue parricidæ fuerint, siue proditores, quod apud Romanos crimen est grauißimum. & qui morem hunc antiquare aggreßi sunt nostris temporibus circa finem Marsici belli & ciuilis, arcendo proscriptorū liberos curia paternísque honoribus quàm diu rerum potiti sunt, visi sunt rem dignam hominū inuidia deorúmque indignatione facere. quapropter procedente tempore non euaserunt vltionē iustißimam, ex altißimo fastigio sic deiecti, vt ne genus quidem eorum nisi per fœminas deductū sit reliquum. is vero qui illos è medio sustulit, morem antiquum restituit. Caterùm apud nonnullos Græcos moribus receptum est, vt ex tyrannis nati necentur cum patribus, aut mittantur in perpetuum exilium, quasi natura non ferat bonos filios nasci è malis patribus, aut malos è bonis. vtrorū autem consuetudo sit melior,*

lior.

lier, qui volet dispiciat: mihi reuertendum est ad narrationis seriem. Post Casij mortem optimates cum sua factione ferociores & elatiores quàm plebeij facti sunt: qui propter humilitatem nominis ac vitæ contractiores iam damnabant suũ iudicium, quòd passi sint è medio tolli propugnatorem plebis optimum. Augebant hunc mœrorem consules non exequendo decreta senatus, cum deberent decemuiros agris finiendis creare, & ad senatum referre quantũ agri quibúsve diuidi placeat. iámque cœtus fiebant de fraude sibi facta querentium, & incusabantur tribuni vt proditores reipublicæ. Illi vero continuè concionabantur exposcentes pollicita. Itaque visum est consulibus belli prætextu tumultuantem populi partem ablegare, quòd forte fortuna per id temporis ager Romanus latrociniis finitimorum infestaretur & excursionibus. has iniurias vt vlciscerentur prolatis signis conscribebant vrbanas copias. cumque pauperes non darent nomina, non valentes eos legibus cogere: præsto enim erãt tribuni in fauorem multitudinis, intercessuri siquis conaretur vel corporibus militiam detrectantium afferre vim, vel auferre pignora: interminati non permissuros se turbari plebem à quibusdam, tacitam suspicionem reliquerunt fore vt dictator crearetur, qui cessantibus reliquis magistratibus potestatem habeat nulli obnoxiã & tyrannicæ similem. quæ opinio vbi plebis animos subiit, veriti ne Appiũ crearent, virum durum & difficilem, maluerunt quiduis pati potius. Cæterùm conscriptis legionibus consules eduxerunt eas in militiã. Cornelius Veientem agrum vastauit abactis prædis quas inuenerat: ac mox legatis Veientium captiuos redemptos reddidit, & in annũ dedit inducias. Cum altero exercitu Fabius in Aequorum agrum irrupit, atque in-

de in Volſcorum. At Volſci cum aliquandiu res ſuas diripi, agros vaſtari tuliſſent, tandem contempta Romanorum paucitate occurrerunt conferti ex Antiate agro correptis armis præcipiti magis quàm prudenti conſilio: qui ſi palantes Romanos oppreßiſſent inopinato aduentu, magna accepta fuiſſet ignominia: nunc verò conſul præmonitus ab exploratoribus prædatores reuocauit celeriter & inſtruxit aciem. Volſci verò qui contemptim & audenter veniebant, conſpectis præter expectationem ordinibus hoſtium non mediocriter ſunt perterriti: neglectáque vtilitate publica ſuæ quiſque ſaluti conſuluit. retro enim fugiebant quantum poterant, alius per aliam viam. maior enim pars in vrbem euaſit: non magnus globus ſed inſtructißimus recepit ſe in montis cuiuſdam verticem, ibíque in armis pernoctauit. Inſequentibus diebus cum conſul tumulum cinxiſſet cuſtodiis interclusis omnibus exitibus, fame cõpulſi ſeipſos & arma dediderunt. conſul tota præda ſpoliíſque & captiuis per quæſtores venditis, in vrbem deferri iuſſit pecuniam: nec ita multo pòſt ex hoſtico motis caſtris domum reduxit exercitũ iam in anni exitu. Inſtantibus porrò comitiis, placuit patribus irritatam plebem videntibus & pœnitentem damnationis Caßij cauere nequid nouaret iterum ſpe largitionum & legis agrariæ, ſi incitaretur ab aliquo facundo & popularibus concionibus idoneo ad conſularem maieſtatem euecto: id facilè caueri poſſe videbatur, ſi conſul crearetur vir à plebe alienißimus. Itaque autores petendi conſulatus fuerunt alteri ex accuſatoribus Caßij Cæſoni Fabio fratri Quinti conſulis: cui collegam addiderunt ſuæ factionis L. Aemilium virum patritium. his magiſtratum petentibus plebs ne eo potirentur efficere nequibat, quamuis relictis
comitiis

comitiis è campo discederet nam centuriatorum comitiorum suffragia sunt penes nobilissimos, & primæ classis homines, raróque in eis veniebatur ad classes medias Vltima verò classis, in qua maxima egenæ plebis pars ferebat calculos, vnicum vt iam dictum est habebat suffragium. Anno ab vrbe condita ducentesimo septuagesimo consules facti sunt L. Aemilius Mamerci F. Cæso Fabius Cæsonis F. principe Athenis Nicodemo: quibus res ex voto successit, nulla ciuili seditione turbante rempublicam, externis bellis populum Romanum infestantibus. Ita certè in omnibus locis tam Græcarum quam Barbararum gentium vsu venit, vt cessantibus externis periculis domi ciuitates exagitentur seditionibus: sed maximè id accidit in bellicosis populis, & libertatem atque imperium sibi vindicantibus. exasperantur enim ingenia cupiditatibus dedita si prohibeantur à consuetis exercitiis: & ideo prudẽtes reipub. præsides semper alunt aliqua bellorum seminaria, satius ducentes foris confligari quàm domi. ergo vt iam dixi feliciter consulibus accidit subditorum rebellatio. Nam Volsci siue domestico Romanorum motu freti, quippe plebe exasperata erga proceres: siue ad abolendam superiore anno acceptam ignominiam inducti copiarum suarum multitudine: siue vtraque hac causa moti, decreuerunt bellum cum populo Romano gerere: coactáque oppidatim iuuentute partem copiarum miserunt contra Latinos & Hernicos: cum reliqua maiore & validiore domi expectabant aduentum hostium. His Romam nuntiatis placuit bifariam diuisis copiis alterum exercitum Latinis & Hernicis præsidio mittere, altero populari regionem Volscorum. COSS. *ex more sortientibus, Cæsoni Fabio tutela sociorum obuenit: alterum*

exercitum Lucius duxit ad Antium: iámque propinquus eius vrbis montibus conspectis hostium copiis ex aduerso castra posuit in tumulo. Sequentibus deinde diebus subinde prouocatus ad pugnam, tandem vbi tempestiuum visum est eduxit copias, & priusquam manus consererentur exhortatione vsus iussit signa canere. Milites vt mos est sublato clamore conflixerunt tota acie: consumptísque missilibus gladios stringentes inuaserunt se inuicem pari alacritate atque audacia. erant enim vt iam antè dixi ad eundem modum exerciti, & neque rei militaris peritia Romani, qua plerunque solebant vincere, neque indefessa laborum tolerantia superiores erant. eisdem enim hostes pollebant virtutibus, ex institutione Marcij Romanorū ducum clarissimi. itaque neutri loco semel occupato dimoueri poterant. deinde paulatim Volsci pedem referebant seruatis ordinibus recipientes insinuantes se Romanos, vt hoc stratagemate turbarentur ordines inuehentium se forocius, & sub ictu essent aduersariis. rati enim hoc fuga initium vrgebant retro sensim cedentem hostem integris & ipsi ordinibus. vbi verò cursu viderunt eos castra petere, persequebantur iam incompositè: postremi verò agminis centuriæ spoliabant cadauera velut parta victoria, & discurrebant ad villas diripendas. quod vbi Volsci animaduerterunt, & qui fugam simulauerant iam propinqui vallo in hostē obuersi restiterunt: & qui in castris relicti fuerant, patentibus portis erupērūt locis aliquot, vt mox mutaretur fortuna prælij, qui modò persequebātur fugientibus, qui fugiebant persequentibus. ibi multi fortes Romani ceciderunt impulsi per decliuia, & circumuenti pauci à pluribus. nēc clementius tractati sunt qui ad spolia direptionésque se verterant, non valentes in-

staurare

ſtaurare ordines & in tutum ſe recipere. Nam hi quoque oppreſſi ab hoſtibus aut confoſſi ſunt, aut viui capti. quòd ſiqui vel horũ vel illorum qui per cliuum profligati erãt elapſi ſunt, ſero in caſtra redierunt equitum auxilio qui ne internecione delerentur, imber etiam repentinus adiuuit & caligo denſiſſima nebulæ ſimilis, quæ hoſtes ab vlteriori inſectatione prohibuit proſpectũ adimens. Sequenti nocte conſul inſtructũ exercitum abduxit ſilentio quo hoſtem falleret, & ſub veſperam demũ caſtra poſuit ad oppidum Longulam in terreno quodam tumulo ad arcendã vim idoneo: vbi ſubſiſtens & remediis refouit ſaucios, & mæſtos ob ignominiam inopinatam oratione ſolatus eſt. In hoc rerum Romanarum ſtatu Volſci prima luce vt cognouerunt deſerta caſtra progreſſi occupauerunt ea: ſpoliatiſque hoſtium cadaueribus, & ſublatis ſeminecibus de quorum ſalute ſpes erat, ſuiſque ſepultis, receperunt ſe in propinquum Antium. Ibi victorialem pæana canentes, ſupplicantéſque circa omnia templa, per continuos aliquot dies epulati ſunt. qui ſi hac victoria contenti nihil amplius tentaſſent, honeſtum finem huic bello impoſuiſſent: nam Romani non fuiſſent auſi amplius è caſtris ad bellum progredi: quippe quibus optabile erat ex hoſtico diſcedere, fugam ignominioſam quàm certam mortem malẽtibus. nunc verò plura æquo appetentes amiſerunt etiam prioris victoriæ gloriam. Vt enim cognouerunt ex transfugis & exploratoribus paucos euaſiſſe Romanos & in his pleroſque ſaucios, per contemptum arreptis armis properauerunt ad eos: multi etiam inermes ex vrbe procurrerunt cum eis ad ſpectaculum certaminis, aut etiam ad rapinas & prædam. cúmque aggreſſi tumulum vndique vallum conarentur ſubuertere, primi

omnium in eos impetum fecerunt Romani equites tunc pedibus prouolantes propter loci naturam: deinde triarij conglobatis cohortibus. hi sunt veterani spectatæ virtutis, quibus tempore pugnæ credunt castrorum custodiam: & non nisi necessitate coacti ad horum extremum subsidium refugiunt. eos Volsci excipientes aliquandiu restiterunt acriter: deinde propter iniquitatem loci recedebant: ac postremo non multum læsis hostibus, ipsi afflicti grauius, receperunt se in planiciem. ibi castra metati diebus insequentibus explicantes aciem Romanis faciebant pugnandi copiam illis intra vallum se continentibus. Quo viso Volsci in contemptum eorum adducti conuocabant ex oppidis copias, volentes castra expugnare multitudine militum: peregissentque præclarum facinus non magno negotio consule cum exercitu aut vi aut deditione in potestatem redacto: iam enim laborabatur victus inopia: nisi superueniens Romanis auxilium impedisset felicitatem hostium honestissimum sibi finem iam sperantium. nam alter consul Cæso Fabius audito collegæ infortunio voluit confestim oppugnatis succurrere: sed retentus religione auguriorum extorúmque minacium, lectissimas tamen cohortes misit ad illum: quæ occultis & nocturnis itineribus priusquam hostis sentiret peruenerunt in castra: ea res animum addidit Aemilio. At Volsci freti suorum multitudine, atque hoc ipso magis quòd Romanus non prodiret in aciem, condensati subibant aduersum tumulum. Consul passus eos cliuum per otium ascendere, & circa vallum operæ multum insumere, mox dato signo multis simul locis per dirutas munitiones emisit milites. Itaque alij cominus pugnabant gladij, alij è munimentis subiectos feriebant missilibus nullo ictu irrito, ut in

constipata multitudine. Volsci multis amissis, reiecti à tumulo ægrè in castra sua refugerunt. Romani iam tuti frumentatum in agros eorum descenderunt ad subleuandam castrensem inopiam. Instante deinde comitiorum tempore Aemilius mansit apud exercitum, pudore cladis ignominiosæ, qua partem maximam militum amiserat: collega eius tribunis cura castrorum commissa in vrbem profectus est: conuocatóque ad comitia populo, consularium aliquot quibus plebs consulatum dari cupiebat ratione nulla habita, quòd hi magistratum non peterent, de solis candidatis centuriatim collegit suffragia. hi erant designati à senatu, quos iussit renuntiari consules, non admodum gratos plebeijs hominibus. designati sunt in annum sequentem consules iunior frater eius qui præerat comitijs M. Fabius Cæsonis F. L. Valerius M. F. qui de Cassio ter consule tyrannidis affectatæ damnato supplicium sumpserat. Hi magistratu inito retulerunt ad senatum de supplemento conscribendo pro desideratis ad Antium militibus: impetratóque in id S. C. edixerunt vt ad certam diem præsto essent militaris ætatis homines daturi nomina. quamobrem tota vrbe tumultuatum est, pauperrimo quoque seditiosè vociferante & detrectante vel senatus vel consulum imperia, quando promissa de diuidendis agris sint irrita: confluebántque cateruatim ad tribunos proditionem eis exprobrãtes, & magnis clamoribus flagitantes illorum auxilium. Cúmque alijs non videretur tempestiuum externo bello instante domesticas reuocare inimicitias, vnus eorum C. Manius negabat se prodita plebe permissurum delectum consulibus, nisi prius decemuiris agro publico diuidendo creatis, & S. C. super hoc promulgato. & cum consules ei contradicerẽt, præsens bellum

causantes per quod staret quo minus promissa soluerentur, negabat se verba eorum morari, dicens omni vi delectum se prohibiturum. & fecit, nihil tamen potuit efficere. nam COSS. progressi in campum Martium, positis ibi sellis delectum habebant, & qui citati non parerent, eos quoniam ipsos ducere nequibant, mulctabant peculio. si qui agros haberent cæsis arboribus, villis dirutis: qui verò alienos fundos à se conductos colerent, eorum agentes ferentésque instrumentum rusticum, iuga boum & iumenta pecoráque, tum ferramenta omnis generis, vasa, vehiculáque, intercessore delectus tribuno nullam opem ferre valente. nihil enim potestatis extra vrbem habent, quòd circumscripta sit mœnibus: imò ne pernoctare quidem extra vrbem eis fas est, nisi Latinis ferijs, quando omnes pop. Roma. magistratus pro communi salute in Albano monte Ioui sacrificant. hodiéque manet is mos, vt tribuni nihil pro potestate agant extra mœnia quin etiam ciuilis belli, quod nostra ætate gestum est omnium maximum, idonea causa visa est multis hæc: quòd aliquot tribuni plebis questi se ab eo imperatore qui tum tenebat Italiam vi vrbe pulsos, ne quam amplius potestatem haberent, ad Gallicos exercitus eorúmque imperatorem quasi nusquam aliás tuti, confugissent. qua occasione ille vsus, vt magistratui plebis potentissimo sua potestate contra maiorũ iusiurandum priuato succurrens pio iustóque bello, armis in vrbem tribunos restituit. Sed tunc plebeij homines tribunitia potestate nihil adiuti submiserũt animos, & venientes ad delectum dabant nomina, signáque sequi sacramento adigebantur. itaque supplemento legionum conscripto consules sortiti sunt prouincias. Fabio is obuenit exercitus qui ad tutelam sociorum missus fuit, Volsci Valerio, cui etiam

suppl

ſupplementum conſcriptum eſt datum ducendum in prouinciam. Cuius aduentu cognito hoſtibus viſum eſt conſultius alterum exercitum accerſere, castra in munitiorem locum transferre, cauere ne per contemptum & temeritatem in periculum vt antè incidant. quæ omnia perfecta ſunt celeriter: fuitque ambobus ducibus idem belli gerendi propoſitum, ſuas munitiones tueri ſi quis inuadat, alienas per vim non aggredi: quo factum eſt vt multum temporis contereretur his cunctationibus. nec tamen in ea mente permanere potuerunt. quoties enim ex vtriſque caſtris frumentatum aut ad alia neceſſaria petenda mitteretur copiarum pars aliqua, conflictus ſequebantur & vulnera alternante victoria: quod cum ſæpius fieret, cadebant non pauci, plures ſauciabantur. Sed Romanorum iactura non ſupplebatur: Volſcorum exercitus augebatur alijs poſt alios venientibus. ea fiducia duces produxerunt eos in aciem: cúmque Romani quoque prodiſſent, acris pugna equitum, peditum, velitum cōmiſſa eſt ex æquo exercitatorum & alacrium, vnoquoq; in ſeipſo collocante ſpem victoriæ. Vt verò multi vtrinque occubuerunt; plures ſemineces iacebant, reliqui pauci ne ipſi quidem rem gerere poterant, ſcutis prægrauante infixorum telorum multitudine inutilibus, hebetatis aut præfractis gladijs, continuato per totum diem labore ſolutis neruis & ad inferendos ictus debilibus, ſudore, ſiti, anhelitu, ſicut fit per æſtum in longo certamine vtroſque vexantibus, nullo memorabili pugnæ precio facto, libenter ambo exercitus ſigno per duces dato receperunt ſe in caſtra ſua. Neutri poſtea progreſſi ſunt in aciem, ſed obſeruabant è propinquo frumentatorum, pabulatorum, aquatorum, lignatorum exitus. In vrbe tamen multi opinabantur atq; etiā vulgo iactabant, exer-

citum Romanum cum vincere posset, data opera nihil egregium gerere, odio consulis & indignatione in patres ob dolo frustratam spem diuisionis agrorum. Ipsi quoque milites consulem vt parum peritum imperatoriarum artium culpabant missis priuatim ad necessarios suos literis. Interea dum hæc in castris geruntur, in vrbe obseruata sunt multa prodigia deorum iram significantia, exauditæ ominosæ voces incerto autore, obuersata oculis nouæ spectrorum facies. quæ omnia eò tendebant, vt creditum est vatibus simul consultis & pontificibus, offensos esse deos quorum sacra non ritè fierent. quam ob rem magna inquisitione secuta, tandem indicium ad pontifices delatum est, vnam Vestalium ignis sacri custodum Opimiam amissa virginitate sacra polluere. Cuius criminis vera confessione quæstionibus expressa, alijs quoque argumentis conuictam traduxerunt per medium comitium, dempta prius capiti corona suis manibus, viuámque defoderunt in specu subterraneo. duos verò eius corruptores flagitij coargutos confestim necauerunt verberatos publicé. Quo facto mox litatum est, & vates responderunt placata iam esse numina. Consules deinde ad comitia venerunt, certatúmque magna contentione inter plebem & patritios: dum hi aliquem è iunioribus impigrum, & minimè popularem designari cupiunt, studentes candidato suo Appij Claudij filio plebeijs infensissimi, viro arroganti & audaci, clientelis ætate sua pollentissimo: plebs contrà seniorem aliquem sibi dari consulem postulat spectatæ iam æquitatis & nihil curaturum nisi Reipubl. commoda. magistratus quoque huius dissidij contagium corripuit, alteris alterorum potestatem irritantibus. quoties enim consules indicerent comitia quibus candidati

consul

consulatum peterent, tribuni pro sua potestate intercedebant. rursus quoties hi vocarent ad comitia populum, consules non sinebant, contendentes suum hoc esse officium. incessebántque se criminationibus mutuis stipati factiosis ciuibus, interdum ira vsque ad pugnos prorumpente, vt minimum ab armis abesset seditio. id videns senatus diu considerauit quidnam agendum esset, nec vi cohibere valens plebem, nec volens cedere. Sententiarum altera rigidior erat, dictatorem comitiorum causa dici aliquem ciuem idoneum: eum pulsis vitiosis & contagiosis hominibus, correctóque siquid superiorum magistratuum inscitia labefactatum esset in Republ. eáque arbitratu suo constituta magistratus creare viros optimos. Altera mitior, interreges eligi è natu maximis honoratissimísque, quibus cura sit vt optima fiat creatio magistratuum, quemadmodum factum est expulsis regibus. In hanc pluribus euntibus interrex nominatus est A. Sempronius Atratinus abrogatis reliquis magistratibus. qui ad certos dies administrata sine seditione Republica, designauit alium ex more Sp. Largium. Is centuriatis comitijs secundum classes collectis suffragijs cum bona vtriusque partis gratia designauit COS S. *C. Iuliũ plebis studiosum, Q. Fabium Cæsonis F.* II. *addictum optimatibus. Hunc plebs priore consulatu nihil offensa passa est adipisci secundum odio Appij, gaudens repulsa ipsius filij. proceres etiam qui requirebant consulem industrium, nihil temere plebi concessurum, probabant hunc seditionis exitum. Horum consulatu Aequi facta in Latinorum agros irruptione, abegerunt multum mancipiorum atq; pecorũ repentino latrocinio. Vcientes quoque Hetruscus populus bonam Romani agri partem infestauerunt excursionibus.*

Cúmq;

Cúmque senatus dilatis in aliud tempus Aequis à Veientibus decreuisset res repeti, illi videntes sibi esse impune primum maleficium, rati fore & in posterum, eò venerunt audaciæ, ut non iam prædatoria manu, sed iusto exercitu Artonam expugnarent: direptisque villis simul cum oppido ditati præda domum se reciperent. Veientes legatis Romanis responderunt nihil ad se pertinere illos prædones profectos ex aliis Hetruscorum populis, atq; ita re infecta eos dimiserunt. Quod ubi senatui renuntiatum est, bellum Veientanum decreuit ambobus COSS. *Reclamatum est tamen huic senatus placito, multis detrectantibus militiam, & plebi renouantibus memoriam agrorum diuisionis decreta antè quinquennium, querentibúsque illusum sibi fide publica, & totius Hetruriæ bellum id fore iactantibus, si Veientibus succurrant cæteri populi. Nihil tamen horum verba valuerunt, sed* S. C. *plebiscito confirmatum est, suasu & hortatu Sp. Largij. Post hæc* COSS. *cum exercitibus profecti seorsum non longè à Veijs castrametati sunt: & cum per aliquot dies hostis non prodiret, depopulati agrum abactáque præda quamplurima domum reduxerunt copias, nec aliud eorum consulatu memorabile gestum est.*

DIONY

DIONYSII

ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER IX.

In quo bellum cum Veientibus. Fabiæ gentis internecio. Seruilius accusatus. contentiones vrbanæ. Appij mors. Bellum cum Aequis ac Volscis. tempus annorum XX.



EQVENTIS *anni magistratuum comitijs rursum inter partes orta est contentio, optimatibus vtrunque suæ factionis consulem destinantibus, plebe popularibus fauente pari studio: quæ nõ prius cessauit quàm inter partes conuenit vt vnaquæque daret consulem. à senatu designatus est Caso Fabius* II. *is qui Cassium tyrannidis reum peregerat: à plebe Sp. Furius,* LXXV. *Olympiade, principe Athenis Calliade, quo tempore Xerxes expeditionem fecit in Græciam. Ad hos quamprimum magistratum inierunt venit Latinorum legatio, petens à senatu vt ad se mitteretur alter consulum cum exercitu, qui compescat Aequorum insolentiam: Hetruria quoque vniuersa moueri nuntiabatur, breui in armis futura. Coactum enim erat gentis concilium: vbi cum Veientes enixissimis precibus egissent vt*

eos in societatem belli contra Romanos gerendi pertraherent, tandem decretum est, licere Hetruscis qui velint ire in eam militiam, ita vt iustum exercitum Veientes colligerent. His in vrbe cognitis iussi sunt Coss. exercitibus conscriptis contra hostes ire, alter Latinis opem laturus, alter cum Hetruscis bellum gesturus. His obnitebatur Sp. Icilius vnus è tribunorum collegio, quotidianis concionibus promissam agrorum diuisionem à senatu exposcens, negánsque se passurum vel de bello vel de vlla alia re agi decernive nisi prius creatis decemuiris finiendo ac diuidendo agro publico, sicut plebi promissum fuerat. Hic hærentem senatum nec expedientem consilium App. Claudius submonuit, darent operam dissidium inter tribunos fieri: potestatem enim illam intercessoriam sacrosanctam & legibus confirmatam non posse nisi suismet dissolui viribus. & quia vnus quilibet eorum hac potestate sit præditus, curarent semper consules vt vnum è collegio, si non plures, sibi ac senatui concilient, cuius opera vtantur aduersus cæteros. Ea sententia valde probata est COSS. & patrum primoribus: effeceruntque omnibus tentatis vt quatuor è tribunis in partes senatus transirent. qui aliquandiu rationibus conati Icilium auertere ab actionibus agrariis donec redirent pacata tempora, illo peruicaciter manente in proposito, & non cessurum se deierante, adeò vt ausus sit coram populo superbissimam vocem edere, malle se Hetruscos cæterósque hostes vrbe potitos videre, quàm occupatores publico agro frui sinere: tandem arrepta occasione aduersandi honestissima, quando etiam plebs offendebatur tam impotenti dicto, aiunt se actioni collegæ intercedere: apertéque iam stabant à senatu & consulibus. ita

desolatus Icilius nihil amplius poterat. Post hæc delectus est habitus: & quicquid vsus belli posceret subministrabatur magna promptitudine tam priuatim quàm publicé. Consules sortiti exercitus eduxerunt celeriter, Sp. Furius in Aequos, Cæso Fabius in Hetruriã. Spurio successerunt omnia feliciter, hostibus non ausis cõgredi, multumq; prædæ atq; captiuorum hac expeditione partum est. nam fermè totũ hosticum peruagatus est agens & ferens, prædam omnem largitus militi. quo factum est vt prius etiã plebis amator habitus, tum existimationem eam confirmauerit: exactóq; militiæ tempore integras & ditatas reduxit copias: Alter cõsul Cæso Fabius egregiè functus omnibus imperatorijs munijs nullã tamen rerum gestarum laudem retulit, non sua culpa, sed quòd exosus esset exercitui, ob Cassium consulem, quem conuictum affectatæ tyrannidis affecerat extremo supplicio. nam neq; imperata eius exequebantur celeriter, neque loca sibi opportuna occupabant, quæ ab alacriter aggrediẽtibus vel vi vel furto occupari poterãt, neq; aliud quicquã promptè faciebant quod ad honorem atque gloriã ducis sui posset conducere. reliqua tamen eorum insolentia tum ipsi minus molesta erat, tum Reipub. non admodum noxia: postremum autem peccatũ non mediocrem vtrique attulit ignominiam coniunctam periculo. Cum enim acies vtrinq; in medium castrorum campum descendissent totis viribus, multis editis egregijs facinoribus, & hoste in fugã verso, nec persecuti sunt eum consule vehementer instante, nec castra expugnare voluerunt, sed relicta imperfecta victoria in sua castra reuersi sunt. Cúmq; imperatorẽ eum quidam appellare conarẽtur, magnis clamoribus vniuersi conuitiabantur, dicentes per ipsius imperitiã desiderari multos viros strenuos: & post multas verbo-

rum

rum contumelias irati postulabant ut motis castris in urbem se reduceret. nō suffecturos ad iterandum prælium si hostis impeteret. & neque monitis eius mouebantur, neque flectebantur precibus, neque minis intentatis, siquando & his uteretur, terrebantur: sed exasperabantur his omnibus. tantúsque fuit ducis & imperiorum contẽptus, ut media nocte surgentes tentoria refigerent, arma sumerent, saucios deportarent, iubente nemine. hoc cognito necesse habuit omnibus profectionis signũ dare, veritus eorum temeritatẽ ne à se deficerent. Illi haud secus quàm fuga seruati magna celeritate confecto itinere sub diluculum fuerunt urbi proximi. at custodes qui stabant in mœnibus ignorantes amicum agmen esse, arreptis armis conuocabant se inuicem: reliqua etiam ciuitas quasi magna clade accepta pauore ac tumultu referta fuit: nec prius apertæ sunt portæ quàm luce iam clara domesticæ legiones agnoscerentur: ut præter ignominiam desertorum castrorum periculum etiam non mediocre adierint, in tenebris per hosticum discedentes nullo ordine. quos si hostes re cognita persecuti fuissent, nihil vetabat internecione deleri totum exercitum. Causa autem huius seu discessus seu fugæ fuit ut dixi publicum ducis odium, & quòd ei honorem inuiderent, ne triumphans in urbem reuectus illustris fieret. Postridie verò Hetrusci cognito Romanorum discessu spoliauerunt eorum cadauera: direptisq; impedimentis, quæ multa ut in diuturni belli usum parata in castris relicta fuerant, quasi victores finitimis agris populatis retro abduxerunt exercitum. Sequentis anni consules, Cn. Manlius, M. Fabius iterum, ex senatusconsulto contra Veientes quàm maximũ ducturi exercitum, edixerunt ad quam diem delectum habere vellent, ut præsto essent daturi nomina

mina. cúmque tribunorum unus Tib. Pontificius intercederet, postulans plebi agros promissos diuidi. consules quemadmodum & superiores benignè appellatis eius collegis effecerũt inter ipsos dissidium, ac mox senatus mandata exequuti sunt liberè. itaq; conscriptis intra paucos dies copiis profecti sunt cum binis urbanis legionibus, nec paucioribus sociorum atque colonorum auxiliis. Latini & Hernici duplum eius quod petitum est miserant eis, nec tamẽ omnium usi sunt opera, sed gratiis actis remiserunt dimidium. Tertius quoque exercitus iuniorum duæ legiones, iussus est excubare pro mœnibus, si qui alij hostes ex improuiso existerent. emeritam verò ætatem in urbe reliquerunt arcibus ac mœnibus præsidio. admotis deinde prope Veios exercitibus castra munierunt in duobus tumulis non multum inter se distantibus. hostes quoque antè urbem castra habebant, magnus & validus exercitus. conuenerant enim eò totius Hetruriæ proceres cum suis clientibus, ut Romanos non mediocriter superarent numero. Consules visa hostium multitudine armorumque splendore, solliciti erant ne parum tutum esset suos non consentientes concordibus hostium copiis opponere in acie. itaque visum est consultius castris bene munitis bellum ducere expectãdo aliquam occasionem ex hostium audacia temeraria. interim per ferentarios fiebant velitationes continuæ, nullo euentu memorabili. Hetrusci morarum impatientia timiditatem Romanis exprobrabant qui non progrederẽtur in aciem, & de se magnificè sentiebant, quibus totis campis cederetur. auxit eum consulum & exercituum contemptum noua opinio, quasi diis propitiis ipsi bellum gererent. nam alterius consulum Cn. Manlij prætorium de cælo tactum fuit: laceratum est fulmine

tentorium, euersus foculus; arma fœdata vel ambusta vel in totum contrita, occisus eximius equus quo in præliis vti consueuerat, & famulorum aliquot. Interpretibus prodigiis monentibus deos significare castrorum oppugnationem & clarißimorum virorum interitum. Manlius excitos media nocte milites traduxit in altera castra, vt intra easdem cũ collega munitiones tenderet. Hetrusci migrationis causa ex quibusdã captiuis cognita magis etiã elati sunt, velut infesto Romanis numine, cœperuntq́ magnam spem victoriæ. Vates quoque Hetrusci, qui profitentur exactiorem scientiam rerum cælestium & fulgurũ vnde veniant, quóue se recipiant, à quibus diis mittantur, quid boni malive portendant, hortabantur suos ad prælium, sic disserentes de oblato Romanis prodigio. Fulmine delato in Consulis tentorium, in quo prætorium erat, eoq́ vsque ad focum deleto, significatam esse diuinitus exercitui castrorum expugnationem & clarißimorum perniciem. Ergo, inquiunt, si mansissent in loco tacto, nec prodigium secum ad alios transtulissent, vnis tantum castris captis, exercitus vnius exitio defuncti satiassent indignationem numinis. nunc quia volentes magis quàm dij sapere transierunt in alia castra loco eo deserto, ac si non hominibus illi clades portenderent sed locis tota eorum ira incumbit ex æquo in vtrosque, tã qui exceperunt, quàm qui excepti sunt. Et quia diis fatalem neceßitatem denuntiantibus, non expectato fato suis castris vltro cesserunt hostibus, altera quæ desertores illos exceperunt, pro desertis expugnabuntur. His à vatibus auditis Hetrusci partem copiarum suarum miserunt ad castra modò à Romanis deserta occupanda, tanquam munimentum castris alteris oppositum. erat enim locus admodum firmus & ipsis opportunus.

vt via ex Vrbe in Romana castra frenti immenens. alij præterea rebus in suum compendium præparatis cum hostium dispendio, produxerunt militem & consulibus æquo loco pugnandi fecerunt copiam. quibus quiescentibus audacissimus quisque vallo adequitans increpabat mulierum exercitum appellitans, ducésque ipsos timidissimis animantibus per conuicium comparans, & alterutrum postulans: aut descenderent in planiciem, si viri fortes essent, decreturi vno prælio: aut si faterentur ignauiam, armis victori traditis, pœnísque maleficiorum persolutis, nihil præclarum sibi vsurparent amplius: faciebántque hoc quotidie. & cum nihil proficerent, decreuerunt eos circumuallare, fame ad deditionem compulsuri. Hæc COSS. diu ferebant non timiditate aut pusillanimitate: erant enim ambo animosi & bellicosi: sed suspectam habentes plebeiorum militum ignauiam voluntariam & segniciem propter seditiones agrarias. adhuc enim obuersabantur auribus & oculis quæ anno superiore consuli honorem inuidentes turpiter & præter maiestatem popul. Roman. fecerant, victis concessa victoria, & fuga simulatæ admissa ignominia, ne illi viro triumphus contingeret. ergo cum vellent seditionem in totum è castris tollere, & vniuersam multitudinem redigere in pristinam concordiam, ídque omnibus consiliis agerent: quoniam neque animaduersione in quosdam castigare licebat cæteros propter insitam superbiã & arma quæ habebant in manibus, neque rationibus persuadere in tanta animorum obstinatione: videbantur hi duo modi reliqui per quos eximeretur seditio: ad corrigendos mansuetiores (erant enim & tales nõnulli admixti multitudini) pudor opprobriorum hostilium: ad intractabiles autem necessitas, quam

vniuersum humanum genus metuit. Vt igitur horum vtrunque fieret, permiserunt hostem insultare verborum contumeliis, quietē imputantem ignauiæ: & per contemptum suis illudere, vt necessitatem fortitudinis imponerent his qui nollent sponte rem fortiter gerere. Sic enim fore sperabant vt ad prætorium concurrentes præ indignatione clamoribus prælium poscerent, id quod factum est. Vt enim hostes cœperunt castrorum exitus vallo intercludere, rem non ferendam Romani rati, pauci primum, mox cateruatim confluebant ad tentoria consulum, vociferantes & proditionem eis obiectantes: & nisi quis ducem se præbuerit, illorum iniussu arreptis armis erupturos se dicentes, cumque vndequaque acclamaretur, duces adesse tempus expectatum existimantes, lictoribus mandauerunt ad concionem vocare milites. Tum Fabius egressus prætorium sic eos allocutus est. Tarda quidem venit vestra indignatio post tot hostiles contumelias commilitones atque præfecti, & ista confligendi cum hostibus cupiditas quæ serius quàm oportebat vos subiit, iam intempestiua est. dudum debueratis hoc facere, cū primum vidistis eos è munitionibus descendentes prouocare ad prælium. tunc enim honeste certassemus de imperio, & ex dignitate Ro. populi. nūc verò necessario pugnabimus. & vt felix contingat exitus, certè par decus non erit, attamen rectè facitis, dum vel nunc tandem præteritam tarditatem vultis corrigere, & quod reliquum est virium animorumque recolligere: habetúrque vobis magna gratia ob hunc ardorem honestissimum, siquidem amore virtutis exortus est. præstat enim sero quam nunquam officium facere. Atque vtinā omnes pariter vtilitatis communis respectum habeatis, vtinam eadem vniuersis insit alacritas. nunc ve-

remur

remur ne plebeij ob legem agrariam infensi honoratioribus magnam cladem afferant reipub. & suspicamur indignabundas istas acclamationes non ab omnibus eodem animo fieri: sed alios vt pœnas de hoste sumant exire cupere, alios vt aufugiant. causam autem huius suspicionis non vates præbuerunt nec cõiectura. sed facta manifestaria eáque nuper conspecta vt scitis anno proximo: quando contra hos ipsos hostes valido misso exercitu & primo prælio depugnato feliciter, cum consul & dux vester Caso, frater meus cui successi, posset castra hostium vi capere, & victoriam clarissimam referre in patriam, inuidentes ei gloriam quòd non esset plebis studiosus, neque ad gratiam eius tractaret rempublicam, nocte prælium secuta iniussi reuulsis tentoriis aufugerunt è castris, neque periculo deterriti ne nullo ordine, nullo duce noctu hostico excederent: neque metu ignominiæ secuturæ quòd quantum in se esset hosti de imperio cederent, eique à se victo, horum metu tribuni vosq; centuriones & milites, qui neque præesse possunt neque parere volũt, cum sint multi, pernicaces & armati, neque prius cum hoste congredi voluimus, neque nunc etiam audemus cum talibus propugnatoribus de rerum summa decernere, ne impedimento sint aliis omnem alacritatem præstantibus. attamen si & illorum animos deus aliquis incitat, & omissis perniciosissimis reip. dissidiis possunt expectare pacata tempora, præsentíque virtute abolere præteritas ignominias cupiunt, nihil vetat nos cum bona spe hostem aggredi. nam præter alias occasiones victoriæ maximas nobis præbet hostium stultitia: qui cum tanto maiores habeant copias, vt vel hac vna prærogatiua possint nostræ fortitudini atque peritiæ resistere, hac præcipua commoditate seipsi priuauerunt, ab-

sumpta exercitus parte in castellorum præsidia, deinde cum deberent cautè ac prudenter agere singula, reputantes cum præstantioribus sibi esse negotium, temere inconsideratéque ruunt in prælium, ac si inuicti sint ipsi, nos verò eorum audacia perterriti. id præ se ferunt istæ circumuallationes, istæ castrorum obequitationes cum dictorum factorúmque contumeliis. Hæc cogitantes & tot honestissimarum pugnarũ memores quibus eos profligastis, ite alacres in prælium, & quem quisque locum in acie tuendum acceperit, eum sibi domum, agrum, patriam existimet. qui suum manipularem seruauerit, suæ saluti consultum credat: econtrà seipsum proditum, is qui illum destituerit. Illud præcipuè memineritis, resistendo & pugnando paucos viros cadere, inclinata verò semel acie versaq; in fugam paucissimos euadere. Hæc ad accendendam suorum virtutem eo memorante non sine lacrymis, & tribunos centuriones, aliósque spectatæ fortitudinis milites nominatim appellante, pollicenteq; maxima eximiæ operæ præmia pro cuiusque merito, honores, diuitias, aliáque commoda, conclamatum est à iubẽtibus eum bono esse animo, & in prælium se ducere. Aderat ibi M. Flauoleius vir plebeius & colonus operari suis manibus solitus, non vilis tamen, sed laudatæ corporis animiq; fortitudinis, cẽturio primi pili, hoc est inter LX. vnius legionis centuriones præcipuus. is vbi editiore loco constitit, statura quoque conspicuus: hoccine, inquit, timetis COSS. ne facta nostra dictis non respondeant? ego primus vobis pro meipso certissimam fidem faciam. vos ciues eiusdémque fortunæ socij, si idem quod ego faciatis rectè feceritis. Hæc locutus stricto gladio iurauit patrium sacramentum, cuius apud Romanos vis est maxima, bona sua fide non

nisi

nisi victorem se reuersurum ex acie. hoc eius exemplum omnibus placuit, móxque ambo consules id imitati sunt, cæterique duces minorum ordinum tribuni atque centuriones, & deinceps reliqua multitudo militum. quo facto ingens alacritas totum exercitum subiit, mutuáque beneuolentia, simúlque robur & audacia. digressique è concione frenabant equos equites. cæteri gladios lanceásve acuebant, aut scuta extergebant, breuíque omnes erant parati ad prælium. At C O S S. *diis in vota vocatis vt sibi duces essent, produxerunt suos in aciem. quibus visis Hetrusci mirati ex aduerso prodierũt totis viribus. Vt verò æquo loco vtrique constiterũt, dato signo conflixerunt tam equites quàm pedites, multis primo concursu cadentibus. Romanum dextrum cornu cui Manlius consul præerat, sibi oppositos impulit, equitibus pedestrem pugnam capessentibus. at sinistrum circumueniebatur à dextro hostium, quòd Hetrusca acies ea parte esset non paulo protensior. ita vt laboraret sauciis multis militibus. ei legatus præerat Q. Fabius bis* C O S S. *diúque restitit varia vulnera perferens: postremo lancea traiecto. vsque præcordia pectore exanguis cecidit. quo audito M. Fabius consul, qui in media versabatur acie, assumptis validissimis cohortibus, accitóque altero fratre Cæsone, præteruolans suam aciem eò processit vbi Romani circumueniebantur: móxque in hostes irruens cõgredi ausorum magna strage edita reliquos propulit, & fratrem adhuc spirantem sustulit, qui non multò pòst est mortuus. Cæterùm vltores eius magis etiam in aduerso incitati, nulla propriæ salutis ratione habita, cum modica manu in confertissimos penetrantes aceruabant cadauera, ita vt iam hac parte turbarentur Hetrusci, reiectis qui primùm vincebant. at sini-*

ſtrum eorum cornu fuga proximum inſtante Manlio, verſa vice fugauit oppoſitos. nam quidam coniecta lancea femur eius ad inguem vſque diſcidit, qui à proximis mox in caſtra relatus eſt. is caſus animos auxit hoſtibus ratis ducem Romanum occubuiſſe, & aliis etiam ſuccurrentibus impreſsionem fecerunt in orbatos duce ſuo. ita Fabiis neceſſe fuit rurſum è ſiniſtro in dextrum cornu tranſcurrere. Quibus cum valido globo aduentantibus Hetruſci à perſequendo deſtiterunt, condenſaueruntque ſuos ordines. Ibi redintegrata pugna vtrinque multi occubuerũt. Dum in hunc modum certatur, pars Hetruſcorum quæ deſerta Manlij caſtra occupauerat, ſigno ab imperatore ſuo dato magna celeritate atque alacritate inuaſit altera caſtra, vt non magni momenti præſidio cuſtodita. nec eos fefellit opinio. nam præter triarios & paucos alios militari robore præditos, cæterum vulgus negotiatorum, lixarum calonúmque, & opificum inerat. ibi multis in anguſtum locum concurrentibus: nam de aditu portæ certabatur: acri pugna coorta multi tam Romani quàm hoſtes cæſi ſunt. Manlius quoque conſul qui cũ æquitatu eò aduolauerat, prolapſo equo non valens præ vulneribus reſurgere periit, & circa eum ceciderunt multi alij fortes iuuenes. quo facto caſtra capta ſunt, non irrito Tuſcorum vaticinio. qua victoria ſi vti ſciuiſſent hoſtes, & capta caſtra muniſſent præſidio, potiti fuiſſent impedimentis, eiectis turpiter militibus. nunc ad direptionem verſi, & plerique ad curam corporum, egregiam prædam emiſerunt è manibus. Vt enim alter conſul amiſſa caſtra cognouit, properauit eò cum lectiſsimis equitum atque peditum cuius aduentu audito Hetruſci diſcurrentes in vallum corona facta propugnabant fortiter: fuitque ingens

certam

certamen, his ſua recipere conantibus, illis ſi expugnarentur internecionem timentibus. quod cũ protraheretur diutius, Hetruſcis è ſuperiori loco contra totius diei labore feſſos propugnantibus, T. Sicinius legatus cum COS. communicato conſilio iuſſit receptui canere, & ſimul collectos vnum tantum caſtrorum latus oppugnare, quod videbatur minus munitum quàm cætera. portas autem omiſit ratione probabili, qua minime falſus eſt, remiſſuros contentionem ſi ſalutem ſperauerint. qua deſperata ſi vndique cingerentur hoſtibus nullo patente exitu, auſuros extrema neceſſario. itaque dum vnũ tantummodo latus oppugnatur, Hetruſci omiſſa pugna per auerſam portam in ſua caſtra ſe receperunt. Conſul verò hac clade depulſa rurſum recurrit in aciem. Ferunt nunquam ad eam ætatem Romanos pugnaſſe tam magno prælio, ſiue diuturnitas eius ſpectetur, ſiue pugnatorum numeroſitas, ſiue fortuna nunc his nunc illis fauentis viciſſitudines. erant enim vrbanæ iuuentutis circiter XX. millia peditum, & cum his equites alarij IIII. legionum MCC. colonorum quoque & ſociorum par numerus. pugnatum eſt autẽ vſque ad ſolis occaſum, cum cœpiſſent paulo ante meridiem. Fortuna verò diu nutauit, nunc huc nunc illuc inclinante victoria. alter conſulum cecidit: & vnus legatorum qui bis conſul fuerat, aliique multi tribuni & centuriones quot nunquàm antea. Victoria tamen penes Rom. fuiſſe videtur, non ob aliud quàm quòd ſequenti nocte Hetruſci deſertis caſtris abierunt. Poſtera die Romani direptis hoſtium caſtris & ſepultis ſuorum cadaueribus, in caſtra ſe receperunt. Ibi pro concione donati ſunt ob egregiam virtutem & heſternam fortem operam, primum Cæſo Fabius conſulis frater mirificis facinoribus ſpectatiſſimus,

damno populi Romani quàm ignominia: quòd nullæ essent sub signis quæ eos prohiberent copiæ: ita hæc excursio facta est prius quàm colligerentur & centuriarentur Romani milites. In senatu post consultationē de modo belli gerendi cum Veientibus, placuit ad agrorum tutelam præsidium haberi continenter in finibus. Sed grauabantur sumptu, quòd ærarium esset exhaustum continuis expeditionibus, nec priuatorum hominum tributa sufficerent: nec parum difficultatis erat in conscribendis militibus: quòd nemo volens proficisceretur in eam militiam, vbi non per vices sed indesinenter exercendi essent laboribus. His de causis senatum hæsitantem & anxium autore consule Fabia gens adiit, vltro suam operam ad hoc bellum offerens, clientibus & amicis iuuantibus suo sumptu id sustinere pollicens. Quibus ingentibus gratiis actis, & in hac eorum promptitudine spe victoriæ tota collocata, sumptis armis profecti sunt, populo familiam inter patritias clarissimam ad cœlum ferente laudibus, & ire fortes, ire felices iubente, deósque votis & sacrificiis solicitante, vt inceptis euentus pares concederent. Præerat eis M. Fabius, qui superiore anno consul Hetruscos prælio vicerat, ducebátque ad summum quatuor millia militum. horum maior pars clientes erant & sodales, ex ipsa Fabia gente CCC. & sex viri. eam manum paulo post alia secuta est, ductu Cæsonis Fabij consulis. Cúmque peruenissent prope fluuium Cremeram, qui non longe à Veiis abest, castellum pro copiarum numero in tumulo quodam prærupto communierunt, duplici fossa & aggere cinctum distincto crebris turribus, cui de fluuio nomen indiderant Cremera: quod opus per multas operas & consule adiutante citius opinione absolutum est. eo perfecto M. Fabius ad vlterior

teriorem Veientem agrum prouectus qui reliquam contingit Hetruriam, vbi erant Veientium pecora, quòd nunquam eo venturum Romanum militem crederent, magnam prædam abegit in castellum recens conditum lætus vel quòd hosti tam cito dignam persoluisset gratiam, vel quòd præsidiariis magnam pararet copiam. nihil enim in publicum retulit, nec militibus diuisit, sed pecora, iumenta, iuga boum, ferramenta, reliquúmque instrumentum rusticum colonis castellanis largitus est, atque his peractis reduxit exercitum. Cæterùm Veientium res post eum locum communitum non bene se habebant, quòd nec agricolatio tuta esset, nec importatio commeatuum. Nam Fabij diuisis quadrifariam copiis, vna parte præsidio castelli relicta, tribus aliis agrum hosticum infestabant prædas agentes ferentésque: & sæpe Veientem hostem nunc ex insidiis nunc apertè se inuadentem profligauerunt multísque cæsis intra munimenta se receperunt. quo factum est vt illi ne auderent quidē congredi amplius, sed intra mœnia plerunque se continentes non nisi furtim progrederentur: atque ita hiems ea exacta est. Sequenti anno L. Aemilio, C. Seruilio COSS. nuntiatum est Romam Volscos & Aequos fœdere iunctos in Romanum agrum propediem irruptionem facturos, nec falsus erat nuntius. Vtrique opinione citius proximos quosque agros vastabant, rati Romanos & sibi repellendis & bello Hetrusco gerendo fore impares. Rursus aliunde nuntiabatur totam Hetruriam in bellum conspirasse, decreuisséque Veientibus auxilia. Confugerāt enim ad eorū opem non valētes excindere castellum domesticis viribus, obsecrantes per cognationem & amicitiam tótque bella gesta communibus auspiciis, vt horum omniū memores bello se iuuar-

rum contumelias irati postulabant vt motis castris in vrbem se reduceret. nõ suffecturos ad iterandum prælium si hostis impeteret. & neque monitis eius mouebantur, neque flectebantur precibus, neque minis intentatis, siquando & his vteretur, terrebantur: sed exasperabantur his omnibus. tantúsque fuit ducis & imperiorum contẽptus, vt media nocte surgentes tentoria refigerent, arma sumerent, saucios deportarent, iubente nemine. hoc cognito necesse habuit omnibus profectionis signũ dare, veritus eorum temeritatẽ ne à se deficerent. Illi haud secus quàm fuga seruati magna celeritate confecto itinere sub diluculum fuerunt vrbi proximi. at custodes qui stabant in mœnibus ignorantes amicum agmen esse, arreptis armis conuocabant se inuicem: reliqua etiam ciuitas quasi magna clade accepta pauore ac tumultu referta fuit: nec prius apertæ sunt portæ quàm luce iam clara domesticæ legiones agnoscerentur: vt præter ignominiam desertorum castrorum periculum etiam non mediocre adierint, in tenebris per hosticum discedentes nullo ordine. quos si hostes re cognita persecuti fuissent, nihil vetabat internecione deleri totum exercitum. Causa autem huius seu discessus seu fugæ fuit vt dixi publicum ducis odium, & quòd ei honorem inuiderent, ne triumphans in vrbem reuectus illustris fieret. Postridie verò Hetrusci cognito Romanorum discessu spoliauerunt eorum cadauera: direptísq; impedimentis, quæ multa vt in diuturni belli vsum parata in castris relicta fuerant, quasi victores finitimis agris populatis retro abduxerunt exercitum. Sequentis anni consules, Cn. Manlius, M. Fabius iterum, ex senatusconsulto contra Veientes quàm maximũ ducturi exercitum, edixerunt ad quam diem delectum habere vellent, vt præsto essent daturi nomina

mina. cúmque tribunorum unus Tib. Pontificius intercederet, postulans plebi agros promissos diuidi, consules quemadmodum & superiores benignè appellatis eius collegis effecerūt inter ipsos dissidium, ac mox senatus mandata exercuti sunt liberè. itaq; conscriptis intra paucos dies copiis profecti sunt cum binis urbanis legionibus, nec paucioribus sociorum atque colonorum auxiliis. Latini & Hernici duplum eius quod petitum est miserant eis, nec tamē omnium usi sunt opera, sed gratiis actis remiserunt dimidium. Tertius quoque exercitus iuniorum duæ legiones iussus est excubare pro mœnibus, siqui alij hostes ex improuiso existerent. emeritam verò ætatem in urbe reliquerunt arcibus ac mœnibus præsidio. admotis deinde propè Veios exercitibus castra munierunt in duobus tumulis non multum inter se distantibus. hostes quoque antè urbem castra habebant, magnus & validus exercitus. conuenerant enim eò totius Hetruriæ proceres cum suis clientibus, ut Romanos non mediocriter superarent numero. Consules visa hostium multitudine armorumque splendore, solliciti erant ne parum tutum esset suos non consentientes concordibus hostium copiis opponere in acie. itaque visum est consultius castris bene munitis bellum ducere expectādo aliquam occasionem ex hostium audacia temeraria, interim per ferentarios fiebant velitationes continuæ, nullo euentu memorabili. Hetrusci morarum impatientia timiditatem Romanis exprobrabrant qui non progrederētur in aciem, & de se magnificè sentiebant, quibus totis campis cederetur. auxit eum consulum & exercituum contemptum noua opinio, quasi diis propitiis ipsi bellum gererent. nam alterius consulum Cn. Manlij prætorium de cælo tactum fuit: laceratum est fulmine

tentorium, euersus foculus; arma fœdata vel ambusta vel in totum contrita, occisus eximius equus quo in prælitis vti consueuerat, & famulorum aliquot. Interpretibus prodigiis monentibus deos significare castrorum oppugnationem & clarißimorum virorum interitum. Manlius excitos media nocte milites traduxit in altera castra, vt intra easdem cũ collega munitiones tenderet. Hetrusci migrationis causa ex quibusdã captiuis cognita magis etiã elati sunt, velut infesto Romanis numine, cõceperuntq́; magnam spem victoriæ. Vates quoque Hetrusci, qui profitentur exactiorem scientiam rerum cælestium & fulgurũ vnde veniant, quóve se recipiant, à quibus diis mittantur, quid boni malive portendant, hortabantur suos ad prælium, sic disserentes de oblato Romanis prodigio. Fulmine delato in Consulis tentorium, in quo prætorium erat, eoq́; vsque ad focum deleto, significatam esse diuinitus exercitui castrorum expugnationem & clarißimorum perniciem. Ergo, inquiunt, si mansissent in loco tacto, nec prodigium secum ad alios transtulissent, vnis tantum castris captis, exercitus vnius exitio defuncti satiassent indignationem numinis. nunc quia volentes magis quàm dij sapere transierunt in alia castra loco eo deserto, ac si non hominibus illi clades portenderent sed locis tota eorum ira incumbit ex æquo in vtrosque, tã qui exceperunt, quàm qui excepti sunt. Et quia diis fatalem necessitatem denuntiantibus, non expectato fato suis castris vltro cesserunt hostibus, altera quæ desertores illos exceperunt, pro desertis expugnabuntur. His à vatibus auditis Hetrusci partem copiarum suarum miserunt ad castra modò à Romanis deserta occupanda, tanquam munimentum castris alteris oppositum. erat enim locus admodum firmus & ipsis opportunus.

vt

vt via ex Vrbe in Romana castra ferenti imminens. alij prӕterea rebus in suum compendium prӕparatis cum hostium dispendio, produxerunt militem & consulibus ӕquo loco pugnandi fecerunt copiam. quibus quiescentibus audacissimus quisque vallo adequitans increpabat mulierum exercitum appellitans, ducésque ipsos timidissimis animantibus per conuicium comparans, & alterutrum postulans: aut descenderent in planiciem, si viri fortes essent, decreturi vno prӕlio: aut si faterentur ignauiam, armis victori traditis, pœnísque maleficiorum persolutis, nihil prӕclarum sibi vsurparent amplius: faciebántque hoc quotidie. & cum nihil proficerent, decreuerunt eos circumuallare, fame ad deditionem compulsuri. Hӕc COSS. *diu ferebant non timiditate aut pusillanimitate: erant enim ambo animosi & bellicosi: sed suspectam habentes plebeiorum militum ignauiam voluntariam & segniciem propter seditiones agrarias. adhuc enim obuersabantur auribus & oculis quӕ anno superiore consuli honorem inuidentes turpiter & prӕter maiestatem popul. Roman. fecerant, victis concessa victoria, & fuga simulata admissa ignominia, ne illi viro triumphus contingeret. ergo cum vellent seditionem in totum è castris tollere, & vniuersam multitudinem redigere in pristinam concordiam, ídque omnibus consiliis agerent: quoniam neque animaduersione in quosdam castigare licebat cӕteros propter insitam superbiã & arma quӕ habebant in manibus, neque rationibus persuadere in tanta animorum obstinatione: videbantur hi duo modi reliqui per quos eximeretur seditio: ad corrigendos mansuetiores (erant enim & tales nõnulli admixti multitudini) pudor opprobriorum hostilium: ad intractabiles autem necessitas, quam*

uniuersum humanum genus metuit. Vt igitur horum vtrunque fieret, permiserunt hostem insultare verborum contumeliis, quietē imputantem ignauiæ: & per contemptum suis illudere, vt necessitatem fortitudinis imponerent his qui nollent sponte rem fortiter gerere. Sic enim fore sperabant vt ad prætorium concurrentes præ indignatione clamoribus prælium poscerent, id quod factum est. Vt enim hostes cœperunt castrorum exitus vallo intercludere, rem non ferendam Romani rati, pauci primum, mox cateruatim confluebant ad tentoria consulum, vociferantes & proditionem eis obiectantes: & nisi quis ducem se præbuerit, illorum iniussu arreptis armis erupturos se dicentes, cumq; vndequaque acclamaretur, duces adesse tempus expectatum existimantes, lictoribus mandauerunt ad concionem vocare milites. Tum Fabius egressus prætorium sic eos allocutus est. Tarda quidem venit vestra indignatio post tot hostiles contumelias commilitones atque præfecti, & ista confligendi cum hostibus cupiditas quæ serius quàm oportebat vos subiit, iam intempestiua est. dudum debueratis hoc facere, cū primum vidistis eos è munitionibus descendentes prouocare ad prælium. tunc enim honeste certassemus de imperio, & ex dignitate Ro. populi. nūc verò necessario pugnabimus. & vt felix contingat exitus, certè par decus non erit, attamen rectè facitis, dum vel nunc tandem præteritam tarditatem vultis corrigere, & quod reliquum est virium animorúmque recolligere: habetúrque vobis magna gratia ob hunc ardorem honestissimum, siquidem amore virtutis exortus est. præstat enim sero quàm nunquam officium facere. Atque utinā omnes pariter vtilitatis communis respectum habeatis, vtinam eadem vniuersis insit alacritas. nunc vere

remur

remur ne plebeij ob legem agrariam infensi honoratioribus magnam cladem afferant reipub. & suspicamur indignabundas istas acclamationes non ab omnibus eodem animo fieri: sed alios vt pœnas de hoste sumant exire cupere, alios vt aufugiant. causam autem huius suspicionis non vates præbuerunt nec cōiectura. sed facta manifestaria eáque nuper conspecta vt scitis anno proximo: quando contra hos ipsos hostes valido misso exercitu & primo prælio depugnato feliciter, cum consul & dux vester Cæso, frater meus cui successi, posset castra hostium vi capere, & victoriam clarissimam referre in patriam, inuidentes ei gloriam quòd non esset plebis studiosus, neque ad gratiam eius tractaret rempublicam, nocte prælium secuta iniussi reuulsis tentoriis aufugerunt è castris, neque periculo deterriti ne nullo ordine, nullo duce noctu hostico excederent: neque metu ignominiæ secuturæ quòd quantum in se esset hosti de imperio cederent, eíque à se victo, horum metu tribuni vosq; centuriones & milites, qui neque præesse possunt neque parere volūt, cum sint multi, peruicaces & armati, neque prius cum hoste congredi voluimus, neque nunc etiam audemus cum talibus propugnatoribus de rerum summa decernere, ne impedimento sint aliis omnem alacritatem præstantibus. attamen si & illorum animos deus aliquis incitat, & omissis perniciosissimis reip. dissidiis possunt expectare pacata tempora, præsentíque virtute abolere præteritas ignominias cupiunt, nihil vetat nos cum bona spe hostem aggredi. nam præter alias occasiones victoriæ maximas nobis præbet hostium stultitia: qui cum tanto maiores habeant copias, vt vel hac vna prærogatiua possint nostræ fortitudini atque peritiæ resistere, hac præcipua commoditate seipsi priuauerunt, ab-

sumpta exercitus parte in castellorum præsidia, deinde cum deberent cautè ac prudenter agere singula, reputantes cum præstantioribus sibi esse negotium, temere inconsideratéque ruunt in prælium, ac si inuicti sint ipsi, nos verò eorum audacia perterriti. id præ se ferunt istæ circumuallationes, istæ castrorum obequitationes cum dictorum factorúmque contumeliis. Hæc cogitantes, & tot honestissimarum pugnarũ memores quibus eos profligastis, ite alacres in prælium, & quem quisque locum in acie tuendum acceperit, eum sibi domum, agrum, patriam existimet. qui suum manipularem seruauerit, suæ saluti consultum credat: econtrà seipsum proditum, is qui illum destituerit. Illud præcipuè memineritis, resistendo & pugnando paucos viros cadere, inclinata verò semel acie versaq; in fugam paucissimos euadere. Hæc ad accendendam suorum virtutem eo memorante non sine lacrymis, & tribunos centuriones, alióśque spectatæ fortitudinis milites nominatim appellante, pollicenteq; maxima eximiæ operæ præmia pro cuiusque merito, honores, diuitias, aliáque commoda, conclamatum est à iubẽtibus eum bono esse animo, & in prælium se ducere. Aderat ibi M. Flauoleius vir plebeius & colonus operari suis manibus solitus, non vilis tamen, sed laudatæ corporis animiq; fortitudinis, cẽturio primi pili, hoc est inter L X. vnius legionis centuriones præcipuus. is vbi editiore loco constitit, statura quoque conspicuus: hoccine, inquit, timetis COSS. ne facta nostra dictis non respondeant? ego primus vobis pro meipso certissimam fidem faciam. vos ciues eiusdémque fortunæ socij, si idem quod ego faciatis rectè feceritis. Hæc locutus stricto gladio iurauit patrium sacramentum, cuius apud Romanos vis est maxima, bona sua fide non

nisi

nisi victorem se reuersurum ex acie. hoc eius exemplum omnibus placuit, móxque ambo consules id imitati sunt, cæteríque duces minorum ordinum tribuni atque centuriones, & deinceps reliqua multitudo militum. quo facto ingens alacritas totum exercitum subiit, mutuáque beneuolentia, simúlque robur & audacia. digreßique è concione frenabant equos equites. cæteri gladios lanceásue acuebant, aut scuta extergebant, breuíque omnes erant parati ad prælium. At COSS. *diis in vota vocatis vt sibi duces essent, produxerunt suos in aciem. quibus visis Hetrusci mirati ex aduerso prodierũt totis viribus. Vt verò æquo loco vtrique constiterũt, dato signo conflixerunt tam equites quàm pedites, multis primo concursu cadentibus. Romanum dextrum cornu cui Manlius consul præerat, sibi oppositos impulit, equitibus pedestrem pugnam capessentibus. at sinistrum circumueniebatur à dextro hostium, quòd Hetrusca acies ea parte esset non paulo protensior. ita vt laboraret sauciis multis militibus. ei legatus præerat Q. Fabius bis* COSS. *diúque restitit varia vulnera perferens: postremo lancea traiecto, vsque præcordia pectore exanguis cecidit. quo audito M. Fabius consul, qui in media versabatur acie, assumptis validißimis cohortibus, accitóque altero fratre Cæsone, præteruolans suam aciem eò processit vbi Romani circumueniebantur: móxque in hostes irruens cõgredi ausorum magna strage edita reliquos propulit, & fratrem adhuc spirantem sustulit, qui non multò pòst est mortuus. Cæterùm vltores eius magis etiam in aduerso incitati, nulla propriæ salutis ratione habita, cum modica manu in confertißimos penetrantes aceruabant cadauera, ita vt iam hac parte turbarentur Hetrusci, reiectis qui primùm vincebant. at sini-*

strum eorum cornu fuga proximum instante Manlio, versa vice fugauit oppositos. nam quidam coniecta lancea femur eius ad inguem usque discidit, qui à proximis mox in castra relatus est. is casus animos auxit hostibus ratis ducem Romanum occubuisse, & aliis etiam succurrentibus impressionem fecerunt in orbatos duce suo. ita Fabiis necesse fuit rursum è sinistro in dextrum cornu transcurrere. Quibus cum valido globo aduentantibus Hetrusci à persequendo destiterunt, condensauerúntque suos ordines. Ibi redintegrata pugna vtrinque multi occubuerũt. Dum in hunc modum certatur, pars Hetruscorum quæ deserta Manlij castra occupauerat, signo ab imperatore suo dato magna celeritate atque alacritate inuasit altera castra, ut non magni momenti præsidio custodita. nec eos fefellit opinio. nam præter triarios & paucos alios militari robore præditos, cæterum vulgus negotiatorum, lixarum calonúmque, & opificum inerat. ibi multis in angustum locum concurrentibus: nam de aditu portæ certabatur: acri pugna coorta multi tam Romani quàm hostes cæsi sunt. Manlius quoque consul qui cũ æquitatu eò aduolauerat, prolapso equo non valens præ vulneribus resurgere periit, & circa eum ceciderunt multi alij fortes iuuenes. quo facto castra capta sunt, non irrito Tuscorum vaticinio. qua victoria si vti sciuissent hostes, & capta castra muniissent præsidio, potiti fuissent impedimentis, eiectis turpiter militibus. nunc ad direptionem versi, & plerique ad curam corporum, egregiam prædam emiserunt è manibus. Vt enim alter consul amissa castra cognouit, properauit eò cum lectißimis equitum atque peditum cuius aduentu audito Hetrusci discurrentes in vallum corona facta propugnab.nt fortiter: fuitque ingens

certamen, his sua recipere conantibus, illis si expugnarentur internecionem timentibus. quod cū protraheretur diutius, Hetruscis è superiori loco contra totius diei labore fessos propugnantibus, T. Sicinius legatus cum COS. communicato consilio iussit receptui canere, & simul collectos vnum tantum castrorum latus oppugnare, quod videbatur minus munitum quàm cætera. portas autem omisit ratione probabili, qua minime falsus est, remissuros contentionem si salutem sperauerint. qua desperata si vndique cingerentur hostibus nullo patente exitu, ausuros extrema necessario. itaque dum vnū tantummodo latus oppugnatur, Hetrusci omissa pugna per auersam portam in sua castra se receperunt. Consul verò hac clade depulsa rursum recurrit in aciem. Ferunt nunquam ad eam ætatem Romanos pugnasse tam magno prælio, siue diuturnitas eius spectetur, siue pugnatorum numerositas, siue fortunæ nunc his nunc illis fauentis vicißitudines. erant enim vrbanæ iuuentutis circiter XX. millia peditum, & cum his equites alarij IIII. legionum MCC. colonorum quoque & sociorum par numerus. pugnatum est autē vsque ad solis occasum, cum cœpissent paulo ante meridiem. Fortuna verò diu nutauit, nunc huc nunc illuc inclinante victoria. alter consulum cecidit: & vnus legatorum qui bis consul fuerat, aliique multi tribuni & centuriones quot nunquàm antea. Victoria tamen penes Rom. fuisse videtur, non ob aliud quàm quòd sequenti nocte Hetrusci desertis castris abierunt. Postera die Romani direptis hostium castris & sepultis suorum cadaueribus, in castra se receperunt. Ibi pro concione donati sunt ob egregiam virtutem & hesternam fortem operam, primum Cæso Fabius consulis frater mirificis facinoribus spectatißimus,

T 5 secun

secundo loco T. Sicinius cuius consilio castra recepta fuerant, tertio M. Flauoleius primipili centurio, vel ob iusiurandum, vel ob admirandam fortitudinem. His peractis & paucis aliquot diebus in eisdem castris consumptis, postquam nullos amplius hostes viderunt qui pugnare cuperēt, domum reuersi sunt. Cúmque totus populus pro maximo prælio feliciter depugnato triumphum offerret superstiti consuli, recusauit ipse negans vel fas vel ius esse in fratris & collegæ funeribus lauream sumere. Itaque repositis signis dimissísque militibus consulatum eiurauit, cum duo menses superessent de magistratu annuo. non poterat enim obire consularia munia vulnere immani saucius ita vt decumberet. Senatus interreges elegit comitiorum gratia, quibus à secundo interrege habitis creatus est Cæso Fabius is qui militaribus donis ornatus fuerat, frater eius qui modò consulatu decesserat, nunc tertium consul, & cum eo T. Virginius. Hi cum exercitibus quos cuique sors dederat profecti sunt, Fabius contra Aequos Latini agri populatores, Virginius contra Veientes. Aequi aduentu exercitus cognito, propere castris ex hostico motis receperunt se in sua oppida. agros eorum consul impunè populatus est, ita vt multa præda, multis captiuis potiretur negotio minimo. Cæterùm Veientes cum à principio mœnibus se continuissent, tandem occasionem nacti hostes per campos dispalatos & prædabundos aggressi ordinibus instructis, recepta præda multos occiderunt ausos congredi, reliquos in fugam verterunt. Et nisi T. Sicinius legatus cum instructa manu peditum equitúmque succurrens eos repressisset, potuisset deleri totus exercitus: sed huius interuentu reliquis data est in vnum se recolligendi copia. iámque congregati omnes tumulum

lum

lum quendam occupant sub vesperam, vbi secutam noctem egerunt. Hac victoria Veientes elati obsederunt tumulum, & alios ex vrbe acciuerunt, quasi obsessos breui ob rerum inopiam ad deditionem coacturi. Cumque magna multitudo venisset, bina castra fecerunt ad latera tumuli minus ardua. aliis quoque multis locis opportunis disposuerunt minores custodias, vt armatis replerentur omnia. at Fabius per literas à collega monitus de obsessorum extremo periculo, fame subigendorum nisi maturè succurratur, motis castris properauit contra Veiētes: & si vna die serius venisset, nihil profecisset rebus perditis superueniens. pressi enim inopia prodierant in pugnam vt morerētur honestius, & congressi pugnabant fessis corporibus inedia, siti, vigiliis, aliisq; incommodis: sed paulò pòst cōspectus exercitus Fabij magnus & instructus, suis audaciam, hostibus pauorem attulit. nam Hetrusci rati se validis & recentibus copiis impares, relictis castris abierunt. At Romani exercitus postquam conuenerunt, magnis castris propè vrbem loco munito positis per aliquot dies optimam Veientis agri partem populati domum reuersi sunt. Veientes vt audiuerunt Romanum exercitum dimissum, cum expedita iuuentute sua vicinorumq; populorum irruperunt in campos finitimos, eósque refertos frugibus, pecoribus, hominibus, diripuerunt. descenderant enim è munimentis coloni propter pabulum pecorum agrorúmque culturam freti exercitu suo: quo opinione citius domum reuerso priusquam illi se in tutum reciperent, nemine sperante se afflictos Veientes tam cito ausuros hostilia, breui tempore magnam Romani agri partem percurrerunt populando vsque Tiberim & montē Ianiculum ad vigesimum ab vrbe stadium & vlterius, non minora

damno

damno populi Romani quàm ignominia: quòd nullæ essent sub signis quæ eos prohiberent copiæ: ita hæc excursio facta est prius quàm colligerentur & centuriarentur Romani milites. In senatu post consultationẽ de modo belli gerendi cum Veientibus, placuit ad agrorum tutelam præsidium haberi continenter in finibus. Sed grauabantur sumptu, quòd ærarium esset exhaustum continuis expeditionibus, nec priuatorum hominum tributa sufficerent: nec parum difficultatis erat in conscribendis militibus: quòd nemo volens proficisceretur in eam militiam, vbi non per vices sed indesinenter exercendi essent laboribus. His de causis senatum hæsitantem & anxium autore consule Fabia gens adiit, vltro suam operam ad hoc bellum offerens, clientibus & amicis iuuantibus suo sumptu id sustinere pollicens. Quibus ingentibus gratiis actis, & in hac eorum promptitudine spe victoriæ tota collocata, sumptis armis profecti sunt, populo familiam inter patritias clarissimam ad cœlum ferente laudibus, & ire fortes, ire felices iubente, deósque votis & sacrificiis solicitante, vt inceptis euentus pares concederent. Præerat eis M. Fabius, qui superiore anno consul Hetruscos prælio vicerat, ducebátque ad summum quatuor millia militum. horum maior pars clientes erant & sodales, ex ipsa Fabia gente CCC. & sex viri. eam manum paulo post alia secuta est, ductu Cæsonis Fabij consulis. Cúmque peruenissent prope fluuium Cremeram, qui non longe à Veiis abest, castellum pro copiarum numero in tumulo quodam prærupto communiunt, duplici fossa & aggere cinctum distincto crebris turribus, cui de fluuio nomen indiderant Cremera: quod opus per multas operas & consule adiutante citius opinione absolutum est. eo perfecto M. Fabius ad vl-

terior

teriorem Veientem agrum prouectus qui reliquam contingit Hetruriam, vbi erant Veientium pecora, quòd nunquam eo venturum Romanum militem crederent, magnam prædam abegit in castellum recens conditum, lætus vel quòd hosti tam cito dignam persoluisset gratiam, vel quòd præsidiariis magnam pararet copiam. nihil enim in publicum retulit, nec militibus diuisit, sed pecora, iumenta, iuga boum, ferramenta, reliquúmque instrumentum rusticum colonis castellanis largitus est, atque his peractis reduxit exercitum. Cæterùm Veientium res post eum locum communitum non bene se habebant, quòd nec agricolatio tuta esset, nec importatio commeatuum. Nam Fabij diuisis quadrifariam copiis, vna parte præsidio castelli relicta, tribus aliis agrum hosticum infestabant prædas agentes ferentésque: & sæpe Veientem hostem nunc ex insidiis nunc apertè se inuadentem profligauerunt multísque cæsis intra munimenta se receperunt. quo factum est vt illi ne auderent quidē congredi amplius, sed intra mœnia plerunque se continentes non nisi furtim progrederentur: atque ita hiems ea exacta est. Sequenti anno L. Aemilio, C. Seruilio COSS. nuntiatum est Romam Volscos & Aequos fœdere iunctos in Romanum agrum propediem irruptionem facturos, nec falsus erat nuntius. Vtrique opinione citius proximos quosque agros vastabant, rati Romanos & sibi repellendis & bello Hetrusco gerendo fore impares. Rursus aliunde nuntiabatur totam Hetruriam in bellum conspirasse, decreuisséque Veientibus auxilia. Confugerāt enim ad eorū opem non valētes excindere castellum domesticis viribus, obsecrantes per cognationem & amicitiam tótque bella gesta communibus auspiciis, vt horum omniū memores bello

se iuuar

ſe iuuarent contra Ro.populum, qui oppoſiti pro tota Hetruria continuum bellum ſuſtineant, Romanos obiectu ſuo arcentes à reliquis eius regionis populis. quibus rationibus Hetruſci perſuaſi polliciti ſunt eis quantum petebant auxiliarem exercitum. His cognitis ſenatus ſtatuit tres exercitus emittere, properatíſque delectibus L. Aemilius contra Hetruſcos miſſus eſt. cum eo profectus eſt Caſo Fabius ſuperioris anni conſul impetrata a ſenatu venia vt ſibi liceat intereſſe bello quod gentiles ſui Cremerenſes gerebant, Marci fratris ductu in eam militiam profecti anno proximo: eſtq́ ei proconſularis poteſtas addita. Alter conſul C. Seruilius in Volſcos duxit exercitum: in Aequos verò proconſ. Ser. Furius. In vno quoque exercitu duæ legiones erant, Latinorum, Hernicorum, aliorúmque ſociorum par numerus. Proconſul Furius non minus feliciter quàm celeriter bellum confecit. vno enim prælio Aequos fudit ac fugauit, idq́ minimo negotio, primo ſtatim congreſſu territos: deinde agros vaſtauit hoſte compulſo intra mœnia. Seruilio temere ac præpropere congreſſo non ſucceſſit ex animi ſententia Volſcis præualentibus. itaque neceſſe habuit amiſſis multis viris fortibus poſt hac abſtinere à præliis, & intra caſtra manendo per velitationes ſolas bellum ducere. Cæterùm L. Aemilius quem in Hetruriam miſſum diximus, exercitu Veientium ante ipſorum vrbem inuento, ſimúlque magnis eiuſdem gentis auxiliis, nihil cunctatus eſt: ſed altera die poſtquam caſtrametatus eſt producto in aciem exercitu acerrimè conflixit cum hoſtibus. Cúmque ancipiti marte certaretur, equitatum immiſit in dextrum cornu hoſtium. quo perturbato in alterum inuectus eſt. ex equo pugnans quà loci natura id patiebatur: vbi minus, deſiliens

in ped

in pedes, & pugnam prosequens. Laborante autem vtroque cornu ne media quidem acies locum suum retinere potuit, sed impulsa est ab aduersariis peditibus: ac mox omnes in castra compulsi sunt. Nec Aemilius persequi destitit seruatis interim ordinibus, cadens terga postremi agminis. Castra quoque per totam eam diem & sequentem noctem sine intermissione oppugnata sunt. sequenti verò die hostibus lassitudine, vulneribus, peruigilio deficientibus vi capta sunt. Hetrusci vbi viderunt vallum transcendi, desertis castris pars in vrbem refugerunt, pars in montes proximos. Ea die consul permansit in castris hostium: sequenti verò coronis viros fortes donauit aliísque donis militaribus: & quicquid in castris repertum est iumentorum atque mancipiorum opulentáque tentoria militibus in prædam concessit, ditato magis quàm antè vnquam exercitu. sumptuosa enim & delicato victui consueta Hetruscorum gens erat tam domi quàm militiæ, circumferens secum præter necessarios commeatus diuitem & arte laboratam supellectilem variam, quotidianarum voluptatum instrumentum luxuriosissimum. Insequentibus diebus fessi multum Veientes pacem à consule petierunt per legatos supplices. qui cum lacrymis multa questi & precati ad mouendam miserationem, impetrauerunt vt sibi liceat legatione ad senatum missa de pace agere: interim dum responsum refertur, milites abstineant à maleficiis. pro hac legatione concessa COS. imperauit eis frumentum duorum mensium in vsum exercitus, & stipendium sex mensium: quibus acceptis & inter milites diuisis, induciæ factæ sunt. Senatus legatis auditis & consulis literis acceptis, rogantis ac monētis vt celeriter bellum

Hetruscum finirent, hostibus pacem quam peterent dari statuit iis legibus, quæ L. Aemilio COS. viderentur optimæ. COS. ex S. C. populum Veientem in fœdus pacis recepit, magis æquitatis ratione habita quàm utilitatis victoris populi, nō agro mulctatum, non aliis pecuniis, ne obsidibus quidem acceptis ad fidei certitudinem id factum ei magnam inuidiam attulit, effecitque vt fraudaretur debita pro rebus bene gestis gratia. nam triumphum petenti obiecta est arrogantia, quòd leges fœderis non ex senatus sententia præscripserit quod ne per iram aut in suam cotumeliam factum interpretaretur, bellum Volscum ei decreuerunt: vt ope sua subleuato collega, & illic quoque si posset rebus gestis feliciter (erat enim vir admodum fortis) aboleret indignationem errato priore meritam. at ille offensus hac repulsa vehementer de senatu apud populum questus est, quòd patres ægrè ferrent Hetrusco bello finem impositum. id eos insidiose & in contemptum pauperum facere, ne bellis externis leuati promissos agros reposcant, toties iam decepti eorum fallaciis. his & huiusmodi aliis probris per furorem asperso patritiorum ordine dimisit suum exercitum: proconsulis quoque Furij copias ex Aequis reuocatas sacramento soluit: vnde tribunis magna senatum pro concionibus accusandi materia præbita est, dissidiáque strendi pauperes inter & diuites. Sequuntur consules C. Horatius, T. Menenius, LXXVI. Olympiade, qua vicit in stadio Scamander Mitylenæus, Phædone Athenis principe. Hi principiò ciuili tumultu impediebantur quo minus res gererent, irritata plebe, & nihil aliud agi sinente prius quàm diuideretur ager publicus: sed postea tales turbationes præsenti necessitati cesserunt, vt volentes nolentes irent in militiam.

tiam. nam Hetruſcorum vndecim populi pacis expertes in communi concilio Vcientes accuſabant, quòd inconſultis cæteris pacem cum Romanis fecerint, & alterutrum ab eis poſtulabant, aut diſcederent à Romanorum fœdere, aut in illorum partes concedentes contra ſe bellum ex profeſſo gererent. Veientes pacis neceſſitatem excuſabant, à qua quomodo honeſtè diſcedere poſſent, concilio diſpiciendum relinquebant. Tum quidam ſubmonuit, accuſari poſſe non deductum è caſtello Cremera præſidium. hoc vt fiat petendũ eſſe, & ni impetretur, ab oppugnatione caſtelli bellum inchoandum. In hæc poſtquam conſenſum eſt, dimiſerunt concilium: nec multo pòſt Vcientes legatis ad Fabios miſſis repetebant caſtellum, armata iam tota Hetruria. Hæc vbi Romæ ex ipſorum Fabiorum literis ſunt cognita, iuſſi ſunt ambo COSS. ad bellum proficiſci, tum hoc nouum Hetruſcum tũ Volſcum illud iamdudum inceptum. Horatius duas legiones duxit cum validis ſociorum auxiliis. Tantundem copiarum attributum eſt Menenio ituro in Hetruſcam militiam qui dum cunctantius profectionem expedit, interim Cremera expugnata eſt deleta internecione gente Fabia. De hac clade duplex eſt opinio, ſed altera veriſimilior: mihi vtramque libet apponere, ita vt comperi. quidam aiunt cum inſtaret gentile ſacrificium profectos ad id comitatos paucis clientibus, nec ſub ſignis, nec explorato itinere, ſed negligenter quaſi per pacatum incederent. Hetruſcos verò qui hæc præſciuerant, miſſa copiarum parte ſtruxiſſe inſidias in via: reliquam verò partem ſecutam interuallo modico. deinde cum ad locum inſeſſum veniſſent Fabij. Hetruſcos aggreſſos illos tam à fronte quàm à lateribus, & paulo poſt ſuperueniſſe à

tergo reliquos. sic vndique circumuentos à funditoribus sagittariis iaculatoribúsque vario missilium genere confixos atque obrutos eminus. Sed hæc narratio mihi minus fit verisimilis. nam neque tot viros sacrorum causa in vrbem absque S. C. reuersos est probabile, cum ea sacra curari potuerint per gentiles relictos in vrbe iam ætatis emeritæ homines: & vt nulli domi relicti fuerint, vix credibile est omnes decessisse ex præsidio. poterant enim tres quatuórve pro tota gente sacra facere. quamobrem mihi hoc videtur incredibile. Propius veritati existimo quod alij tam de gentis interitu quàm de castello capto produnt in hunc modum. Cum sæpenumero prædatum exirent, & inuitatæ successibus cohortes continuè procederent vlterius, Hetrusci parato valido exercitu in propinquo castra posuerunt clàm hostibus. deinde propulsis in pascua gregibus pecorum armentísque equorum & boum illectabant viros ad prædam eo modo. illi castello egressi comprehensis pastoribus abigebant pecora. Hæc sæpius factitando Hetrusci, sempérque proliciendo hostem longius à munitionibus, corruptis nimia securitate illorum animis, & inescatis lucro continuo, noctu locis opportunis disposuerunt insidias, præmissis qui occuparent imminentes campis speculas. sequenti die multa armenta è castellis emiserunt cum paucorum armatorum præsidio. Hoc Fabiis nuntiato, esse vltra proximos colles campum plenum omni pecudum genere, eorúmque non satis custoditorum ab exigua manu militum, prodierunt è castello relictis tantum præsidiariis, emensóque propere medio spatio venerunt in conspectum custodum, qui non expectauerunt eorum impetum. at Fabij iam securi captis pastoribus abigebant etiam pecudes. interea Hetrusci multis locis

coorti

coorti ex insidiis vndique in eos impetum faciunt. ibi Romani plerique palantes prius quàm sibi inuicem possent succurrere, oppressi sunt. vnus eorum globus festinans ad montana vt se in locum tutum reciperet, in alias insidias inter fruteta incidit. ibi acri pugna commissa cædes vtrinque magna facta est. tandem ingenti strage edita superstites euaserunt in arduum quendam tumulum, vbi sequentem noctem egerunt sine commeatibus. Sequenti verò luce præsidiarij cognito suorum casu, maiorem partem prædatorum cæsam, fortissimum quemque oppugnari obsessos in deserto quodam tumulo, & nisi maturè subueniatur subigendos victus inopia, exierunt magna festinatione perpaucis relictis ad castelli custodiam. hos Hetrusci prius quàm coniungerentur cum alteris circumuenerunt, & fortissimè repugnantes tandem ad vnum interfecerunt. nec multo pòst illi obsessi in tumulo fame sitíque premente statuerunt cum hoste congredi, paucique cum multis confligentes à mane pugnauerunt vsque ad vesperam, tanta strage hostium vt multis locis impedirentur aceruis cadauerum. Hetrusci amissa plus quàm tertia parte suorum, & reliquis timentes, signo receptui dato pugnáque intermissa, per caduceatores offerebant eis tutum transitum, si traditis armis castello excederent. quas conditiones viris illis auersantibus, malentibúsque oppetere fortiter, instaurato prælio per vices eos aggressi sunt, non iam vt antè cominus, sed è longinquo certatim petentes saxis alíisque telis missilibus instar hibernæ niuis. Romani milites in globos condensati procurrebant in hostem: quo retro cedente configebantur telis vndique. iámque gladiis vel hebetatis vel fractis, clypeis circumquaque perforatis, stabant exangues plerique & telis horrentes, membris præ

multitudine vulnerum languidis, cum Hetruſci contemptim eos inuadunt. at Romani ferarum ritu occurrentes, eorum haſtilia prehendentes perfringebant, & gladios extorquebant: quidam ex ſtrage reſurgentes conglobati repugnabant animis magis quàm corporibus. quamobrem hoſtes retro ceſſerunt peruicacia virorum territi, & audacia quam ex vitæ deſperatione conceperant: rurſusq́ ſaxis eos eminus impetebant, & quicquid contentio telum faceret. ita tandem miſſilibus ſunt obruti. victores accurrerunt ad præſidiarios, præ ſe gerentes illuſtrium virorum præfixa contis capita, ſine mora deditionem ſperantes, ſed fruſtra. nam reliquiæ Fabianorum accenſæ æmulatione generoſi ſociorum exitus, prodierunt admodum exigui, numero, & poſt longum certamen eodem quo cæteri modo internecione deleti ſunt. caſtellum militibus vacuum ab Hetruſcis captum eſt. Hæc narratio fide dignior videtur mihi quàm altera illa quam prius memorauimus, quamuis vtraque graues Romanorum hiſtoricos autores habeat. quod verò addunt aliqui nec verum nec veriſimile, ſed vanis rumoribus ad poſteros traditum, operæpretium eſt coarguere. dicunt enim quidam CCCVI. Fabiis cæſis ex tota gente vnicum puerum relictum ſuperſtitem, id quod ne fieri quidem potuit. nec enim poterant omnes cælibes eſſe ac ſine filiis. nam priſca lege cogebantur vxores per ætatem ducere, educaréque liberos, quam diligenter vſque ad ſuum ſeculum ſeruatam haudquaquam ſoli contempſiſſent Fabij. ſed detur hoc quoque, illud certè dari non poteſt, ne fratrem quidem ætatis teneræ fuiſſe illorum cuiquam. fabulis enim hoc eſſet ſimile figmentíſque theatricis. Iam patres eorum ad tantam orbitatem redacti, necdum omnes effœti, annon volentes

lentes nolentes dedissent operam liberis, ne cultores deessent sacris gentilitiis, néve familia tam nobilis interiret? quòd si ne patres quidem habuerunt superstites, prodigiosa certè res in tanto numero nemini fuisse infantem filium, aut vxorē grauidam, aut puerum fraterculum, aut patrem ætatis integræ. Hæc reputans veram eam famam non credo. Illud verum est, cum in trium fratrum, Cæsonis, Marci, Quinti, domo per septennium consulatus continuatus sit, soli Marco superstitem fuisse filiolum. atque has intelligi Fabiæ familiæ reliquias nihil prohibet. & quia nemo ex ea gente inclaruit præter hunc iam adultum, hinc natam esse multorum opinionem, neminem præterea superfuisse Fabium, non quòd nullus prorsus alius relictus sit, sed quòd nullus illis similis, virtutem non cognationem æstimando. Et de his quidem hæc dixisse sufficiat. Hetrusci Fabiis cæsis captáque Cremera duxerunt exercitum porrò contra legiones Romanas reliquas. non longe enim inde erant castra Menenij consulis parum tuto loco sita. & quando Fabia gens cum clientelis suis periit, consularis exercitus circiter XXX. stadiis à loco cladis aberat: quapropter multorum opinio fuit, sciuisse consulem periculum Fabiorum, sed neglexisse, quòd inuideret eis tantam virtutem & gloriam, quo factum est vt pòst accusatus à tribunis, hac potissimum de causa damnatus sit. Vehementer enim populus Romanus luxit tot talium virorum virtute mulctatus, & implacabili odio prosecutus est quicquid eius cladis causam præbuisse videretur: diem quoq; huius casus inter atros & nefastos retulit, & ad quiduis boni operis auspicandum religiosos. Hetrusci verò vbi prope Romanos venerunt, visis eorum castris sub montis latere, contempserunt

ducis imperitiam: & vsi fortunæ beneficio, mox assumpto equitatu euaserunt per alterum montis latus in verticem prohibente nemine. occupatóque imminente Romanis tumulo impesuerunt ei præsidium: ac deinde per otium adductis eò cæteris copijs castra vallo & profunda fossa munierunt. quòd si Menenius animaduertisset quanto potiore loco essent res hostium, & intellecto errore suo periculóque exercitus transtulisset eum aliò, sapienter fecisset. nunc verò quia pudendum ducebat peccasse videri, difficilis monitoribus in verè pudendam cladem incidit. nam hostes qui è loco superiore interdum ad velitationes progrediebantur, nunquam inferiores discedebant. sæpe commeatus intercipientes, & pabulatores aquatorésque per insidias opprimentes: eóque redegerunt consulem, vt nec tempus nec locum pugnæ posset eligere, quod apud imperatores maximæ habetur imperitiæ. contrà Hetrusci vtriusq; horum habebant arbitrium. attamen ne tum quidem castra mouere Menenius sustinuit, sed maluit in aciem suos educere spretis monitoribus. Hetrusci verò in rem suam vtentes amentia consulis descenderunt è castris duplo numero. vt verò conflixerunt exercitus cadebant multi Romani non valentes seruare ordines, Hetruscis à fronte propellentibus, quos loci natura iuuabat, suis verò à tergo vrgentibus, quòd in longum pateret Romana acies. itaque cæsis centurionum nobilissimis reliquus exercitus in castra compulsus est. victores & signis & saucijs & cadaueribus potiti sunt. castra quoq; continuata per diem noctémque oppugnatione capta sunt militibus profugientibus. multum ibi mancipiorum, multum reliquæ prædæ partum. contenti enim corpora seruare impedimenta reliquerant, ne armis quidem retentis

tentis

tentis plerique. At in vrbe postquam cognita est clades & castrorum expugnatio: nam ante lucem ex fuga primi venerant: magnus tumultus, vt par erat, exortus est: nec aliter quàm si mox irruiturus esset hostis, arreptis armis magna discursatione alij mœnia petebant, alij stationem proportis, nonnulli occupabãt loca vrbis edita totáq; vrbs perstrepebat clamore confuso, domesticis vegetioribus singula tecta occupantibus: ignibus quoque continuatis vt in obscura nocte, & accensis per tecta cubiculáq; facibus collucebant omnia, incendij quandam speciem præbentia procul intuentibus quòd si tum Hetrusci contempta castrensi præda institissent vestigijs fugientium, totus ille exercitus deletus fuisset: nunc versi ad direptionem impedimentorum curámque corporum, egregia seipsos priuauerunt gloria. Sequenti die versus vrbem ducentes exercitum, Ianiculum montem XVI stadijs distantem occupant: ibi Romam in conspectu habentes agros impune populabantur magna urbanorum contumelia; donec alter consul Horatius è Volscis exercitum reduceret. tum demum Romani rem tutam rati armata iuuentute domestica produxerunt copias. pugnatum deinde ad Spei stadio ab vrbe octauo, hostésque profligati: atq; iterum ad Collinam portam maiore prælio fusi fugatíque egregiè: quibus duabus victorijs respirauit à pauore populus, simúlque is annus peruenit ad exitum. Sequenti anno post æstiuum solstitium sextili mense consulatum inierunt viri rei militaris prudentes, Sp. Seruilius, A. Virginius: quibus bellum Hetruscum durum alioqui & difficile videbatur vtile collatum ad res domesticas, nam cum proxima hieme desertus & incultus fuisset ager propter occupatum vicinum montem & excursiones continuas, ac ne

externi quidem commeatus importarentur à negotiatoribus, laboratum est magna inopia frumenti. vrbe præter domesticam turbam agrestium quoque multitudine referta. inerant enim centum & decem millia ciuium qui pubertatem attigerant, vt proximo censu liquuit: mulierum autem & puerorum, seruitiorum item, negotiatorum & opificum inquilinorum (nemini enim ciui Romano aut cauponari, aut opificia sordida exercere licebat) triplū tantum quantum ciuium: quibus difficile erat verba dare concurrentibus in forum, indignantibus & in magistratus vociferantibus, cateruatímq; in ædes diuitum irruentibus, & sine pretio diripere conantibus penuaria. Nec cessabant interim tribuni, sed pro concione accusabant patritios: semper eos aliquid moliri contra pauperes dicentes, & vniuersa quæ vnquam acciderant mala, etiam quæ ineuitabilis fortunæ vis afferre solet mortalibus, in illorum referentes malitiam: atque ita magis exacerbabant vulgus suapte sponte procliue ad contumelias. In tam misero rerum statu COSS. dimissis in propinqua loca qui commeatus coëmerēt, per singulas quoque domos ciues frumentum profiteri iusserunt, vt quod superesset familiari vsui conferretur in publicum. quibus artibus effecerunt ne pauperum audacia prorumperet in facinora, vt que magis vacaret delectus habere. Postremo absumptis omnibus quæ domi ad victum prodesse poterant, externis commeatibus tardius subuenientibus, foris hoste vrgente, intus fame, leuius malum duxerunt se ac suos externis periculis exponere, quàm intra mœnia seditionibus & inopia confici: eductisque copijs intempesta nocte traiecerunt flumen ratibus, & prius quàm clara dies illuceret castra contulerunt cum hostibus. sequenti verò die militem produxer

duxerunt in aciem. In dextro cornu Virginius præerat, in sinistro Seruilius. Lætum id fuit Hetruscis, si semel etiam succederet, afflicturis Romanam potentiam, quòd scirent imperij robur in ea stare acie, & spes licet vana victoriam promitteret, quia Menenij copias iniquo loco superauerant. Commissum est acre prælium & diuturnum: Hetrusci multis cæsis, pluribus amissis, in castra se receperunt. Virginius dextrum cornu cohibuit ne retro cedentibus insisteret, iubens contentos esse præsenti successu. Seruilius alteri cornui præfectus cum suis diu persecutus est eos qui sibi oppositi fuerunt. ut verò ad acclinia ventum est, conuersi Hetrusci succurrente & castrorum præsidio fecerunt in persecutores suos impetum. qui cum aliquantisper restitissent, coacti terga vertere, propulsíque per decliuia, disiecti passim cæsi sunt. at Virginius cognito sinistri cornus casu, per montē suos instructos duxit transuerso itinere: & superueniens à tergo hostibus suos persequentibus partem militum reliquit ad prohibendos siqui e castris in auxilium suorum prorumperent, cum reliquis hostes inuasit: interea Seruiliani resumptis animis in pugnam reuersi sunt. itaque circumuenti Hetrusci cum neque perrumpere possent oppositam aciem, neque in castra urgentibus à tergo alijs refugere, misere maior pars contrucidati sunt. Romani cruēta victoria potiti sunt, ne ipsis quidem admodum læto euentu prælij. Consules in castris ibi circa stragem positis pernoctauerunt. At ea manus Hetruscorum quæ Ianiculum montem occupauerat, quoniam domo nulla submittebantur auxilia, decreuit præsidio decedere: noctúque profecta Veios petebat, quæ ciuitas Hetruscarū erat sibi proxima. Romani castris potiti, direptis impedimentis quæ in fuga per trepidationem reli-

cta fuerant. saucios etiam multos ceperunt, vel in tentorijs iacentes vel passim stratos toto itinere. quidam enim desiderio patriæ supra vires ausi conabantur sequi suorum discessum, postea deficientes collabebantur semineces: quos Romanorum equites ad multum viæ persecuti conficiebant. Fusis fugatisque hostibus, castello diruto, milites cum spolijs in vrbem reuersi sunt, referentes in prælio cæsorum cadauera, miserabile ciuitati spectaculum propter desideratos tot viros fortissimos, populo ancipite inter luctum & victorialem lætitiam. Senatus dijs persoluit votiuas victimas, consulibus triumphum negauit. nec ita multo pòst vrbs repleta est commeatibus varijs, partim coemptis ære publico, partim subuectis à frumentarijs negotiatoribus, ita vt restitueretur annonæ pristina vilitas. Finitis bellis externis intestina seditio recrudhuit, tribunis plebem turbantibus. quorum cæteras actiones patres impedierunt delinitis singulis: cæterùm accusationem Menenij qui superiore anno consul fuerat, impedire frustra conati sunt. Q. Considius & T. Genucius diem ei dixerunt: iussusque rationem reddere parum feliciter administrati imperij, & in primis amissæ Cremeræ atque Fabiorum exitij, cum haud procul inde statiua habuisset, tributis comitijs iudicatus fermè omnibus calculis damnatus est: quamuis esset Agrippæ Menenij filius, eius qui plebem patritijs reconciliatam in vrbem reduxerat, quique defunctus à senatu publicis impensis magnificè funeratus fuerat, & à matronis honoratus luctu annuo non tamen capitalis mulcta fuit, sed pecuniaria, si ad nostri seculi mores ac vitas conferatur ridicula: sed illius temporis hominibus suis manibus necessarium victum quærentibus, præsertim huic cui paupertas pro patrimon

trimonio relicta fuerat, grauis, duo millia aerorum assium. id nomisma librale fuit, vt tota mulcta sedecim talenta aeris conficeret. Inuidiosum hoc videbatur eo seculo, ac proinde mitigatum est abrogatis mulctis pecuniarijs & translatis ad boues pecoráque, taxato numero vltra quem non liceret magistratui à priuatis mulctam exigere. Hæc Menenij damnatio rursus exasperauit erga plebem patritiorum animos, vt neq; agrorum diuisionem fieri permitterent, nec vlla in re vellent ei gratificari. Et paulò pòst ipsam plebem eius iudicij pœnituit, vbi cognouit de eius viri obitu. nam vitata hominum consuetudine nunquam postea conspectus est in publico: cúmque posset exsoluta mulcta versari in munijs publicis, paratis ad numerandum amicis, noluit: sed vita seipsum mulctans domi mœrore inediáque contabuit. nec aliud eo anno gestum est. P. Valerio Publicola, C. Nautio COSS. *initio statim anni, alius vir patritius Sp. Seruilius, vt consulatu abijt reus capitis fuit, à L. Caditio & T. Statio Trr. pl. die dicta. ab eo magis infortunij quàm peccati exigebatur ratio, quòd proximo prælio Hetruscos in castra refugientes audacius persecutus quàm prudentius, móxque eruptione facta repulsus, robur iuuentutis amiserit. Hoc viri periculum indignissimè tulerũt patritij. rem non ferendã inter se dictitãtes, eos qui se pro rep. impigrè hostibus obijciant, si aduersa fortuna reflauerit ignauiæ accusari ab ijs qui nunquam in acie steterint: atque hoc modo cohibita ducum audacia libertatem simul & imperium venire in periculum. itaq; magnis deprecationibus apud plebeios agebant ne damnarent hominem. ostendentes non esse è rep. damnari duces ob infortunium. postquam autem dies iudicij venit, progressus in medium L. Caditius accusationem*

exorsus

exorsus est, dicens illius stultitia & imperitia in manifestariam perniciem inductum exercitum desideratumque robur & florem Rom pop. & nisi re cognita collega festinus opem tulisset represso impetu hostium, suósque ciues seruasset, deleto altero exercitu in posterum dimidium tantummodo virium habituram fuisse remp. His dictis testes citabat centuriones superstites & quosdam milites alios, qui ad tegendam suae fugae ignominiam, infelicitatem duci vertebant crimini. post haec magnam miserationem defunctorum mouens, & cladem exaggerans, multis verbis contemptim effusis in patritiorum inuidiam vt eos à deprecando deterreret, reo pro se dicendi fecit potestatem. Tum Seruilius sic defensionem aggressus est. Si in iudicium me vocastis Quirites, & officij mei rationem reposcitis, paratus sum causam dicere: sin ad certum supplicium, & nihilo potiore conditione futurus sum approbata innocentia, iam nunc arreptum hoc corpus tractate vt libitum est. Sic enim mori felicius existimo quàm peracta causa non persuasisse iudicibus. tum enim videbor merito pati quicquid de me statueritis. vestra quoq; minor erit culpa, si etiamnum incerti criminis reum per iram necaueritis. licebit autem mihi de animis vestris coniecturam sumere ex tumultu aut silentio, vtrum ad supplicium proniores sitis an ad iudicium. His dictis reticuit. mox silentio praebito, & plerisque bono animo esse iubentibus ac quicquid vellet dicere, denuo exorsus est. Ergo si iudices vos Quirites non inimicos habeo, facilè vobis approbabo meam innocentiam. incipiam autem ab ijs quae vobis omnibus sunt notissima. Ego creatus sum consul cum optimo hoc Virginio, quo tempore Hetrusci communito in Ianiculo praesidio, agróque Romano in suam potestatem

redact

redacto. spem cœperant breui se deleturos vestrum imperium. intra mœnia fame interim simúlque seditione laborabatur. nec expediebatur vllum salubre consilium. tam iniquo reip. tempore, támque turbulento & horribili, admotus gubernaculis, hostes ope collegæ vici duobus prælijs, coegíque deserto præsidio discedere: breuíque pòst famem populi repleto foro commeatibus venalibus, & successoribus meis agrum hostibus vacuum, vrbem sanam ac tranquillam tradidi. Cuius igitur criminis reus sum? nisi fortè victoria crimen est. quòd si aliqui milites in prælio feliciter depugnato ciderunt, quæ culpa est Seruilij? nec enim deum aliquem duces habent sponsorem vitæ descendentium in prælium: nec ea conditione imperium accipimus, vt omnes hostes deuincamus integris nostris copijs. quis enim mortalium in se tam fortunæ quàm consiliorum euentus reciperet? Sed magna opera præmia semper magnis emuntur periculis. Nec mihi primo cum hostibus congresso hic casus accidit, sed propemodum omnibus qui vnquam minore manu maiorem exercitum ausi sunt aggredi. Nam sæpe vsu venit vt qui modò persequebantur hostem mox ipsi fugerent, & qui multos occiderant plures è suis amitterent. Taceo multos omnino victos accepta clade maxima reuersos domum cum ignominia, quorum nemo pœnas dedit infortunij. Satis enim ad pœnam est ipsa calamitas: & hoc ipsum laude frustrari grauis ac molesta iactura est ducibus, etiamsi nihil accedat præterea. Et tamen tantum abest vt detrectem, quod meo iure possem, etiam pro fortuna causam dicere, vt præter cæterorum ducum morem patiar in disquisitionem vocari fortunam meam non minus quàm consilium: modo hoc vnum præfari mihi liceat, me humanarum actionum felicitatem infe-

licitat

licitatémve non ex ipsis actionibus iudicare, quibus tantam varietatem inesse video, sed ex earum euentu. qui si ex sententia ceciderit, etiamsi permulta tristia ad eum perueniatur, nihilominus laude ac æmulatione omnium dignum haberi audio, & ad bonam fortunam referri. quoties verò finis malus est, etiamsi omnia iucũda præcesserint, id non felicitati tribui sed infortunio. Huc igitur spectantes examinate fortunam quæ mihi in bello hoc adfuit. Si me victum fuisse comperietis, malam pronuntiate: sin victorem, bonam. Verùm de fortuna, quoniam eam disputationem molestam video, & si plura dicere possim, desino. Sed quia consilium quoque meum accusatur, non proditionis aut ignauiæ: nec enim tam perfrictæ frontis sunt aduersarij, vt hæc vulgata cæterorum ducum reorum crimina obijcere audeant: sed imperitiæ militarium artium & insipientiæ, quòd periculum subierim non necessarium vsque castra hostem persecutus, reddam etiam huius rationem: cum in promptu mihi sit dicere: aliena facta reprehendere facillimum esse cuiuis, res egregias gerere perdifficile paucisque datum, neq; tam facilè futura prospici, vt iudicari de præteritis: quandoquidem hæc sensibus percipimus, illa præsagijs atque coniecturis colligimus, in quibus inest fallaciarum plurimum. perfacile item cuiuis esse verbis ductare ac regere copias procul periculo, quemadmodum accusatores mei faciunt. Sed vt ista omittam, agite per deos dicite, solus ego aut primus castra visus sum aggredi, & exercitum per accliuia ducere? an idem fecerunt imperatores vestri alij, euentu vario? Cur igitur omißis alijs me iudicatis si hæc imperitè ac parum ex officio facta putatis? quàm multa exempla maioris audaciæ venerunt in mentem ducibus, quoties tempus non ferret

tuta consilia? quidam enim signiferis erepta signa coniecerunt in hostes medios, vt segnioribus necessitatem fortitudinis imponerent, scientibus fœdum supplicium propositum his qui signa non retulissent incolumia. quidam traductis in hosticum copijs ruperunt pontes fluminum, vt desperato effugio pugnaturis audaciã insererent. alij tentorijs vnà cum impedimentis crematis, effecerunt vt sui necessario ex hoste peterent quicquid opus haberent. Omitto infinita alia consilia ducum audacissima, vel nunc vsitata, vel à maioribus memoriæ prodita, quibus præter spem frustrati nunquàm ad pœnam vocati sunt. nisi hoc forsan aliquis obijciet, me alijs in manifestam perniciem expositis, ipsum mihi cauisse à periculo. quod si inter cæteros versatus postremus excessi prælio, cui feci iniuriam eiusdem cum alijs fortunæ particeps? atque hæc de meipso dixisse sufficiat. nunc de ordine amplissimo, quoniam communis odium propter agros non diuisos me quoque contingit, quod nec accusator dissimulauit, verùm bonam accusationis meæ partem in hoc insumpsit, libet paucis apud vos dicere. dicam autem liberè, sicut & vestra vtilitas & mea dignitas postulat. Præter ius & fas Quirites facitis, qui pro tot tantis senatus in vos beneficijs nullam habetis gratiam: quòd siquid vestris precibus negauerit, non per inuidiam, sed quia hoc impetrari non sit è rep. irascimini maiorem rationem haberi vtilitatis publicæ quàm vestri desiderij. atqui debueratis optima eius consulta boni consulere, & publicorum commodorum respectu à priuatis vestris cupiditatibus absistere: aut si non potestis ratione imperare affectibus noxijs, saltem persuadere quod postulatis, non per vim conari eripere. nam vltronea dona & dantibus iucundiora sunt quàm extorta, & accipientibus magis

perpetua quàm illa contraria. Quod vos me Dius fidius non consideratis, sed turbamini & efferamini, ac ne momento quidem temporis ciuitatem quiescere sinitis. Ergo præstat bellum habere quàm pacem. quãdo in bellis inimicis male facimus, amicis in pace. Atqui si putatis Quirites omnia senatus consilia honesta esse commodáque reipub. vt reuera sunt, quin hoc quoq; tale creditis? Sin prorsus nihil ita vt deberent curare opinamini, sed male turpitérque administrare rempub. quin potius in totum amoto magistratus ipsi capeßitis, in commune consulitis, bella pro imperio geritis quàm accidistis eum paulatímque consumitis, iudicijs tollentes quemque illustrißimum? satius enim esset nos in vniuersum à vobis infestari, quàm vnum post alium priuatis calumnijs appeti. Verùm non vos in culpa estis, sed concionatores isti qui vos perturbant, nec imperium ferentes nec imperare ipsi scientes. Et quantum ad istorum insipientiam atque imperitiam attinet, iam sæpe subuersum fuißet vobis hoc nauigium. nunc verò lapsus eorum corrigit, & ciuitatem seruat incolumẽ, hic ipse senatus qui tam male audit apud vos. Hæc siue iucunda vobis auditu, siue molesta, verißima certè ausus sum dicere, vt qui malim ob libertatem reip. vtilem emori, quàm ad solam voluptatem vestram loquendo seruari. Hæc locutus, nec vllis amplius querimonijs vsus aut deplorationibus deprecationibúsve abiectis & supplicibus. nec quicquam ingenerosum præ se ferens, ceßit in vicem dicendi succedere volentibus vel aduocatis vel testibus. itaq; multorum testimonijs subleuatus est, & in primis Virginij collegæ sui, autoris eius victoriæ, qui non solum alienum eum à culpa pronuntiauit, verumetiã laudandum duxit, vt virum rei militaris peritißimum, ducémque fortißimum

tißim

tißimum. addiditque, si eos belli huius non pœniteat, ambobus sibi habendam gratiam: sin minus, ambos ex æquo plectẽdos. communicatis enim factis & consiliis fortunam quoque communem fuisse. mouebat autem non solum oratio viri, sed & tota vita spectata bonis operibus. nec parum faciebat ad affectus ciẽdos habitus hominis, alieno dolore mœsti, & haud minus satagentis quàm in proprio periculo. quo factum est vt etiam desideratorum necessarij, qui alioqui videbantur implacabiles, molliti mitiores se præstarent, irásque ponerent, vt mox apparuit. reus enim calculis omnibus absolutus est. atque ita euasit Seruilius. Paulò pòst Romani expeditionem susceperunt in Hetruriam ductu P. Valerij COS. *Rursus enim Veientes bellum mouerunt ascitis in eius societatem Sabinis: qui hactenus non ausi se admiscere nulla spe victoriæ, tunc post profligatum Menenium, communitúmque in Ianiculo præsidium, affectas rati Romanorum vires, & collapsos animos, iuuerunt Hetruscos magnis copiis militum. Quibus cum sua iuuentute coniunctis, Veientes expectabant aliorum Hetruscorum auxilia, Romam ipsam petituri cum maiore parte exercitus, sperantes nemine occurrere audente aut expugnaturos se illam, aut fame ad deditionem coacturos. Sed dũ auxilia cunctantur præuenti sunt à Valerio: qui assumpto copiarum domesticarum robore sociorúmque auxiliis quantum potuit latenter egressus est. Sub vesperam enim traductis trans Tiberim militibus, non longè ab vrbe quieuit: deinde medio noctis excitos prius quàm illucesceret admouit alteris castris hostium. bina enim erant modico interuallo inter se distantia, seorsum Hetruscis, seorsum Sabinis tendentibus. Priores Sabinos aggressus est sopitos plerosque, ac*

ne excubiis quidem satis custoditos, ut qui in pacato solo nihil minus quàm hostem timerent de quo nullum nuntium acceperant. itaque primo impetu castra capta sunt. ibi alij iugulabantur in cubilibus, alij dum arma induunt recens exciti, quidam armati quidem sed paßim repugnantes nullo ordine: maxima pars suis castris effusi, dũ altera cursu petunt, ab equitibus intercepti perierunt. In hũc modum captis Sabinis castris, Valerius duxit ad altera, ubi Veientes locum non valde munitum occupauerant. hos latere non potuit. nam & dies clara iam erat, & Sabini elapsi è clade similem illis imminere nuntiauerant. itaque pugna fuit opus. Hetrusci acriter pro castris pugnantes occidebant multos hostium, multos item suorum amittebant, adeóque anceps certamen fuit, ut diu dubitaretur utrò inclinaret victoria. tandem à Romano equitatu impulsi refugerunt in castra persequente consule. qui postquam ad munimenta peruenit, male munita parúmque tuta ut diximus, ea locis aliquot aggressus oppugnationem in multam noctem continuauit. Hetrusci labore non intermisso fessi castra sub diluculum deserunt: quorum pars in urbem fugit, pars per saltus proximos dispersa est. ubi verò hæc quoque castra capta sunt, iußit reliquum diei dari curæ corporum: sequenti deinde prædam in utrisq; repertam diuisit victoribus, quæ magni pretij fuit, & fortißimum quenque donauit ex more coronis militaribus. in his præcipuus fuit & in profligandis Veientibus spectatißimus Seruilius superioris anni consul, nuper absolutus iudicio populi, tunc verò legatus Valerij, ante omnes donis ac præmiis honoratus amplißimis. deinde spoliatis hostium cadaueribus & suorum sepultis, consul productum exercitum instruxit ante Veientum mœnia, ut inclusis pugna

pugnæ potestatem faceret. Cúmque nemo prodiret, difficilem videns oppugnationem tam munitæ vrbis, bonam partem agri populatus est: ac mox in Sabinos milite traducto ex illa quoque regione hactenus intacta prædis per aliquot dies actis, grauem iam nouis impedimentis reduxit exercitum. Venienti populus ad multum via coronatus occurrit suffitum thuris transeunti faciens, & poculis mulsi militem excipiens. Senatus triumphum ei decreuit. Alter consul C. Nautius, cui Latinorum Hernicorúmque tutandorum obuenerat prouincia, aliquandiu profectionem distulit, non quòd imparatus esset aut timidus sed in Veientanũ bellum intentus, vt siquid accideret illi exercitui, præsto esset vrbi agroq́ præsidium, si hostis quemadmodum antè admotis ad vrbẽ copiis communire vellet propinquum locum aliquem, vnde omnia infesta faceret. interim in Latio cum Aequis & Volscis debellatum est: & nuntij retulerunt prælio victos excessisse agro Latino, nec iam opus esse auxiliis. nihilominus Nautius rebus in Hetruria prosperè cedentibus eduxit exercitum, ingressusq́ Volscorum regionem fuga ex parte magna desertam paucis mancipiis potitus est & pecoribus: incensisq́ aruis eorum tum segete flauentibus, aliísque non paucis damnis datis, nemine subuenire auso reduxit suos incolumes. præterea nihil memorabile gestum est ab his consulibus. A. Manlius inde & L. Furius fuere COSS. *Senatus bellum contra Veientes decreuit. ea prouincia Manlio sorte obtigit: qui celeriter eductis copiis castra prope Veios posuit. Hostes inclusi mœnibus aliquandiu per legationes solicitarunt Hetruriæ populos, & Sabinos nouos socios, orantes vt succurrant sibi celeriter: cumq́ nusquam impetrarẽt auxilia absumptis commea-*

tibus fame vrgente prodierunt ad consulem natu maximi & honoratißimi præferentes supplicum insignia & pacem petentes. Manlius imperato vnius anni stipendio, & frumento quantum in duos menses exercitui sufficeret, vbi hæc allata fuerint, eos se missurum ad senatum est pollicitus, cum quo de pacis legibus agerent. Illi repræsentata incunctanter pecunia, tum stipendij nomine, tum ea quam permissu consulis vice frumenti numerauerunt, Romam profecti sunt: admißique in senatum veniam præteritorum petierunt, pacémque in posterum: ac post multas vel pro pace vel contrà sententias vicit ea pars cui fœdus placebat: & induciæ in annos quadraginta sunt eis datæ. Legati actis senatui gratiis domum reuersi sunt. Manlius parta pace ouans in vrbem rediit. His COSS. *census actus est, censa capitum* CXXX M. *& aliquot insuper. deinde L. Aemilius Mamercus tertium, & Vopiscus Iulius* COSS. *fiunt* LXXVII. *Olymp. qua in stadio vicit Dates Argiuus, Charete Athenis principe. Hi consulatum habuerunt inquietum & laboriosum, cessantibus quidem bellis & pacatis hostibus, sed domesticis seditionibus in salutis periculum adducti vnà cùm ipsa republ. nam militaris multitudo quietis impatiens statim flagitauit diuisionē agri publici, inopes instigante tribuno pleb. Cn. Genutio. Is vir audax nec infacundus concionibus suis ad captandam tenuis plebeculæ gratiam abutens, extorquere conabatur à consulibus, vt quod senatus iamdudum de diuidendis agris decreuerat, tandem exequerentur. Hi negabant ad se pertinere quod alieno consulatu decretum esset Caßio Virginióque* COSS. *dicentes illorum fuisse id officium. Senatusconsulta non habere vim legis perpetuæ, sed esse instituta vnius anni. Elusus hac*

consul.

consulum causatione Genutius, quia non poterat maiorem potestatem cogere, aliam viam ingressus est. consularibus Manlio & Furio, qui superiore anno magistratum gesserant diem dixit. Crimini erat iniuria facta plebi, quia non creassent decemuiros qui ex S. C. agros sibi diuiderent. Cur autem antea nemo consulum accusatus sit hoc nomine, cum XII. anni elapsi essent ex quo id S. C. scriptum fuit, & hos duos demum reos vanæ promissionis ageret, non iniquas causas afferebat: postremo negabat aliter cogi posse ad diuisionẽ agrorum præsentes consules, nisi videant ab aliis exactas pœnas neglecti officij, & idem sibi timendum intelligant. Hæc locutus & populum hortatus ad iudicium, iurauit se permansurum in proposito, nec omissurum accusationem: simúlque diem dixit vtrique. At patritios hoc cognito pauor ingens & cura subiit, incertos quomodo reos possent eripere, audaciámque tribuni compescere. iámque decreuerant, si quid durius plebs in consulares statueret, per vim ei resistere, vel si armis opus fuerit. non tamen eò ventum est, inopinato huius periculi remedio. nam ipso iudicij die, Genutius mortuus in suo lecto inuentus est, nullo cædis aut veneni laqueíve, aut alioqui violẽtæ mortis vestigio. Quo cognito & prolato in forum corpore, visum est omnibus diuinitus impeditum iudicium, móxque comitia soluta sunt. nam collegarum nemo ausus est renouare seditionem, & ipsis Genutij furorem damnantibus. quòd si consules nihil satagentes amplius, seditionem fortuito sopitam siuissent quiescere, nullum eis fuisset periculum: nunc superbè ac contumeliosè plebem tractantes, & ostentantes sui magistratus potestatem, magnorum malorum causa fuerunt. nam ad delectum habendum progressi, citatos nec paren-

tes mulctando verberandóque effecerunt vt plebs in furorem verteretur ex causa huiusmodi. P. Volero ex plebe vir bello fortis, qui superioribus expeditionibus ordines duxerat, tunc inter gregarios ascriptus, negabat se militem fieri debere, nullam ignominiam in militia meritum. COSS. offensi eius libertate, misso lictore spoliari hominem & virgas expediri iusserunt. Ille tribunorum opem inuocans, Prouoco, inquit, ad populum. cúmque consules nihil eius vociferatione mouerentur, & lictor vestem circumscindere pergeret, vir ætate ferox & viribus rem indignam ratus ipse sibi tribunum præstitit, & vnum alterúmve lictorem pugnis probè contusum à se repulit. COSS. irati vniuersos apparitores in eum concitant. nō tulerunt hoc plebeij qui aderant: conglobati sublatóque clamore se inuicem cohortati, Voleronem eripiunt pulsatis lictoribus. denique in COSS impetus factus est, qui ni è foro se proripuissent, perpetratum fuisset nefarium facinus. Hoc facto in diuersa studia scissa est tota ciuitas: & tribuni qui hactenus quieuerant, efferati inuehebantur in consules: nec iam de agrorū diuisione, sed de reip. statu maior feruebat contentio. nam patritij ferentes indignè potestatem summam contemptam, ausum apparitores pulsare deposcebāt ad rupis Tarpeiæ supplicium. contrà plebeij cateruatim vociferabantur cohortantes se ne libertatem suam proderent: vtq; ad senatum deferrent nomina consulum, & animaduersionem aliquam in eos poscerent: qui ciuem Romanum tribunorum opem inuocantem & prouocantem ad populum, contempto iure magistratuum simul & populi, tanquam vile mancipium verberari iusserint. Ita neutris de contentione quicquam remittentibus, reliquū eius consulatus tempus totum inglorium præteriit, nec

domi nec foris ulla re gesta memorabili. Proximis comitiis L. Pinarius, P. Furius creati sunt COSS. huius anni principio religionibus quibusdam territatus est populus, multis prodigiis apparentibus, & vatibus atque pontificibus iram deorum denuntiantibus, quòd sacra non ritè fierent, nec ita multo pòst pestilentia inuasit mulieres quanta nunquam anteà, præsertim grauidas. immaturos enim & mortuos fœtus effundentes & ipsæ moriebantur: & neque supplicationes circa templa deorũ arásque habitæ, neque lustrationes priuata publicá've quicquã proficiebant. Hac calamitate sæuiente seruus quidam pontificibus indicat, vnam virginum Vestalium Vrbiniam virginitate amissa impurè sacra pro populo facere: qui amotam à sacris & in iudicio conuictam verberauerunt, traductámque per vrbem viuam defoderunt. ex incesti patratoribus alter sibiipse manus intulit: alter à pontificibus cõprehensus in foro sub furca flagris cæsus ac necatus est. atque ita demum pestilentia desiit. At seditio iam inueterata plebe à patritiis dissidente rursum renouata est opera P. Voleronis, qui superiore anno ab Aemilio & Iulio COSS. miles pro centurione scriptus imperium eorum contempserat: postcà tribunus hac potissimum de causa ab infima plebe creatus (nam loco humili natus & in egestate magna educatus fuerat) quòd primus omnium consularem potestatem regiæ parem ipse priuatus contempsisset: tum quòd magistratum ambiens pollicitus esset ablaturum se potentiam à patritiis. Hic quam primum licuit placata deorum ira tractare rempub. pro concione legem tulit de tribunitiis comitiis, vt pro curiatis tributa fierent: quorum hæc est differentia. Curiatis comitiis de re quapiam in senatu prius tractata suffragia curiatim collige-

 bantur,

bantur, idq́; auſpicato: aliàs niſi aues addicerent ea comitia habebantur pro irritis. Tributa verò inconſulto ſenatu, nullis auſpicibus adhibitis, vna die peragebantur à tribulibus. Habebat autem è quatuor collegis duos legis ferẽdæ ſocios, atq; ita reliqui ſuperabantur numero qui diſſentiebãt, at COSS. *& ſenatus totúſque ordo patritius legi quo minus perferretur ſumma vi reſiſtebant: & poſtquam dies rogationis venit, in comitio multa grauiſſimorum virorum & in primis conſulum orationes ſunt habitæ, declarantium quantum incommodorum ineſſet in ea lege. tribuni contrà ſuis orationibus refellere conabantur conſules, ac viciſſim illi tribunos: totúſque is dies per orationum ſuadentium ac diſſuadentium viciſſitudines verborúmque altercationes abſumptus eſt. nocte ſuperueniente tribuni plebis actionem eam diſtulerunt in trinundinum. ad præfinitam diem maior etiam quàm antea turba confluxit, res non aliter quàm prius magna contentione acta eſt. Id animaduertens Volero apud ſe ſtatuit poſthac nec conſulibus diſſuaſionẽ legis permittere, nec patritiis ſuffragia, ſed in totum eos comitiis arcere. habebant enim illi ſua ſodalitia, & cum clientelarum cateruis multas fori partes occupabant, animos addendo legis diſſuaſoribus, defenſoribus contrà obſtrependo, aliáque multa indecora faciebant, quæ præ ſe ferrent futuram in ſuffragiis confuſionem & violentiam. Hæc eius conſilia non tam ciuilia quàm tyrannica præpediuit alia dira calamitas. Inuaſit enim vrbem peſtilentia, reliquam etiam Italiam peruagata, ſed nuſquam alibi quàm Romæ infeſtior: cui nec humana ope vlla ſuccurri poterat, ſed curati æquè atque incurati moriebantur: nec ſupplicationum ſacrificiorúmque, & quod extremum afflictis rebus quæri ſolet*

remed

remedium, lustrationum priuatarum publicarúmve vlla erat vtilitas. Sæuiebat id malum nullo ætatis, sexus, roboris, imbecillitatísve discrimine, aduersus medicinam ac remedia contumax, non mulieribus parcens, non viris, non natu grandibus, non iuuenibus: non tamen diuturnum, quod solùm in causa fuit quo minus vniuersus deperiret populus: sed torrentis in morem aut incendij vno impetu inuadebat hominem & abripiebat. Sedata hac peste Volero appetente sui magistratus exitu, quia legem perferre non poterat, proximis comitiis iterum tribunatum petiit, permulta magnificè de se pollicens: quod & impetrauit, cum eóque duo illi collegæ. His patres opposuerunt virum iam inde à paternis certaminibus infestum plebi, & nihil detrimenti capere passurum rem optimatium, Appium Claudium App. F. quem inuitum ac ne in campum quidem progressum, nihilominus absentem præiudicio suo creauerunt consulem. Comitiis facilè peractis, nam pauperes confestim è campo discesserunt audito Appij nomine, consulatum inierunt, T. Quintius Capitolinus, Appius Claudius Sabinus, ingenio simul & voluntate dissimiles. Nam Appio placebat externa militia distineri otiosam plebem & inopem, vt victum quotidianum, quo domi careret, ex hostico suis sibi parans laboribus adiutaret Romanum imperium, nec molesta esset patribus rempublicam tractantibus. non defuturam honestam belli occasionem iis qui ad imperium aspirantes inuidiosi essent omnibus. & de futuro argumentabatur ex præteritis, docens omnes superiores seditiones exortas bellis cessantibus. Quinto verò non probabatur belli principium quærere, aienti gratum esse debere si ad bella necessario repellenda vo-

cata plebs pareat: & commonstranti fore vt si militiam detrectantibus vim adhibeant, plebs per desperationem abiiciat magistratus reuerentiam, quemadmodum consulatibus proximis: vnde geminum instare periculum. aut enim sanguine cædibúsque ciuilibus seditionẽ esse compescẽdam, aut plebem demerendam parum honestis obsequiis. erat autem penes Quintium eius mensis imperium: quamobrem necesse erat collegam nihil inuito illo facere. At Volero cum collegis sociis nihil amplius cunctati de lege quam superiore anno perferre non potuerant, iterum rogationem ferebant, addito legi, vt etiam ædiles eisdem comitiis fierent, & quicquid per plebem agi decernive deberet, ageretur tributis comitiis. quod nihil aliud erat, quã à senatu in plebem transferre potentiam. Hoc cognito consules cura subiit quomodo primo quoque tempore quàm fieri posset tutißimè tollẽda esset ea seditio. Appius censebat vocandos ad arma qui saluam vellent Rempubl. & si qui ex aduerso arma caperent, habendos pro hostibus. Quintius rationibus persuadendam plebem aiebat, & docendam quàm perniciosis consiliis præceps rapiatur per ignorantiam rerum salubrium: extremæ insaniæ dicens ab inuitis ciuibus extorquere, quod impetrari poßit à volentibus. In eam sententiam à frequenti senatu itum est: confestímque in comitium progreßi COSS. à tribunis petierũt copiam dicendi & diem. ægrè vtrunque concessum est. ea dies vbi venit, foro varia turba referto, quia factionis vtriusque magistratus subsidiis se firmauerant, dissuasores legis prodierunt in medium. ibi Quintius vir mitis & populari facundia gratiosus, primus veniã præfatus appositè admodum & plausibiliter concionatus est, adeò vt suasores legis hærerent, nihil va-

lentes

lentes afferre vel iustius vel æquius. quòd si collega eius nihil tentasset amplius, actum erat de lege vt iniquissima: nunc illius oratione superba & inopibus auditu molesta factum est vt plebs exasperata ad acriorem & peruicaciorem contentionem accensa sit. non enim vt ingenuos ciues allocutus est, penes quos esset legis sanciẽdæ irritandæ've arbitriũ: sed vt viles inquilinos, nec satis liberos, nimis licenter & acerbè incusauit, decoctionem exprobrans fraudatósque creditores, defectionem à COSS. *raptis signis castra deserta, exiliúmque volũtarium: periurium & arma pro patria sumpta mox conuersa in ipsius viscera. Proinde nil mirum, contemptores deorũ, periuros, ducum desertores, patriæ quantum in se sit desolatores, nec nisi ad fidem irritandam mores corrumpendos, leges antiquandas, in eam reuersos, impudenter se gerere, nec posse bonorum ciuium officium præstare: sed semper obsequẽtes suis cupiditatibus plus æquo sibi vsurpare: nunc proprios magistratus petendo, eósque sacrosanctos & nemini obnoxios. nunc quoslibet è patritiis in capitis iudicium vocando, legitimáque iudicia, quibus de capitali pœna ciuium exiliíve mulcta statuitur, contra pristinam consuetudinem peruertendo, & à sinceriore ciuitatis parte ad sordidum & sine lare vulgus transferendo: nunc ad inopis ac meritoriæ turbæ cõmoda, in nobilitatis iniuriam, leges ferendo tyrannicas & nefarias, ne cognitione quidem harum permissa patribus, sed hoc quoque honore priuando. quem semper ab vrbe condita habuerint etiam sub regibus. his aliisq́ similibus probris in eos congestis, à nulla contumelia, nullo conuitio temperans, postremo in hac verba desiit, quibus maximè plebs offensa est: nunquam in ciuitate causas quascunque dissidiorum defore, sed semper aliis*

post

patritiis, nullius communi boni participes, sed quasi captiua mancipia libertate per eos exutos: cuius recuperandæ desiderio coactos relinquere patriam, & alias sedes quærere, vbi homines ingenui non paterentur seruilia. deinde nec vim factam senatui, nec bello acquisitum reditum. rogatos vt relicta reciperent, cessisse ciuium suorum precibus. deinde commemorauit iusiurandũ & leges reditus: in quibus erat primum omnium offensarum obliuio, deinde proprius plebis magistratus, qui subueniret pauperibus & aduersarios eorum reprimeret. Post hæc recitauit leges nuper à plebe latas, de iudicandis quibuscunque patritiis, & de suffragiis à centuriatis ad curiata comitia translatis. Hæc pro plebe locutus sermonem vertit ad Appium. Et postea, inquit, tu audes his conuitium facere, per quos magna ex parte, illustris ex obscura, hæc ciuitas est reddita, seditiosos vocans & exules? quasi non omnes meminerimus, tuos maiores dissidentes à Sabinorum proceribus, relictis patriæ sedibus huc venisse supplices: nisi forte vobis honestum est libertatis desiderio patriam antiquam reliquisse: Romanos idem fecisse non decet. Audes etiam vituperare tribunitiam potestatem, vt in vrbem inuectam malo Reipublicæ? & suades his tollere pauperum auxilium sacrosanctum à diis hominibúsque confirmatum, inimice plebis tyranno quàm ciui similior? nec sentis te interim & senatui conuitiari, & huic quem geris magistratui? nam totus senatus in reges insurrexit propter intolerabilem eorum superbiã violentiámque, & creatis COS. priusquã illos pelleret aliis regiam potestatem tradidit. itaque quod de tribunatu pl. dicis, malo Reip. in ciuitatẽ receptum, quia ex discordia natus est, id dictum in consulatum recidit. nec enim aliunde ortus est, quàm ex patr

ex patritiorum defectione à regibus. Sed quid ego hæc tibi loquor quasi bono ac moderato ciui? quem omnes hi sciunt durum, asperum, infestum plebi natum, nec vllo modo posse propter genuinam feritatem mansuescere. quin potius omissis verbis te aggredior, & ostendo tibi quantam vim plebs habeat, quam te non puduit sordidam & sine lare appellare: quantáque sit huius magistratus potestas, cui te leges cogunt cedere. Ergo nihil dissimulans ad rem veniam. Hæc locutus per omnia sacra deierauit, nolle se nisi perlata lege viuere. Tum silentio facto & omnibus in certamen intentis, quidnã incepturus esset, iubet Appium concione excedere. Quo non parente, sed stipante se lictoribus aliáque turba quam in hoc paratam domo adduxerat, & repugnare malente quàm excedere, Lectorius indicto per præconem silentio pronuntiauit, collegium tribunorum iubere duci consulem in carcerem. ac mox iussus apparitor accessit eum apprehensurus, sed à proximo lictore pulsatus & repulsus est, ad quod factum clamore ex indignatione circunstantium coorto, vadit ipse Lectorius cohortatus vulgum vt adesset auxilio, valido globo iuuenum se opponente, quos circa se habebat Appius. secuta sunt fœdæ altercationes vociferationésque & protrusiones, postremo rixa prorupit ad pugnos atque inde ad iactus lapidum. Efferuescens malum ne vlterius procederet effecit alter consul Quintius, rogando omnes obsecrandóque vnà cũ senioribus senatoribus, & in mediam pugnã se proiiciendo. & iam parum diei supererat, ut vel inuiti dirimerentur. Insecutis diebus magistratus accusabant se inuicem: consul tribunos, eripere sibi magistratum voluisse duci iubentes in carcerem: tribuni consulem, pulsasse sacrosancta corpora: & præferebat Lectorius manifestas

suggilla

ſuggillationis notas in facie : tota ciuitate diſsidiis efferata. Plebs cum tribunis occupauit Capitoliũ, diurnis nocturníſque id ſeruans excubiis. Senatus magna cura quærebat modum quo ſedaretur ſeditio, ſollicitus tum propter periculi magnitudinem, tum propter diſſenſionem conſulum. Nam Quintius concedi plebi non iniqua petenti cenſebat, Appius emori malebat quàm cedere. Cúmque nullus contentionum finis fieret, Quintius ſeorſum tribunos, ſeorſum Appium orabat obſecrabátque, vt publica commoda plus quàm priuatos affectus apud ſe valere ſinerent: & animaduertens illos iam experientia ſapientiores factos, collegam verò in ſua manere peruicacia, perſuaſit tribunis vt in poteſtate ſenatus fierent. deinde conuocato ſenatu, valde laudatis tribunis, obſecrauit collegam ne publicæ ſaluti obſiſteret: móxque conſulares rogauit ſententiam. Primus P. Valerius Publicola pro ſententia dixit: Quæ inuicem ſe criminentur tribuni & conſul, mutuáſque iniurias per tumultum factas, quoniam non dolo malo nec priuatæ rei cauſa eò ventum eſſet, ſed per contentionem de Republica remitti debere mutuum, nec vocari in iudicium. Quod verò ad legem attineat, quoniam Appius cõſul non patiatur eam ferri ſenatu inconſulto, referri ad ſenatum de ea. Cæterùm tribunos vnà cum conſulibus operam dare vt concors ſit ciuitas, & decorum ſeruetur in ferendis ſuffragiis. Probata omnibus hac ſententia, Quintius confeſtim de lege ad ſenatum retulit: & poſt longam diſſuaſionem Appij tribunorúmque ſuaſiones, vicit ea ſenatus pars quæ rogationem permittebat: factóque S.C. & reconciliatis magiſtratibus, plebs ob voluntatem ſenatus læta legem comprobauit ſuo ſuffragio. Ex illo tempore vſque ad noſtram ætatem comitia

creand

creandorum tribunorum atque ædilium absq; auspiciis peraguntur suffragio tribuum. atque is finis eius seditionis fuit. Paulò pòst placuit exercitus conscribi, & vtrumque consulẽ contra Aequos atque Volscos proficisci. Nuntiabatur enim vtriusque gentis magnas copias populari agros sociorum. Comparatis celeriter exercitibus, Quintius Aequos, Appius Volscos, prouinciam sortitus est. Vtrique consuli negotiũ successit vt succedere par fuit. Exercitus Quintij lenitatis eius & equitatis amore promptè iussa capessebat, pleraque munia sponte exequens, quò duci suo honorem pararet atque gloriam: magnámque hostici agri partem prædabundus peruagatus est, Aequis obuiam prodire non audentibus, vnde magna præda potitus est: nec multo pòst incolumis in vrbem rediit cum duce rebus egregiè gestis conspicuo. Qui verò Appij ductu profecti sunt, odio ducis in disciplina contineri non potuerunt. nam & aliâs toto eius militiæ tempore data opera negligenter rem gesserunt. atque contumaciter: & in aciem contra Volscos producti noluerunt congredi: sed & centuriones & antesignani, quidam etiam desertis signis in castra se receperunt: & nisi hostes inopinatam fugam mirati, insidiásque veriti abstinuissent à persequendo, perisset maior pars militum. id faciebant præ inuidia, ne consul victor triumpho aliísque ornaretur honoribus. Sequenti die cum ille increparet ignominiosam fugam, hortaretúrque ad abolendam eam ignominiam, ac nisi fortiter resisterent, minaretur pœnas statutas legibus, pergebãt detrectare vociferantes, abduceret se ex infestis terris saucios & ob id ad pugnam inutiles. multi enim integras corporis partes quasi vulnerati obligauerant. itaq; Appius coactus est exercitum ex hostico deducere. Volsci

extr

extremum agmen carpentes non paucos interemerunt. Vt verò in pacatũ ventum est, consul pro concione militibus exprobrata ignauia, ait se vt in desertores animaduersurum: multúmque deprecantibus senioribus & honoratis ne publicæ cladi aliam nouam calamitatem adderet, nihil motus decresse respondit: ac mox & centuriones quorum cohortes fugerãt, & antesignani quorum signa amissa fuerant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus. reliquæ copiæ decimatæ sunt: quæ pœna solennis apud Romanos est eorum qui ordines, deseruissent signáve amisissent. Post hæc exosus dux cũ mœsto & ignominioso exercitu ad comitia rediit. Sequenti anno consulatum inierunt L. Valerius iterum, Tib. Aemilius. nec diu cessauerũt tribuni, sed mentionem fecerunt legis Agrariæ: aditísque consulibus postulabant ratum haberi quod senatus promiserat consulatu Sp. Cassij & Proculi Virginij, afferentes preces & obsecrationes maximas. & habuerunt fauentem vtrumque consulem, Tib. Aemilium propter offensam veterem non omnino iniustam: quia patri eius triumphum petenti senatus negauerat: Valerius autem reconciliare sibi plebem cupiebat, infensam propter mortem Sp. Cassij, quem ipse quæstor tyrannidis affectatæ conuictum & damnatum affecerat supplicio, hominem ætate sua rebus domi forísque gestis clarissimum, qui primus mentionem Agrariæ legis in ciuitatem intulerat, eo nomine potissimum exosus patritiis, quasi plebem ad se allectans. Igitur pollicitis COSS. relaturos se de diuisione publici agri ad senatum, & confirmationem legis adiuturos, freti his tribuni venerunt in senatum, & verbis vsi sunt mansuetis: quibus nil contradicentes consules, ne viderentur contentionem quærere, seniores rogauerunt senten-

tiam. Primus autem rogatus est L. Aemilius pater alterius consulum qui dixit sibi è Republ. videri si bona publica possideantur ob omnibus potius quàm à paucis: gratificandúmque plebi vt ea concessio imputetur pro beneficio. saepe enim coactos ei concessisse quod sponte largiri noluerant. tum occupatores earum possessionum qui tanto tempore clam fructus inde percepissent, gratias habere debere pro tam diu dissimulato negotio: & si vetentur in posterum, non debere pertinaces esse. Addebat, praeter ius receptum consensu gentium, quo publica habentur omnium communia, priuata verò possessiones quas quisque bono modo sibi parasset: necessitatem etiam incumbere senatui, quòd de agro diuidendo S. C factum sit ante annos septemdecim. ostendebátque id decretum in vtilitatem publicã, ne ager incultus iaceat, néve vrbani pauperes nihil negotij habentes, vt nunc, alienis bonis inuideant: vtque iuuentus educetur in domesticis patrimoniis, & honestè educata tanto fiat animosior. nam eos qui nihil rei familiaris habeant, & ex mercenariis operis se alant, aut omnino nullos liberos sibi cupere, aut si procreandis dent operam, parum felices fructus prouenire coniugij, nimirum humilis & mendicitati proximi. Ergo, inquit, pro sententia dico, S C. cuius executio propter secuta turbulenta tempora dilata est, confirmandum à COSS. creandósque decemuiros qui agros diuidant. Post hunc Appius Claudius superioris anni consul rogatus contrariam dixit sententiam, docens nunquam senatus voluntatem fuisse vt diuiderentur publica: qui si voluisset, iamdudũ id fecisset. Sed deliberandum id distulisse in tempus aliud, quo facilius sopiretur seditio quam tum excitabat consul affectans tyrannidem. Quo damnato neque successores consules ex

eo S.C.

eo S. C. quicquam egisse, cernentes quantis malis aditus in ciuitatē aperiretur, si reciperetur mos publica diuidendi pauperibus: neq; per continuos deinceps XV. consulatus vllum consulē, licet plebe sæpius periculose tumultuante, sustinuisse quicquam facere contra bonū publicum: vt qui ne ius quidem finiendorum agrorum ex illo S. C. habuerint, sed soli primi quorum consulatu id factum sit. Ergo, inquit, ne vobis quidem Valeri túque Aemili de diuidendis agris referre licet, quod à senatu vobis mandatum non est: nec rectè facitis aut ex institutis maiorum vestrorum honestissimorū, atque adeò non sine periculo. Hæc de S. C. quo tot annis pòst COSS. facti non tenemini, dixisse sufficiat. de illis porrò qui vel per vim vel clam occupant publica, paucis dicam. Siquis compertum habet aliquē frui agris quorum se legitimum possessorē approbare nequeat, deferat eum ad consules iudicandum iuxta leges, quas nil opus recentes condere: iamiudū enim scripta sunt, nec adhuc antiquatæ. Quoniam autem & de vtilitate disseruit Amilius; asseuerans eam diuisionem bono fore omnibus, ne hanc quidem partem non coargutam relinquam. Videtur enim mihi præsentem tantūmodo rerum statum spectare, in futurū nequaquam prospicere: & paruā rem putans publica concedi otiosis egenis hominibus, nescit quantorum malorū causa in hoc sita sit. Sic enim semel admissus malus mos permanebit in vrbe grauis ac perniciosus in perpetuū. potiri enim malis cupiditatibus auget eas non eximit, id quod res ipsa declarat. Quid opus est vos meis aut Aemilij verbis credere? Nostis ipsi quantum hostium vicimus, quantum agrorum populati sumus, quantum prædæ ex oppidis expugnatis partum est, magno hostium dispendio, qui olim beati nunc ad

egestatem redacti sunt. Ab his commodis nemo istos repulit. qui nūc de inopia queruntur, ex æquo fuerunt huiusmodi lucrorum participes. num igitur ex his lucris aliquid accessit eorum fortunæ pristinæ, aut ideo in re lautiore sunt? Vtinam essent, vt minus molestos cohabitatores haberemus. at nunc videtis & auditis eos queri de extrema inopia. itaque etiamsi quæ petunt impetrauerint, atque ampliora etiam, nihilo maiores facultates habebunt. non enim in fortunis eorum inest egestas, sed in moribus, quos ne regum quidem & tyrannorum omnium exatiauerit munificentia, nedum vnum rusculum. quibus si hæc concesserimus, idem faciemus quod medici qui ægrotis morem gerunt. non enim ægra pars ciuitatis sanabitur, sed sana inficietur contagio. In vniuersum P.C. magna vobis cura opus est & diligentia, vt in integrum restituatis corruptos ciuitatis mores. Videtis quò processerit plebis immodestia, vtq; detrectet imperium consulū: quam adeò non pœnitet domesticorum facinorum, vt in castris quoque agatur eisdem intemperiis, arma proiiciens, ordines deserens, signa prodens hostibus, ante congressum ignominiose fugiens, quasi ageretur de mea gloria, non de securitate incolumitatéque patriæ. Et nunc Volsci de Romanis trophæa statuunt, & templa illorum nostris ornantur spoliis, iactántque se vt nunquam antè illi populi, paulo prius ducibus nostris supplices ne occidione perirent aut venirent sub hasta. Hiscene factis æquum aut honestum est vos referre gratiam? hæccine remunerari diuisione agri publici? cuius partē, quam isti sibi postulant, hostis occupat. Sed quid opus est hos accusare? qui male nati, male educati, paruam honestatis rationem habent: cum videamus maiorum instituta ne in nostris quidem manere moribus.

bus. grauitati nonnulli nomen imponunt superbiæ, quæ iustitia est appellant stultitiam, quæ fortitudo insaniam, rusticitatemque quæ est modestia. contrà quæ apud priscos illos odiosa erant, hæc efferuntur & in admiratione sunt hoc corrupto seculo: ignauia, loquacitas, malitia, versutia, habentur pro sapientia: quemadmodum simplices & in nullo bono proposito constantes tractabiles habentur & dociles, cum à talib. multæ potentes ciuitates subuersæ sint funditus. Hæc P.C. siue auditu iucunda vobis sint siue molesta, certè vere dicta sunt & liberè, si persuasero vobis vtilia nunc, tuta in posterum: mihi verò qui publicorum commodorum amore contemno priuatas inimicitias, allatura non mediocria pericula. Scio enim ratione futura præsagire, & quid mihi accidere possit exemplum ex aliis sumere. In hanc Appij sententiam aliis fermè omnibus discedentibus senatus dimissus est, iratis tribunis quòd repulsã passi sint, & iam tum vindictam spirantibus. itaque post longam consultationem placuit eis diem Appio dicere, lite æstimata capite, idq; mox pro concione fecerunt, hortati omnes vt ad eam diem adessent ad suffragia. Crimina erant hæc. Malas eum contra plebem sententias dicere, seditionem in ciuitatem inducere: intulisse violentas manus sacrosancto tribuni corpori: exercitui præfectum clade accepta reuersum esse cum ignominia. his ei pro concione obiectis diéq; dicta, denuntiauerũt vt ad causam dicendam se sisteret. Id cũ omnes patritij ferrẽt ægerrime, nihilque sibi ad summam solicitudinem reliquum facerent quo reum seruarent, Appiúmque hortarentur vt tempori cedens habitum præsenti fortunæ conuenientem sumeret: negauit se quicquã abiectum suísque maioribus indignum admissurum, addens se millies emori malle, quàm alicuius

genua tangere, eos quoque qui pro ipso deprecari parabant vetuit, dicens duplicatum pudorem sibi fore si alios pro se facientes aspiceret, quæ sibiipsi parum decora putaret. Hæc aliáque multa similia dictitans, nec vestimento nec vultu mutato, nec quicquam remittens de magnanimitate pristina, vt vidit totam ciuitatem eius certaminis expectatione arrectam, paucis ante iudicium diebus mortem sibi consciuit. eius tamen necessarij morbo extinctum finxerunt. prolato deinde in forum corpore filius eius à tribunis & C O S S. petiit, vt sibi more maiorum liceat pro concione patrē oratione funebri ornare. tribuni verò dum adhuc vocaretur populus à C O S S. vrgendo denūtiabant adolescenti, tolleret cadauer è foro. Non tulit hoc populus, nec dissimulauit hanc iniuriam, vt inhonoratū corpus eiiceretur, sed permisit adolescentem patri extremum & moribus receptum honorem persoluere. atque hic finis fuit Appij. Cæterùm C O S S. conscriptas copias eduxerunt ex vrbe, L. Valerius contra Aequos, Tib. Aemilius contra Sabinos. nam hi seditionis tempore in agrum Romanum irruptione facta, eiúsque magna parte vastata, multum prædæ abegerant. Aequi aliquoties cum hoste congressi, multis vulneribus in castra firmo loco sita compulsi, deinde abstinebant à prælio Valerius oppugnationem eorum aggressus, prohibitus est diuinitus. iam enim progresso & rem inceptanti caligo superne cum imbre magno incubuit, simúlque fulgura & aspera tonitrua. exercitu verò tempestate disiecto cōfestim serenitas rediit. Hac religione vatúmque monitis motus consul, omissa oppugnatione ad vastandos eorū agros versus est, concessáq; militi tota præda, reduxit domum copias. Tib. Aemiliū diu contemptim per hosticum vagatum & iam nihil

hostile

hostile timentem Sabini aggressi sunt: collatísque signis pugnatum est à meridie vsque vesperam, nox diremit prælium, incerta victoria. Sequentibus diebus vtrique suos funerauerunt, & castra communiuerunt: contentíque sua tueri, neutri lacessebant alteros: tandémque diuersi abierunt. Sequenti anno LXXVIII. *Olympiade, qua in stadio vicit Parmenides Pestanus, Theagenide Athenis principe,* COSS. *Romæ fuerunt, A. Virginius Cælimontanus, T. Numicius Priscus, quorum consulatus initio nuntiatum est Volscos aduentare cum magno exercitu: nec multo post incendium suburbani cuiusdam castelli agrestium fuga deserti conspectum est. Consules quia nondum illuxerat missis speculatum equitibus, & dispositis per mœnia custodijs, ipsi antè portas stationem habebant cum expeditissimo quoque, expectantes quid renuntiarent equites. deinde clara iam luce cum militibus interim collectis contra hostes properabat. at illi direpto incensóque castello celeriter se inde proripuerunt. consules restincto incendio, præsidióque loco imposito, in vrbem reuersi sunt. Post aliquot dies ambo consules cum domesticis & auxiliaribus copijs profecti sunt Virginius in Aequos, in Volscos Numicius, pariter felici successu. nam Virginium Aequi agros suos impune vastare passi sunt, non ausi congredi: semel tantum lectorum virorum manum collocauerunt in quodam nemore, qua hostes palantes aggrederetur ex insidijs. sed is conatus fuit irritus, quia maturè dolum senserunt Romani. acri pugna commissa multos ex suis Aequi desiderauerunt, nec amplius voluerunt martem experiri. Numicio quoque ducenti exercitũ ad Antium, quod tunc inter primarias Volscorum vrbes fuit, nullus exercitus se opposuit, sed omnes populi defensabant se mœnibus.*

interea vastatus est ager arbustis excisis, & oppidulum maritimum captum, quod Antiatibus erat nauale simul & forum rerum venalium ad victum pertinentium, quæ negotiationibus maritimis subuehebantur, interdum & latrocinijs. Hoc direpto mancipia, pecunia, pecora, merces, in prædam cesserunt militi. Libera corpora, quæ cladi superfuerunt, sub hasta sunt vendita. Capta sunt etiam vigintiduæ longæ naues Antiatium, & alia nauium armamenta instrumentáque. Post hæc consulis iussu ædes incensæ sunt, naualia diruta, æquata solo mœnia, ne oppidum relictum Antiatibus esset vsui. atque hæc seorsum gesta sunt singulorum consulum auspicijs. Post hæc coniunctis duobus exercitibus fines Sabinorum ingressi, agrósque depopulati, sub finem anni reduxerunt domum copias. T. Quintio Capitolino, Q. Seruilio Prisco COSS. statim initio anni fuit in armis Romanus exercitus, auxilijs quoque sociorum vltro conuenientibus. móxque COSS. votis in Capitolio factis, lustratóque exercitu, contra hostes profecti sunt. Sabini, quæ Seruilij prouincia fuit, adeò non pugnauerunt, vt ne exercitum quidem producerent: sed intra munimenta se continentes spectabant agrorum vastationem, villarum incendia, seruitiorum transfugia, vt minimo negotio magna præda simul aucti & gloria Romani domum repeterent. Interea Quintius contra Volscos Aequósque profectus, qui coniunctis copijs ad Antium consederant, militari gradu iter emensus opinione citius eis superuenit: nec longe ab eorum castris, vbi primum in conspectum venit loco plano impedimenta deposuit, ne videretur metuere hostem longe præstantem numero. Vtrinque deinde ad pugnam parati processerunt in aciem, congreßíque dubio marte certauerunt vsque meridiem, laboranti-

bus

bus continuè submittentes subsidia: qua parte potior erat Volscorum Aequorúmq; conditio, Romanis quod numero deerat alacritate supplentibus. Ibi Quintius videns multos suorum cecidisse, ex superstitibus plurimos vulneratos, cogitabat receptui signum dare: sed veritus ne opinione fugæ hostibus animos adderet, perdurare maluit: assumptisque fortissimis equitum, dextro suorum cornui, quà maximè laborabatur, succurrit: & nunc tribunorum centurionumque ignauiam increpans, nunc anteacta prælia memorans, nunc ignominiam si fugiant periculo coniunctam ponens ob oculos, ad vltimum opportunissimo figmẽto rem labantem sustinuit, quod & suis audaciam, & hosti pauorem attulit. dixit enim alterum cornu fugatis hostibus iam castris illorum esse proximum: simúlque impressionem in hostes facit, ipse cum tota fortissimorum equitum turma relictis equis pedestrem pugnam capessens: móxque omnes exemplo accensi, quasi alij facti, propellunt oppositos, Volscis qui erant in aduerso cornu non amplius resistere valentibus. Quibus profligatis Quintius rursum cõscenso equo in alterum cornu aduolans ostendebat fugatam partem hostium. cohortabatúrque ne virtute cederent alteris. quo facto cessit tota hostium acies effusa fuga castra sua repetens. nec tamen diu Romanus institit, maturè signo receptui dato, nec viribus iam nec armis integris. Interiectis deinde aliquot dierum induciis, qui sepeliendis cæsis curandísque vulneribus, & reparando bello impensi sunt, denuo pro castris Romanis certatum est. Nam Aequorum & Volscorum copijs auctis supplemento misso à circumuicinis populis, dux eorum fretus suis copijs, quintuplo quàm hostiles essent maioribus, vidénsque Romana castra parum munito loco sita, oppugnandi tempus

adesse putauit. quod vt semel apud se statuit, eductis circa mediam noctem militibus Romanos circundedit ne clàm è castris discederent. Gratum hoc fuit Quintio, cui non ignota erat multitudo hostiũ: expectatáque hora diei fermè tertia, vigilijs velitationibúsque fessos animaduertens non centuriatim nec instructis accedere ordinibus, sed paßim & temere, aperta porta erupit cum lectißimis equitum sequentibus denso agmine peditibus. At Volsci territi hac audacia furiosóque impetu, breui à castris repulsi sunt. non longe inde aberat leniter accliuis tumulus: in eum cursu se receperunt, vt interquiescerent, móxque instaurarent aciem. Sed non licuit eis se recolligere, hostibus in vestigijs hærentibus constipatis quantum poterant ne impellerentur per decliuia, certatúmque est ad multum diei. multis vtrinque cadentibus. Volscis & numero & loco superioribus neutrum profuit, Romana virtute peruadente omnia depulsíque tumulo & ad castra refugientes in medio multi occisi sunt. Semper enim Romanus tergo hærebat, nec prius destitit, quàm castris vi potiretur, itaq; captiuis corporibus, equis, armis, pecunijs permultis in suam potestatem redactis, eam noctem in captis castris exegerunt. Sequenti die paratis rebus ad oppugnationem necessarijs consul in Antiatem agrum mouit, trigesimo inde distantem stadio. Inerat Antio tunc Aequorum auxiliariorum præsidium: qui Romanorũ audacia territi cogitabant inde profugere. Sed re Antiatibus cognita, vetiti abire, consultauerunt de vrbe Romanis tradenda si venirent. hoc quoque consilium indicio compertum à ciuibus effecit vt temporis iniquitati cederent: consentientibúsque præsidiarijs Quintio se dediderunt, his conditionibus, vt Aequi fide COS. accepta decederent, Antiates præsidio

Romano in vrbem suam recepto imperata facerent. Sic potitus Antio COS. *accepto stipendio caterisque quibus opus habebat exercitus, relictéque ibi præsidio reduxit militem, exceptúsque est honorificè triumphali pompa in vrbem inuectus. Anno deinde insequenti Tib. Aemilius iterum, & Q. Fabius* COSS. *fiunt. hic Fabius erat vnius trium fratrum filius, qui cum clientelis suis ad Cremeram interierant. Horum consulatu tribunis rursum agrarios concitantibus, & adiuuante Aemilio consule, senatus demereri plebem ac sublenare cupiens, decreuit ei diuidi agri de Volscis & Antiatibus superiore anno capti partem aliquam. Triumuiri agro dando creati sunt, ipse T. Quintius Capitolinus, cui se Antiates dediderant, L. Furius, A. Virginius. Id non admodum expetendum visum est plerisque plebeijs: quasi ablegarentur à patria. adeóque pauci nomina dedere, vt ad explendum coloniæ numerum Latini & Hernici qui vellent adderentur. his triumuiri agrum diuiserunt, parte quadam eius relicta Antiatibus. Interea consul vterque profectus est cum exercitu, Aemilius in Sabinos, in Aequos Fabius. Aemilius nusquam hostem pugnare paratum inuenit: sed impunè peruastato agro ad comitia tempore vocante redijt. Aequi non expectatis cladibus à Fabio pacem petiere.* COS. *imperato duorum mensium frumento, binis in singulos milites tunicis stipendio sex mensium, & siquid opus habebat præterea, inducias eis dedit donec à senatu conditiones acciperēt. Patres ad Fabium legatos gentis remiserunt, permisso ipsi conditionum arbitrio, ex eius autoritate secutum est fœdus his legibus. Aequorum populi salvis suis agris Romanorum subditi sunto, Romanis nihil mittunto, præter auxilia quoties accita*

fuerint, eáque sumptu proprio. Icto fœdere Fabius reduxit exercitum, & unà cum collega magistratus in annum sequentem designauit. Hi fuerunt Sp. Posthumius Albinus, Q. Seruilius Priscus iterum. COSS. *Horum consulatu Aequi recens acceptam pacem sibypsi fecerunt irritam ex causa huiusmodi. Antiates qui urbana & rustica prædia habebant, manserunt in eis colentes tam nouorum colonorum agros quàm suos, pro locatione tantum pendentes certam partem fructuum: cæteri qui nihil tale habebant, patria relicta excepti libenter ab Aequis, Latinorum agros infestabant latrociniis, paulatim in societatem asciscentes audacissimum quemque gentis Aequorum egentissimumque. Super hac re Latinorum legatis apud senatum querentibus, & aut exercitum ad se mitti, aut arma ad defensionem sibi permitti postulantibus, patres neutrum concesserũt sed tribus legatis electis, quorum princeps erat Q. Fabius, qui pacem genti dederat, mandauerunt eis scitari à proceribus populorum, vtrum consilio publico manus latronum mittantur in agrum sociorum Romanúmque: nam huius quoque partem incursauerant exules: an nihil id ad publicam causam pertineat. & si priuata ea facinora esse responderint, res repetere noxiósque ad supplicium deposcere. Aequi legatis ambiguè responderunt, negantes latrocinium fuisse publicum, nec tamen volentes eius autores dedere, qui amissa patria vagi ad se venissent supplices. Tum Fabius indignans & fidem fœderum inuocans, ut vidit Aequos simulatè agere, tempúsque ad deliberandum petere, inuitatus ad hospitium annuit quò res eorum viseret: circumductúsque per loca sacra & publica, armorúmque officinas, cum animaduerteret quædam iam perfecta, quædam adhuc esse in manib*

manibus, facilè mentem eorum intellexit. in vrbem deinde reuersus renuntiauit senatui quæ audierat & viderat. qui nihil amplius cunctatus faciales decreuit eò mittere, denuntiaturos bellum nisi exules Antiatum expellerent, & res per iniuriam ademptas pollicerentur reddere. Aequi satis audenter responderunt, non inuitos se bellum accipere. non licuit tamen Romanis exercitum eo anno contra illos mittere, siue auspicijs vetātibus, siue quòd magna parte anni laboraretur morbis varijs. tantum præsidio sociorum COS. *Q. Seruilius adduxit manum modicam, cum qua in agro Latino statiua habuit. In vrbe ædem Dij fidij collega eius Sp. Posthumius dedicauit nonis iunijs in luco Bellonæ, locatam ab vltimo regum Tarquinio, non tamen ab illo consecratam. Sed tum demum ex* S. C. *id fecit Posthumius, vt testatur eius ædis inscriptio. Aliud nihil memorabile his* COSS. *gestum est. Olympiade* LXXIX *qua vicit Xenophon Corinthius, Archedemide Athenis principe* COSS. *facti sunt T. Quintius Capitolinus tertium, Q. Fabius Vibulanus iterum, quibus ambobus senatus magnos & bene instructos exercitus attribuit. Quintius iussus est seruare pacatos agros à finitimorum iniurijs, Fabius ad populandam Aequorum regionem missus est. is hostem in finibus obuium habuit, occurrentem cum magno exercitu. cúmque vtrique castra opportunis locis communissent, progreßi in campum, priores aliquanto Aequi, mox & Romani, pugnauerunt ad multum diei strenuè, singulis in sua dextra victoriam collocantibus. postremo continuis ictibus hebetatis plerorúmque gladijs duces receptui signo dato reduxerunt in castra suos exercitus. Post hæc non amplius totis viribus certatum est, sed tātum continuis velitationibus inter*

aquatores & deductores commeatuum, aquo marte plerunque. Dum hac geruntur, pars quadam Aequorum exercitus per incustoditos tramites inuasit in eam Romani agri partem, quae maximè auersa erat à suis finibus, ac proinde minus custodita, ex qua multos captiuos, multum prada abduxit: insciisque Quintianis penes quos erat agrorum custodia, recepit se in sua: idque sapius factitabant magno rubore consulum. Tandem Fabius cognito ex captiuis & exploratoribus è castris Aequorum profectum robur exercitus, ipse quoque in castris suis senioribus relictis noctu exijt cum florentissimis equitum atque peditum, & paulo pòst hosti iam prada onusto superuenit. ita & prada recepta est, & pralio victi sunt quotquot certauerunt viriliter: reliqui dispalati refugerunt tamen in sua castra propter locorum peritiā elusis persecutoribus. Hac inopinata clade fracti Aequi relictis noctu castris receperunt se intra mœnia, nec postea prodierūt, passi frumentum iam maturum hostes absportare, & pecorum greges abigere, rèsque suas diripere, villas incendere, captiuos multos abducere. His gestis Fabius reduxit exercitum instantibus iam comitijs: idem fecit & Quintius. Reuersi in vrbem creauerunt consules A. Posthumium Album, Sp. Furiū, qui mox consulatum inierunt. Ad hos nuntij sociorum Latini nominis venerunt propere, inductique in senatum indicauerunt Antiates ad defectionem spectare, occultè per legatos Aequis eos solicitantibus, Volscis vero etiam apertè mercatus pratextu ad eos ventitantibus, ductu eorum, qui Antium deseruerant quando ager diuisus est, & ob paupertatem ad Aequos transfugerant, vt antea diximus. Nec solos indigenas corruptos esse, verumetiam magnam partem aduenarum: & nisi

vrbem eam occupauerint præsidio, illinc quoq; inopinatum bellum Romanis exoriturum. paulo pòst superuenerunt Hernicorum legati, nuntiantes magnum Aequorum exercitum finibus suis egressum populari agros sociorum Romani populi: iunctósque his Volscos maiorem eius exercitus partem conficere. Senatus decreuit ad Antiates dubiæ fidei (quidam enim eorum excusatum se venerant, & satis apparebat nihil sanum eos cogitare) mittendũ aliud præsidium, quod eos in officio contineat: contra Aequos verò Sp. Furium COS. *exercitum iussit ducere. vtrique sine mora profecti sunt. Aequi cognito Romanorum aduentu, relicto agro Hernico iuerunt eis obuiam: & vt in mutuum conspectum venerunt ambo exercitus, non longè semota à seinuicem castra ea die posuerunt. Sequenti verò hostes ad vallum Romanorum accesserunt, tentaturi quid habeant animi. quibus non progredientibus leui velitatione defuncti valde sibi placentes discesserunt. Consul postridie castra in tutiorem locum trãstulit, eáque profundiore fossa, altiore vallo muniijt. quo viso creuit audacia hostium, ac magis etiam posquã nouis auxilijs aucti sunt ab Aequis, Volscisq; submissis, ita vt oppugnationem non differrent. At* COS. *cogitans se imparem ambabus gentibus, equitibus, cum literis in vrbem missis operam celerem petijt: vt in extremo constitutus periculo quibus circa mediam noctem receptis collega Posthumius patres per aliquot præcones domibus excitos in curiam conuocat: factúmque est ante lucem.* S.C.T. *Quintium ter consulem cum robore peditum equitúmque & proconsulari potestate confestim ire castris subsidio: A. Posthumium conscriptis copijs & accitis repentinis auxilijs, quàm primum fieri posset illum subsequi. Prima luce Quintius voluntariorum*

riorum quinque millia in armis habuit, quos sine mora eduxit. Id suspicati Aequi statuerunt Romanos priusquam eis subueniretur aggredi confisi suorum numero, quos diuiserunt bifariam. certatúmque est tota die ferociter illis vallum subeuntibus, & nec iaculis, nec sagittis, nec saxis missilibus submoueri se patientibus. postremo COS. *& legatus cohortati seinuicẽ subito apertis portis erumpunt eodem tempore, & cum validissimis iuuenum incurrentes in oppugnatores, ab vtraque parte iam vallum conscendentes repellunt. fugientes consul non diu persecutus in castra rediјt. sed frater & legatus eius P. Furius ardore animi euectus vsque ad castra eorum tergo hærendo cædendóque insecutus est, habens secum non plus quam duas cohortes quingenarias. hoc animaduerso hostes circiter quinquies mille castris progressi eos à fronte adoriuntur. equites verò circumuecti terga inuadunt. Ita circumuenti & interclusi quamuis traditis armis salutem possent redimere: inuitabantur enim huc ab hostibus pro magno ducentibus mille fortissimos viros in potestatem redigere, sperantibúsque tanto honestiorem pacem se inuenturos: contemptis illorum verbis seipsos cohortati nequid admitterent indignum patria, pugnando non inulti ad vnum casi sunt. Hoc successu elati Aequi rursum pro castris adfuerunt Romanis legati aliorúmque nobilium virorum præfixa hastis capita ostentantes, & hoc terrore ad deditionem eos cogi posse putantes, quod longè aliter euenit. nam extinctorum miseratio reliquis duplo maiores animos indidit, certis aut eodem modo mori, aut vincere. Illam igitur noctem obsessi peruigilauerunt sartiendo vallo aliisque rebus necessarijs ad sustinendam oppugnationem apparandis intenti. nec eos fefellit expe-*

ctatio.

ſtatio. nam reuerſa luce rurſum multis locis vallum conuellebatur: & crebris eruptionibus nunc Aequi repellebantur, nunc ipſi compellebant in caſtra progreſſos temere. durauitque id certamen per totam diem, in quo etiam conſul iaculo per ſcutum in femur vulneratus eſt, aliique multi qui circa eum verſabantur. Iámque penè deſperatis rebus ex inopinato ſub veſperam Quintius Romanis conſpectus eſt cum recentibus voluntariorum auxiliis: ad quorum aduentum hoſtes omiſſa oppugnatione receptui cecinerunt: Romani verò erumpentes extremum agmen cædebant aliquandiu: ſed breui & ipſi deſtiterunt perſequi, retardantibus vulneribus. Vtraque deinde pars ſe caſtris ſuis continuit. Poſt aliquot dies Aequi Volſcíque rati opportunum tempus prædandi veniſſe, dum Romanæ iuuentutis robur deſtinetur externa militia, Romani agri partem inuadunt longiſſimè diſſitam, quà maxima erat agreſtium ſecuritas: vbi multum prædæ, multum captiuorum partum eſt. ſed in recedendo non eadem fuit felicitas. nam alter COS. *Poſthumius, qui iam validas copias in auxilium obſeſſorum comparauerat, vt audiuit factum hoſtium, occurrit eis ex inſperato. Illi aduentu eius nil territi, impedimentis in locum quendam ſitu munitum ſepoſitis, & addito eis ſatis valido præſidio, reliqui acie ſtructa cum Romanis congreſſi ſunt memorabili prælio, nec numero pares nec armaturæ genere, concurrentibus eò qui prius diſpalati fuerant: multiq́ue Romani ceciderunt, & parum abfuit quin prædatores in alieno agro deprehenſi clarum de propugnatoribus trophæum ſtatuerint. ſed* COS. *vnà cum lectiſsimis equitum detractis equis frenis illati in confertiſſimam aciem hoſtium perruperunt ordines proſtratis plurimis: tum ante-*

signanis obtritis etiam reliqui versi sunt in fugam: & qui impedimentis custodes appositi fuerant, relictis eis proximos montes cursu petebāt. minor pars in pugna periit, in fuga plurimi, locorum ignaros equitibus cōsectātibus. Interea Furius vt collegam aduentare cognouit, veritus ne hostes obuiam illi profecti iter intercluderent. oppugnatione distinere hos statuit: quam tamen non expectauerunt, sed suorum clade audita ex his qui euaserant, motis prima statim nocte castris repetierunt patriam, re gesta non omnino ex animi sententia. nam præter absumptos in præliis & prædationibus, in hac quoque postrema fuga maior quàm antè numerus desideratus est. Fessi enim labore ac vulneribus ægréque gradum promouentes destituebantur viribus. collabebātúrque maximè circa riuos & fluuios præ siti: quos assecuti equites occidebant. Romanis præclara victoria, sed non incruenta contigit, tot viris fortissimis vnà cum legato amissis. atque hæc sunt gesta his consulibus. Sequenti verò anno L. Ebutio, P. Seruilio Prisco consulibus, neque domi neque militiæ quicquam memorabile gestum est. pestilentia sæuiēte magisquàm vnquam anteà, quæ primum equorum boúmque armenta inuasit, mox caprarum ouiúmque greges aggressa penè totum quadrupedum genus absumpsit, contagio transeunte ad pastores & agricolas, donec malum agros peruagatum in vrbem postremo incubuit. Seruitiorum mercenariaq; multitudinis hac peste absumptæ ne numerus quidem iniri potuit. nam primò coaceruata in plaustris cadauera exportabantur, deinde vilissimus quisque in profluentem Tiberim proiiciebatur. Senatorum quarta pars extincta est, & in his ambo COSS. maiórque pars tribunorum collegij. cœpit is morbus circiter calend. septēb. durauit;

durauitque annum eum continuum non ætati vlli parcens non sexui. Quod vbi apud vicinas gentes est cognitum Volsci & Aequi rati venisse tempus excidendi Romani imperij, societatis fœdere icto, paratísque rebus oppugnationi necessariis, quàm celeriter potuerunt eduxerunt ambos exercitus. & ne Romani sociorum auxiliis subleuarentur, Latinorum Hernicorúmque agros primum inuaserunt. Quo die vtriusque gentis sociæ legati ad petendam opem in vrbem venerunt, Ebutius mortuus erat, P. Seruilius exigua in spe trahens animam, senatum conuocauit. plerique semimortui lecticis in curiam illati, responderunt legatis, renuntiarēt suis, senatum illis permittere vt sua virtute hostem arceant tantisper dum consul melius habuerit, & exercitum in defensionem eorum collegerit. Hoc responso accepto Latini comportatis rebus suis ex agris in oppida, contenti mœnia tutari, contemnebant damna cætera. Hernici non ferentes vastationem & direptionem rerum suarum, arreptis armis progreßi sunt hosti obuiam: editáque egregia pugna, multis suorum amißis, pluribus hostium occisis, postremo coacti intra mœnia se recipere nō amplius tentauerunt martis aleam. Aequi & Volsci agrum eorum impunè posthac populati vsque in Tusculanum processerunt: & hoc quoque rapinis fœdato repugnante nemine per agrum Sabinum in Romanum populabundi transierunt. In vrbe magnus tumultus excitatus est, non tamen ea potiti sunt. nā Romani licet infirmi corporibus, & vtroque consule orbati. nuper enim & Seruilius è vita excesserat. supra vires armati compleuerunt ambitum mœnium, qui tunc non maior quàm Athenarum erat. erant autem partim in tumulis sita & rupibus mediocri præsidio propter loci naturā opus

habentibus: partim munita Tiberi fluuio: cuius latitudo est quatuor firmè iugerum, profunditas nauibus etiam magnis meabilis, fluxus concitatus & vorticosus si quis alius, peditibus non nisi ponte superabilis: qui tunc vnicus erat sublicius, dissoluebatúrque belli tempore. quà verò maximè hostibus vrbs est obnoxia, ab Esquilina porta Collinam vsq. opere manu facto munita est. fossa lata centum pedes quà minimum, alta triginta. cui imminet murus alto & lato intus suffultus aggere, nec arietibus quassari nec cuniculis suffodi facilis. ea munitio septem firmè stadiis longa, lata quinquaginta pedibus, occupabatur multitudine instructorum ciuium arcentium hostem imperitum oppugnandi eo seculo, quo necdum testitudines inuenta fuerant aliáve huiusmodi machina. Itaque desperata expugnatione abducta sunt inde copiæ, & agro prius quacunque iter facerent vastato redierunt in patriam incolumes. Romani creatis interregibus comitiorum causa, quod vacante magistratibus summis imperio solent facere, per eos designauerunt L. Lucretium, T. Veturium Geminum COSS. qui vt consulatum inierunt pestilentia desiit, simulq. à ciuilibus actionibus quies fuit, Sex. Titio trib. ple. ad primam mentionem legis Agragiæ ab ipsa plebe cohibito & expectare iusso feliciora tempora. ciuitati iam satis valida nihil æquè cordi fuit, ac pœnas sumere de his qui inualidam & alioquin malè affectam insuper vexauerant. ac mox ex S.C. & plebiscito delectibus habitis, nemine vel iustam immunitatem causante, quicquid militaris ætatis fuit dedit nomina. Copiis trifariam diuisis, cum pars vna Q. Fabius vir consularis vrbis præsidio relicta est, duæ reliqua cum consulibus in Aequos & Volscos profecta sunt. Idem iam & hostes fecerant. nec vtrisq.

vtriusque gentis robur in castris erat in agro Hernico, initio inde facto infestaturum omnes Romano parentes imperio. reliqua manus externæ militiæ minus vtilis oppidatim in præsidia diuisa est contra repentinos incursus hostium. Romanis consulibus visum est optimum per oppida hostium circumferre bellum, hoc consilio quòd si peterentur singuli populi, facilè dissolueretur eorum exercitus, omnibus promptioribus ad arcendum patriæ periculum quàm ad hostes infestandos. Lucretius Aequorum agros inuasit, Volscorum Veturius. Aequi contempto vastationis damno tantum munitionibus se tuebantur. Volsci freti numero suorum & audacia, hostémque arcere conati, castra opposuerunt Veturio. Sed in acie apparuit quantum valeret tironum turba ex oppidanis & agrestibus pro tempore confusa delectu tumultuario, in qua plures essent inermes aut rei militaris imperitissimi. vix enim primum congressum Romanorum sustinuit, clamore ipso & armorum strepitu in fugam versa, ita vt multi inter viarum angustias obtererentur compressione mutua, multi ab equitibus circa portas opprimerentur. Sic Volsci suo malo docti à pugna abstinuerunt in posterum. At Aequorum proceres moram non amplius patientes decreuerunt & ipsi fortiter aliquid facere, & omissis Latinis Hernicísque properato itinere ipsam Romam petere. Fore enim vt alterutro modo res sibi succedat exsententia, vel vrbe capta per iuuẽtutis absentiã, vel hoste coacto suis finibus excedere & recurrere in auxilium patriæ. hoc igitur consilio celerabant iter quantum poterant, vt improuisi adessent ad mœnia, ac mox oppugnationem aggrederentur. Iámque Tusculum vsque peruenerant, cum cognouerunt mœnia Romana armatis oppleta, & antè por-

tam in statione quatuor cohortes sexingenarias. quapropter mutato consilio, deflexerunt de via, & agrum superiore expeditione intactum populati sunt. Occurrit eò confestim L. Lucretius Consul, castráque cum eis contulit. Illi vt prius de summa rerum armis decernerent, quàm alter consul Veturius cum collega se iungeret, depositis impedimentis in quodam tumulo, appositísque præsidio duabus cohortibus, reliqui processerunt in aciem: congreßique cum Romanis diu rem gesserunt fortiter. deinde ostendente se eis à tergo manu militum è quodam montano castello descendentium existimauerunt alterum aduentare consulem, & veriti ne circumuenirentur, in fugam se verterunt. In hoc prælio vterque dux hostium post edita multa præclara facinora cecidit, & circa eos multi alij fortes viri. qui superfuerunt fuga dispersi receperunt se in suã quisque patriam. Post hæc nemine prohibente Lucretius Aequorum agrum vastauit, Volscorum Veturius, vsque ad comitiorum tempus, ac tum demum reductæ sunt domum copiæ. Lucretius triumphans vrbem inuectus est. Veturius ouans rediit ex S. C. pompa pari cætera, nisi quòd pedibus non curru ingressus est.

★

DION

DIONYSII

ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER X.

In quo res populi Ro. à consulatu P. Volumnii, Ser. Sulpitii per annos XII.

SEquitur Olympias LXXX, qua stadio vicit Torymbas Thessalus, Phrasicle Athenis principe. Romæ cõsules creati sunt, P. Volumnius, Ser. Sulpitius Camerinus. His foris nullum fuit negotium, quia nec in hostem vindicare accepto exercitu, nec suis sociorúmve rebus præsidio esse iussi sunt. tantum intra mœnia curabant nequam nouam seditionem plebs contra senatũ moueret. turbabatur enim rursus à suis tribunis, asserentibus nihil esse liberæ ciuitati cõuenientius, quàm æquum ius agendi de Republica: eóq; volebat omnia tam priuatim quàm publicè ex legũ præscripto geri. nondum enim erat apud Romanos ius æquũ omnibus ciuibus, nec omnes ex æquo ordines admittebantur ad tractãdam Remp. nec ius scriptũ extabat: sed quandiu regnatum est in vrbe, regum arbitrio lites dirimebantur, quod tum erat pro legibus. translato deinde à regibus ad annuos magistratus imperio, inter cætera officia regia iuris quoque reddendi munus ad eos de-

uenit. id ius maxima ex parte constabat virorū potestate praeditorū praeiudiciis, minima pars eius habebatur in libris pontificum: quarum legum scientia penes solos erat patritios, quòd hi soli huiusmodi libros versarent. reliquum vulgus negotiatorum & agricolarum quod non nisi mercatus gratia in vrbem statis diebus conueniebat, prorsus imperitum erat rerum talium. Primus.]C. Terentius trib. pleb. superiore anno consulare imperium certis legibus circunscribere tentauerat, quas ipso rogante ferret populus: sed rem imperfectam omisit, quòd ciuium maior pars destineretur militia, consulibus data opera bellum vsque in comitia trahentibus. Caeterùm hoc consulatu totum tribunorum collegium rē eandem aggressum est denuò, duce & autore A. Virginio, in contrarium tendentibus cum toto senatu cōsulibus caeterisq; eiusdem factionis ciuibus. quamobrem crebro senatus habitus, conciones penè quotidianae, vtriusq; partis magistratibus nihil de summo conatu remittentibus: quae omnia videbantur tendere ad aliquam magnam cladem Reipublicae non humanis tantum coniecturis, verum multo magis signis diuinitus ad terrorem augendum oblatis, qualia nunquam in omni hominum memoria reperiebantur in publicos relata commentarios. nam caelum arsisse, terram cum mugitu tremuisse, varias spectrorum facies horrendásque voces oculis atque auribus hominum obuersatas proditum erat saepe anteà: quod verò hactenus inuisum inauditúmque plus caeteris omnibus prodigiis terruit, erat niuis in morem demissa caro frustis maioribus minoribúsque. haec ab omni genere auium interuolitantium direpta sunt prius quàm terram attingerent: reliquum quod intercidit, in vrbe agrisq; sparsum iacuit multo tempore, nec colore mutato nec odore

contra

contra morem veteraſcẽtium carnium. id vates indigenæ interpretari non potuerunt. Libri Sibyllini per duumuiros aditi monuerunt cauendũ ab externo hoſte ne in vrbem penetret cũ libertatis periculo, magiſq; etiam ne ſeditiones ciuiles hoſtibus aditum aperiant. proinde naſcentibus obſtandũ eſſe, deoſq; placandos, quorum fauore de hoſte adipiſcantur victoriam. quod oraculum vbi vulgatum eſt, primum per pontifices diis quibus oportuit ſupplicatũ atque litatum eſt: deinde conuocato ſenatu: cui etiã tribuni pl. interfuerunt cõſultatum de ſalute publica. Omnibus placebat finem tandem fieri criminationum mutuarum, & ex oraculi monitu ſarciri concordiam ordinum: ſed non inueniebant quid primum alteri deberent cedere alteris, quóve modo ſeditionis materiã è ciuitate eximere. nam COSS. *& ſenatus proceres malorum cauſam in tribunos referebant, vt qui nouis legibus inducendis perturbare conarentur bene conſtitutam Remp. Tribuni contrà nihil ſe indignum Romana maieſtate aut iniquum vel noxium introducere aiebant, ſed bonas leges & æquabilitatem: quibus ſi conſules cum patritiis obſiſtant, ipſos cauſam ſeditionis futuros, qui ſua compendia quærant ex alienis diſpendiis, & in libera ciuitate potentiam plus quàm ciuilem affectent. huiuſmodi altercationibus aliquot dies contriti ſunt inaniter, tam publicis quàm priuatis negotiis pendentibus. tandem tribuni cernẽtes nihil ſe accuſationibus ſenatus proficere, hoc omiſſo concionem aduocant, eiq; legem ſe perlaturos pollicentur. quod cum probaretur multitudini, ſine mora rogationem iam antè in hoc paratam recitant, cuius capita erant hæc. Decemuiros legitimis comitiis à populo eligi, ætate, prudentia, dignitate præſtantiſſimos, & qui bonæ ſuæ famæ rationem habeant ma-*

ximam.eos viros leges de negotiis tã priuatis quàm publicis promulgare, quibus legibus sua iura praescribantur tam priuatis ciuibus quàm annuis magistratibus. Hac rogatione lata tribuni potestatem dederunt omnibus dissuadere volentibus in trinundinum. extiterúntque multi ex senatu eius legis dissuasores seniores iunioresq; non infacundi homines, deinde tribuni morarum impatientes omissis concionibus diem certam statuerunt ad quã omnes ciues praesto essent laturi de lege suffragia, quòd iã non prolixis orationibus amplius opus esset sed calculis ferendis per tribus: atque ita concionem dimiserunt. Hic COSS. & patritiorum potentissimus quisque audacius se tribunis opposuerũt, negantes se admissuros rogationes de quibus in senatu praecõsultatum non sit. Leges enim communes totius ciuitatis esse debere, non partis alicuius: esseq; id certum ad perniciem iter vel ciuitatibus vel priuatis familiis, si deterior pars potiori leges perscribat. Quam, inquiunt, potestatem legum ferendarum vobis sumitis? annon certis conditionibus magistratũ istum à senatu impetrastis, vt vim patientibus pauperibus succurratis, nec aliud tentetis praeterea? Imò etiamsi aliquid potestatis à senatu contentionum taedio extorsistis, annon totum id amisistis ratione comitiorum mutata? quando iam nec ex S. C. eam potestatem accipitis, neque centuriae de vobis ferunt suffragia, nec ex more sacrificatis ante comitia, sed absque omnibus caeremoniis magistratum capessitis. Quid igitur ad vos leges pertinent, qui omnes leges cõtemnitis? Huiusmodi voces tum vulgo tribuni audiebant à seniorum iuniorumque sodalitiis. nam patritij viros bonos & dignitate aliqua praeditos blandis mulcebant alloquiis, refractarios verò minis compescebant. quosdam etiam

ex

ex infima plebe, qui propriorum commodorum studio nihil faciebant quietem publicam, pulsatos velut mancipia foro eiiciebant. In hoc ordine plurimum poterat Cæso Quintius maximo stipatus sodalitio, L. Quintij Cincinnati filius, genere ac facultatibus cum primis honestus, ad hæc aspectu pulcher & belli pacisque artibus conspicuus, aduersus plebi, nec verbis nec factis inuidiosis temperãs. huic applaudebant patritij cæteri, opémque pollicendo addebant animos: plebeij contrà pessimè oderant. eum tribuni aggressi decreuerunt è medio tollere, deterrituri hoc pacto cæteros iuuenes ab audacia simili. igitur rei capitalis accusato diem dixerunt ad populum: quæ vbi aduenit, pro concione accusatione prolixa in hominem inuecti sunt, enumerantes quàm violentus erga plebeios fuerit, & testes facinorum eius adducentes ipsos qui iniuriam acceperant. facta deinde reo pro se dicendi copia, non ibi se causam dicturum ait, sed ad tribunal consulum, eorúmque iudicio satisfacturum his qui se læsos querebantur. Tum pater iuuenis videns plebem offensam eius peruicacia, patrocinatus est filio, plurima vt ficta refellens crimina: & quæ inficiari non poterat eleuans, parua esse dicens nec digna animaduersione publica. quin illa ipsa facinora non per contumeliam commissa, sed in contentionibus iuuenilibus, in quibus aliquoties & alios pulsasse, & ipsum vapulasse propter temeritatem ætatísque immaturæ ferociam. orabátque plebeios vt non tantum eius petulantiæ meminissent, verumetiam præclarorum militiæ facinorũ, defensiq; vnà cum priuatorum ciuium libertate imperij patriæ: quibus virtutibus meritus sit gratiã multitudinis & in delicto veniã. móxq; enumerauit quoties legitima stipendia fecerit filius, quibus præliis interfue-

interfuerit, quibus donis militaribus ab imperatoribus suis ornatus fuerit, quot ciuicas, quot murales coronas acceperit. postremo ad preces & miserationem mouendam versus, rogabat vt pro vita omnium testimonio innocenter acta hanc vnam sibi donarent gratiam, incolumitatem filij. Vehementer mouit plebem patris deprecatio, videbatúrque libenter gratificatura homini. Quod vbi sensit Virginius, videns intolerabilem posthac futuram iuuenum insolentiam, si Caeso suam impune ferret, surrexit, &, Tua, inquit, Quinti tum caetera virtus tum erga plebē beneuolentia satis testata est, debetúrque tibi & habetur honor hoc nomine. Sed huius tui iuuenis superbia ferri non potest, nec vllam meretur veniam: qui sub tam populari modestóque patre educatus, vt omnes scimus, contempta domestica disciplina, ausus est tyrannicae & barbaricae feritatis exempla in ciuitatem introducere: quod certè si te nescio factum est, nunc merito postquam in cognitionem tuam venit, ex aequo nobiscum indignationem tibi mouere debet: sin te dissimulante insultauit egenis ciuibus, tu quoq; malus fuisti quantumuis existimatus bonus & honestus vir. Sed nesciebas eum indignum te patre. Id verò vt credatur facilè impetrabis meo quoque testimonio. Alienum te esse ab hac culpa facilè credimus, hoc tantū molestum est, quòd non aequè ac nobis iniquitas istius stomachum tibi moueat. Vt autem melius scias quale malum in reip. perniciem imprudens alueris, quam immane ac tyrannicum, ac ne à ciuili quidem caede purum, audi facinus eius egregium, & si libet confer cū praeclaris istis quae memorasti militiae decoribus. Vos quoque qui propensiores videmini ad misericordiam, an tali ciui parcendum putetis, ipsi videritis. Haec locutus testem citauit vnum è collegio M.

gio M. Volscium, iussítque bona fide quæ sciret dicere. móxque silentio facto, & omnibus expectatione suspensis. Volscius aliquantum prius secum meditatus sic orsus est. Equidem Quirites omnium maximè iamdudum cupio legibus pœnas de hoc homine reposcere: quod quia hactenus per fortunæ tenuitatem ut uni è vulgo non licuit, qui accusator esse non potui, testis certe proloquar quã immani affectus sim iniuria. Frater mihi fuit Lucius omnium mortalium dilectißimus, is mecum apud amicum cœnatus noctu domum reuertebatur. emensi forum incidimus in hunc Cæsonem comitatũ turba probè potorum iuuenum. hi primum cauillis nos aggreßi sunt, quod solẽt ebrij iuuenes in humiliores sibi permittere. tandem frater etiam in hunc dixit quiddam liberius: ac mox ab indignabundo pugnis petitus & calcibus necatus est: deinde me vociferantem & succurrere parantem, omisso illo non prius pugnis contundere desiit, quàm prostratum pro exanimi relinqueret: sicq; quasi re bene gesta discesſit: nos quidam qui casu superuenerant sustulerunt cruentos, fratrem enectum vt dixi, me seminecem & nihilo meliore spe trahentem animã. Hæc facta sunt L. Ebutio, P. Seruilio consulibus peste grassante, à qua neque nos immunes fuimus. quæ quoniam vtrumque consulem absumpsit, nec ego cum aduersario legibus agere tunc potui. Successerunt consules L. Lucretius, T. Veturius, quos diu militia distinuit ab vrbanis negotiis. vbi verò reuersi sunt, quoties ad magistratus citatus est, toties (vt multi ciues norunt) pugnos ab eo retuli. Hæc sunt Quirites quæ apud vos pro testimonio dico verißime. His auditis minimũ abfuit quin Cæso interiret impetu populi: adeò Volscius homines concitauerat: sed COSS. cohibuerunt multitudinem, atque etiam tribuni aliquot,

quot.

interfuerit, quibus donis militaribus ab imperatoribus suis ornatus fuerit, quot ciuicas, quot murales coronas acceperit. postremo ad preces & miserationem mouendam versus, rogabat vt pro vita omnium testimonio innocenter acta hanc vnam sibi donarent gratiam, incolumitatem filij. Vehementer mouit plebem patris deprecatio, videbatúrque libenter gratificatura homini. Quod vbi sensit Virginius, videns intolerabilem posthac futuram iuuenum insolentiam, si Caeso suam impune ferret, surrexit, &, Tua, inquit, Quinti tum caetera virtus tum erga plebē beneuolentia satis testata est, debetúrque tibi & habetur honor hoc nomine. Sed huius tui iuuenis superbia ferri non potest, nec vllam meretur veniam: qui sub tam populari modestóque patre educatus, vt omnes scimus, contempta domestica disciplina, ausus est tyrannicae & barbaricae feritatis exempla in ciuitatem introducere. quod certè si te nescio factum est, nunc merito postquam in cognitionem tuam venit, ex aequo nobiscum indignationem tibi mouere debet: sin te dissimulante insultauit egenis ciuibus. tu quoq; malus fuisti quantumuis existimatus bonus & honestus vir. Sed nesciebas eum indignum te patre. Id verò vt credatur facilè impetrabis meo quoque testimonio. Alienum te esse ab hac culpa facilè credimus, hoc tantū molestum est, quòd non aequè ac nobis iniquitas istius stomachum tibi moueat. Vt autem melius scias quale malum in reip. perniciem imprudens alueris, quam immane ac tyrannicum, ac ne à ciuili quidem caede purum, audi facinus eius egregium, & si libet confer cū praeclaris istis quae memorasti militiae decoribus. Vos quoque qui propensiores videmini ad misericordiam, an tali ciui parcendum putetis, ipsi videritis. Haec locutus testem citauit vnum è colle-

gio M.

gio M. Volscium, iußitque bona fide quæ sciret dicere. móxque silentio facto, & omnibus expectatione suspensis, Volscius aliquantum prius secum meditatus sic orsus est. Equidem Quirites omnium maximè iamdudum cupio legibus pœnas de hoc homine reposcere: quod quia hactenus per fortunæ tenuitatem vt vni è vulgo non licuit, qui accusator esse non potui, testis certe proloquar quā immani affectus sim iniuria. Frater mihi fuit Lucius omnium mortalium dilectißimus, is mecum apud amicum cœnatus noctu domum reuertebatur. emensi forum incidimus in hunc Cæsonem comitatū turba probè potorum iuuenum. hi primum cauillis nos aggreßi sunt, quod solēt ebrij iuuenes in humiliores sibi permittere. tandem frater etiam in hunc dixit quiddam liberius: ac mox ab indignabundo pugnis petitus & calcibus necatus est: deinde me vociferantem & succurrere parantem, omisso illo non prius pugnis contundere desiit, quàm prostratum pro exanimi relinqueret: sicq; quasi re bene gesta discessit: nos quidam qui casu superuenerant sustulerunt cruentos, fratrem enectum vt dixi, me seminecem & nihilo meliore spe trahentem animā. Hæc facta sunt L. Ebutio, P. Seruilio consulibus peste grassante, à qua neque nos immunes fuimus. quæ quoniam vtrumque consulem absumpsit, nec ego cum aduersario legibus agere tunc potui. Successerunt consules L. Lucretius, T. Veturius, quos diu militia distinuit ab vrbanis negotiis. vbi verò reuersi sunt, quoties ad magistratus citatus est, toties (vt multi ciues norunt) pugnos ab eo retuli. Hæc sunt Quirites quæ apud vos pro testimonio dico verißime. His auditis minimū abfuit quin Cæso interiret impetu populi: adeò Volscius homines concitauerat: sed COSS. cohibuerunt multitudinem, atque etiam tribuni aliquot,

quot, quòd res mali exempli videretur: quin & plebis magna pars erat integra, quæ nollet de capite certantem indemnatũ perire. Ita præualuit iustitiæ ratio vt differretur iudicium, non sine magna contentione asseruandúsne interim reus esset in vinculis, an dato vadimonio dimittendus, vt pater postulabat. Senatus demum arbitrio vadari placuit. Sed postridie iuuenis litem simul & vadimonia deseruit: tribuni absentem damnauerunt & vades numero decem mulctauerũt pignoribus. Ita Cæso insidiis tribunorũ circumuentus, qui etiam Volscium falsum vt pòst compertũ est testem subornauerant, exulatum in Hetruriã abiit. Pater eius maxima parte bonorum suorũ diuendita satisfecit vadibus: contentúsque vno trãstiberino rusculo, vnóque humili tuguriolo, cum paucis seruis vitã laboriosam sustentauit, præ dolore ac inopia nec vrbẽ inuisens, nec amicos salutans, ac ne publicis quidem se miscens hilaritatibus. Caterùm tribuni multum sua spe falsi sunt. Adeò enim nihil profecit Cæsonis calamitas ad moderandam iuuenũ insolentiã, vt multo etiam ferociores sint redditi, dictis factísque rogationem oppugnantes, vt hoc consulatu nullo pacto lex perferri potuerit. itaque plebs in annum sequentẽ eosdem tribunos refecit. Vbi verò P. Valerius Publicola, C. Claudius Sabinus COSS. magistratum inierunt, periculum quale nunquam antè ab externis gentibus in vrbem incubuit, ascitum vt Sibyllini libri præmonebãt ex intestinis seditionibus. haudquaquam vano tot superioris anni prodigiorum præsagio: cuius belli origo & gesta COSS. nunc denarranda sunt. Tribuni refecti in annum alterum quo legem perferrent facilius, quoniã intelligebant alterum consulum C. Claudium laborare innato plebis odio, nihilque intentatũ relicturum quod ad rogation

gation

gationem impediendam faceret: ad hanc iuuentutis patritiæ tantam ferociam, vt per vim non posset deprimi, acrius rem agere adorti sunt, & terrorem tam plebi quàm consulibus incutere. ac primũ rumores per vrbem sparserunt varios. deinde à mane vsque vesperam in propatulo consultantes, neminẽ nisi ex collegio admittebant in colloquiũ illud secretius. postremò vbi visum est tempus exequendi consilia, literas fictitias à subornato quodam ignoto homine in foro acceperunt: móxque vultu ad mærorem composito plangentes se surrexerunt. ad quem casum concursu vulgi facto, & omnibus magnum aliquod malum diuinantibus contineri his literis, silentio per præconem indicto: Extremũ, inquiunt, plebi periculum instat Quirites: & nisi deus aliquis propitius innocentes respiceret, actum esset de nobis. rogamus vt tantisper expectetis dum rem nuntiatam ad senatum referimus, quo possimus in commune consulere. his dictis proripiunt se ad consules. Interim autem dum senatus cogitur, varij sermones iactabantur toto foro, aliis data opera vt mandatum à tribunis acceperant per circulos sermones ferentibus, aliis quæ suus cuique timor fingebat ea tribunis nuntiata suspicantibus. alius Cæsonem Quintium à populo damnatum aduentare aiebat in vrbis excidium cum Aequorum atque Volscorum copiis, vltro delato ad eum duarum gentium imperio. alius hunc ipsum reduci postliminio stipatum milite externo conducto stipe patritiorum hominum, idq; ad abolendam tam in præsens quàm in futurum plebeiorum potentiam. Rursum alius, non totum patritiorũ ordinem id moliri, sed iuniores tantummodo. nec deerant qui asseuerarent intra mœnia latere hominem, & hoc agere vt in potestatem suam redigat loca vrbis munitissima.

ma, atque ita vrbe tota commota expectatione calamitatis alicuius, cum omnia parũ tuto vid. rentur mutuis suspicionibus, consules senatum aduocauerunt, tribuni ostenderunt literas. Quorũ vnus pro omnibus A. Virginius sic locutus est. Quã diu nihil aliud quàm rumores incerti audiebãtur P.C. puduit atque piguit nos de rebus incompertis ad vos referre, quòd vereremur ne perturbata metu ciuitate paulo pòst videremur alicui plus aquo creduli, nec satis prudenter faciles. quamuis ne tum quidem omnino eos neglexımus, sed quantum in nobis fuit veritatem scrutati sumus diligentißimé. Nunc quoniam diuina prouidentia huius imperij custos perpetua prodit conatus nefariorum hominum, literásque ab hospitibus amicis recens missas accepimus, quas mox recitari audietis, & consonant externa indicia cum domesticis, nec res vrgens vllam amplius dilationem patitur, prius quàm efferatur in populum, vobis vt par est nuntiabitur. Scitote coniuratum in plebem à viris non obscuris, in quibus fertur esse aliquot non multos tamen è senatoribus, maximam verò partem ex equestri ordine, quos nondum indicari tempus est. Hi, vt comperimus, statuerunt per noctis tenebras ex improuiso in edibus nostris sopitos nos opprimere: iugulatísque tribunis pl. & siqui alij libertatis amore ipsis aduersantur, reliqua deinde per otium peragere, & abrogare quicquid vnquam plebi à vobis P.C. concessum est. Et quoniam ad hoc facinus non mediocri externa manu militum occultè comparata opus fore videbant, assumpserunt in huius consilij societatem vnũ è nostris exulibus Cæsonem Quintium: qui cædis & seditionis conuictus, à quibusdam vestrum pœna subtractus est: cui nunc reditum pollicentur honorésque & alia opera premia. nam & illę

ille viciſſim pollicitus eſt adducturum ſe Aequorum Volſcorúmque copias, quantas opus fuerit. aderítque breui ducens ſecum audaciſſimum quenque, ſed clàm & alios poſt alios: reliquum copiarum expectabit donec nos plebis magiſtratus de medio tollamur, vt tum aggrediatur plebeiam multitudinem ſiquis pro libertate quid audeat. Hæc ſunt P.C. conſilia nefariorum ciuium, qui nec deorum iram verentur, nec magni pendunt exiſtimationē hominum. quapropter in tanto periculo conſtituti ſupplices ad vos confugimus, vóſque obteſtamur per ſacra cōmunia, per tot bella ſimul geſta, ne patiamini contra ius & fas ab inimicis nos opprimi: ſed ferte opem, & iuſta indignatione concepta pœnas de autoribus tam nefarij conſilij ſumite, ſi non de omnibus, ſaltem de coniurationis principibus. & antè omnia petimus quod eſt æquiſſimum, vt nobis tribunis pl. hanc inquiſitionem committatis. nam præterquam quòd ratio hoc poſtulat, tanto diligentiores in hoc negotio erimus, quanto ipſi propiores ſumus periculo. Quòd ſiqui veſtrum nihil gratificari poſſunt, nihil admittunt quod pro plebe dicatur, eos libens interrogauero, quid indignè ferunt, aut quid ipſi poſtulant? vtrum nullam inquiſitionem fieri, & diſſimulari rem tam nefariam excogitatam in plebis perniciem? & quis hoc ſanus dixerit, qui modo à coniuratione alienus ſit? niſi forte ideo veritatem ſcrutandam non exiſtimant, ne ipſi in periculum veniant. quos ego audiendos non puto, ſi hanc cognitionem trahant ad conſules, & nobis adimant. Alioquin idem nobis plebeiis magiſtratibus dicere licuerit, ſiquis plebeios homines reos coniurationis contra ſenatum facta poſtulet, videlicet ad nos pertinere inquiſitionem de plebeiis hominibus. Sed quid inde ſequetur? Vt nulla vnquam fiat de re-

bus occultis quæstio. nos certè idem non postularemus. suspecta enim est talis ambitio. Vos quoque non rectè facietis si audiatis istos à nobis semper dissentientes, qui nos habent pro ciuitatis hostibus. nulla re P.C. magis quàm celeritate nunc opus est. Periculum est anceps, nec nobis cunctari licet, malis adeò non cunctantibus vt iam immineant. itaque omissis contentionibus & prolixis orationibus decernite quod videtur è rep. Hæc locutus coniecit senatum in maximam consiliorum inopiam. Patres enim capita inter se conferentes aiebant æquè periculosum negare tribunis inquisitionem de re tam magna atque concedere. Interim alteri consulum C. Claudio suborta suspicio coëgit eum in hæc verba erumpere. Non vereor Virgini ne me hi coniurationis putent participem, quam contra vos & plebem factam dicitis, idéoque vel mihi timentem vel ex meis alicui huic culpæ obnoxio, vobis nunc contradicere. nam vita anteacta ab hac me suspicione liberat. Quod autem S.P.Q.Romano bonū & commodum fore censeo, dicturus sum liberè. Tota via mihi errare videtur Virginius, si quem nostrū putet negaturum inquisitionem habendam de re tam magnæ atque necessaria, aut magistratus plebeios ad eam inquisitionem admittendos. Nemo tam stultus est aut iniquus plebi, qui hoc dixerit. Roget aliquis, quid igitur surrexisti contradicturus si tibi probatur quod isti postulant? Dicam per Iouē, quid sibi velit mea oratio. Ego P.C. censeo prudētibus diligenter contemplanda rerum omnium initia: nam qualia hæc fuerint, tales de eis sermones solent fieri. age igitur audite quidnam sibi tribuni ab initio proposuerint. quódue sit eorum consilium. Nihil potuerunt hoc anno efficere eorum quæ superiore conati sunt, vobis æquè vt ante resistentibus, & frigescen-

gescentibus plebis studiis. Hoc illi scientes cogitauerunt quomodo vos inuitos sibi cedere cogerent, eadémque etiam plebi imponeretur necessitas. Cùm igitur nullam iustam & veram rationem inuenire possent qua vtrumque hoc efficerent, post multos inanes conatus multásque versutias tandem hæc ratio placuit: criminemur coniurasse quosdam ex viris illustribus in plebem vt eam priuent sua potentia, & statuisse iugulare quicunque se eis opponeret, huiusmodi rumores vbi per vrbem sparserimus, quibus metus facilè fidem astruet, subornemus hominem ignotum qui nobis literas offerat in publico. postea senatũ ingressi indignemur & opem imploremus, reíque indicatæ postulemus nobis inquisitionem. Si enim patritij concedere eã noluerint, arrepta occasione plebem in eos concitabimus, habebimúsque paratam ad omne obsequium. sin concesserint, pro noxiis arripiemus generosissimũ quemque, & maximè nobis aduersum tam ex senioribus quàm ex iunioribus: illi damnationis metu aut clam nobiscum transigent, aut cogentur vrbe cedere. atque ita redigemus aduersarios ad magnam solitudinem. Hæc erant illa consilia P. C. quibus occupatos vidistis his diebus. hic dolus contra optimates texebatur, hæc retia tendebantur equitibus. id ita esse paucis verbis ostendam. Age Virgini, vos quibus tam graue instat periculum, à quibus hospitibus accepistis literas? vbi habitantibus? vnde vobis notis? vnde vestras consultationes scientibus? Quid cunctamini, & posthac mauultis quàm iam nunc dicere? quis verò est qui vobis eas literas reddidit? quin producitis eum in medium vt ab ipso incipiat inquisitio: veráne sint ista quæ affertis, an vestra figmẽta vt mihi subolet. Iam domestica indicia cum externis vt vos dicitis consentientia

quænam ſunt? quin illa quoque producitis? non poteſtis opinor approbare nobis quod nec factum nec futurum eſt. En P.C. egregia indicia, non coniurationis in iſtos, ſed malitioſi doli contra nos parati, quem hi conantur tegere. Sed res ipſa ſatis loquitur. In cauſa autem eſtis voſipſi, qui à principio tantum iſtis permiſiſtis, inſanúmque hunc magiſtratum tanta armaſtis poteſtate, & anno ſuperiore paſſi eſtis Cæſonem Quintium reum agi falſis criminibus, & tam inſignem optimatum propugnatorem vobis eripi. itaque eò profecit iſtorum impudentia, vt iam non ſingulos vexent, ſed vno agmine bonos viros conentur ex vrbe pellere. Et quod grauiſſimum eſt, ne ferunt quidem nos ſibi contradicere, ſed deterrent trahendo in ſuſpicionem conſociati facinoroſi occultíque conſilij, oſores plebis nominantes, & quæ hic dicuntur reuocantes ad iudicium populi, quod telũ ſemper in promptu habent. Verum de his aliâs dicetur opportunius. nunc compendio loquendum eſt, nec contendendum vlterius. Ego hos vt ciuitatis turbatores obſeruandos cenſeo, ne dent alicuius magnæ cladis initium. quod non ſolum hic dico clam populo, ſed pro concione quoque pari libertate paratus ſum eadem dicere, oſtenderéque nihil eis imminere periculi, imò ipſos malicioſe agentes omnia, factis quæ inimicorum ſunt ſpeciem beneuolentiæ prætexere. Finis orationis acclamationibus exceptus eſt ſenatúſque dimiſſus, tribunos nemine morante amplius. Tum Virginius aduocata concione in ſenatum ſimul & conſules inuehebatur: nec Claudius tacuit, eadem repetens quæ in ſenatu iam dixerat. & perſuaſum eſt cordatioribus è plebe vanum eſſe timorem, ſtulti maluerunt rumoribus credere. Peſſimus quiſque & nouarum rerum ſemper cupidus, tantum ſeditionis &

nis & tumultus occasionem quærebat. In tam perturbato ciuitatis statu Ap. Herdonius Sabinus, vir domi nobilis & opulentus, rem Romanam occupare aggressus est, siue sibi siue suæ genti dominationem parans, siue gloriosi nominis cupidus. is communicato cum amicis consilio ex clientelis & seruitiis breui confecit quatuor fermè hominum millia: eósque armis & commeatibus bene instructos in naues fluuiales imposuit, eas intempesta nocte appulit ad ripam Capitolio proximam, nec toto distantem stadio. ubi excensione facta, per portam Cementinam quam vocant, sacratam & ex oraculo quodam patentem, occupauit Capitolium arcémque contiguam, hoc animo ut exules reciperet, seruos vocaret ad pilea, obæratis remissionem polliceretur, inopes ciues & ob id iniquos potentioribus oblata rerum nouandarum occasione, commodorum faceret participes. Vehementer enim illi spem & animos addebat intestina urbis seditio, ut qui sciebat pessimè conuenire plebi cum patritiis, nec facilè putabat alteros opem laturos alteris. quòd si primus conatus non succederet, tum verò vocare statuerat Sabinorum exercitum Volscorúmve, aut aliarum vicinarum gentium quibus graue esset Rom. imperium. Sed in totum sua spe falsus est, nec seruis ad eum transfugientibus, nec exulibus conuenientibus, nec inopibus aut obæratis sua commoda publicis præferentibus, externarum quoque gentium quæ sperabat auxiliis exclusis breuitate temporis. triduo enim quatriduóve res in integrum restituta est, populúsque Rom. maximo tumultu liberatus atque periculo. Occupata enim arce, diffugientibúsque iis qui non sunt confossi primo impetu, clamore coorto maior pars populi quid hoc mali esset nescia, correptis ar-

mis occupauit editiores vrbis areas quales in ea passim videntur, atq; etiam humiliores planicies. Defecti verò viribus ætatéque fessi vnà cum mulieribus in adiũ tecta conuolauerunt, inde in hostem pugnaturi missilibus quem iam putabant oppleſſe loca vrbis omnia. Prima verò luce vbi cognitum est Capitolium atque arcem teneri, eúmque esse Herdonium, consules in forum progreſsi ad arma vocabant populum. Tribuni concione aduocata negabant obstaturos se bono publico: æquum tamen aiebant vt plebs subitura tam periculosum certamen, sciret sibi propositum certum aliquod præmium. Si, inquiunt, pollicentur vobis patritij, & fidem suam iureiurando obstringunt, finito hoc bello decemuiros legibus scribendis se creaturos, & posthac æquo vobiscum iure victuros, adiuuemus eos in liberanda patria. quòd si nihil æquum dignantur facere, quid opus est nos vitam periculis exponere, quando nihil inde fructus ad nos rediturum est? mouerunt hæc plebem, nec iam audiebat alios. Tum Claudius negauit sibi nunc opus talibus auxiliarijs qui non nisi mercede eáque magna conducti vellent opem ferre patriæ. ituros patritios ad recipiẽdam arcem cum armatis clientibus, & siqui voluntarij se adiunxerint: quæ manus si parum valida videatur, vocaturum se Latinos & Hernicos, & seruis (si id necessitas postulauerit) libertatem promiſſurum, denique quorumuis opera citius vsurum quàm eorum qui tam iniquo patriæ tempore veterum offensarum memoriam refricent. At Valerius collega indignationem cohibebat, ne plebem exasperando in totum infensam patritijs redderet: admonens cedendum tempori: & cum externo hoste de iure dimicandum, cum ciuibus disceptandum ex æquo. In huius sententiam cum senatus esset propensior, consul

progr

progressus in comitium grauitatis plenam oratio nem habuit, quam iureiurando clausit: si populus alacriter id bellum susceperit atque gesserit, pace constituta permissurum se tribunis cœptam rogationem, daturúmque operam vt in suo consulatu plebem voti compotem faciat: Sed dijs aliter visum, nec promissa præstare valuit vrgēte iam fatali die. Soluta deinde concione sub vesperam ad præstituta loca concurrebant qui darent nomina & sacramentum dicerent: totúmque huius diei reliquum & nox insequens insumpta est habendis delectibus. Luce redeunte centuriones sub signis adduxerunt militem, confluente & agresti multitudine: & celeriter rebus apparatis consules sortiti sunt munia, diuisis inter se copijs. Claudio mœnium obuenit custodia, nequis externus hostis cum obsesso posset se coniungere. omnes enim magnum aliquem motum timebant, ne quicquid vsquam esset hostium conspiraret in suam perniciem. Valerio arcis oppugnationem sors obtulit. Eodem tempore cætera vrbis munita loca insessa sunt præsidijs, itémque viæ ferentes in Capitolium, ne seruitia vel inopes plebeij ad hostem transfugerent, qui metus tunc erat non minimus. Externum autem auxilium à solis Tusculanis venit in tempore, eadem nocte adductum à dictatore eius populi L. Mamilio viro impigro: hósque solos in partem periculi assumpsit Valerius, vsúsque est egregia eorum opera in recipiendo Capitolio. Oppugnabatur autem arx vndique. nam alij è propinquis ædibus vasa bitumine picéque referta atque incensa iaculabantur in eam: alij congestis sub rupem sarmentorum fasciculis mox accendebant ipsam congeriem, secundo vento flammas adiuuante: fortißimorum militum globus per aduersum cliuum & viam manu factam in arcem ten-

 debant.

debant. hi quamuis præstarent numero in angustijs explicare se non poterant, telis non irritis in consur tos cadentibus. itaque nec numerus proderat, nec durata bellis virtus per ardua nitentibus, nec comi nus sed missilibus pugnantibus, inualidis ex inferio re loco ictibus. contrà è sublimi iacta ictum adiuua bant ipso pondere. non defatigabantur tamen oppu-gnatores. sed perdurabant in continuatis die noctéque laboribus. tandem telis & viribus obsessos desti-tuentibus arx vi capta est oppugnationis die tertia multi in eo certamine Romani viri fortes ceciderunt, omnium autem confessione fortissimus ipse con sul: qui multis vulneribus acceptis non tamen desti tit, donec mœnia scādenti saxum ingens impactum vitam simul ademit & victoriam. Arce capta Her donius vir robustus & manu promptus, edita prius magna strage circa se, obruius telis perijt. Cæteri qui cum eo Capitolium occupauerant, pauci viui ca pti, maior pars seipsi iugulauerunt aut per rupes præcipitauerunt. Finito hoc siue bello siue latroci-nio statim tribuni seditionem renouauerunt, postu-lantes à superstite consule quæ Valerius de lege ferenda promiserat. Claudius trahebat tempus nunc lustrationibus vrbis nunc supplicationibus. interdū etiam ludis oblectans populum. tandem consumptis omnibus tergiuersationibus opus dixit altero consu-le qui in locum defuncti subrogaretur. quod enim à se vno agatur nullam vim habiturum: nec se posse quicquam nisi vnà cum collega pro potestate age-re. atque ita rursum re dilata, diem indixit comi-tijs subrogandi collegæ. interim proceres senatus clā inter se consultauerunt cui consulatum mandarent. die comitiorum citata prima classe omnium centuriarum tam equestrium quam pedestrium suffragijs consul renuntiatus est L. Quintius pa-

ter Cæsonis eius quem tribuni metu damnationis urbem deserere coëgerant. reliquæ classes ne citatæ quidem sunt, quòd tribus cẽturijs vincerentur cum prima collatæ. Ingratum id plebi fuit, quasi infensum habituræ consulem. Senatus misit ad Quintium qui eum in urbem ad magistratum sumendum adducerent. fortè fortuna tunc nouale ad sementem aratro proscindebat, ne tunicatus quidem, sed solo succinctus subligari & caput tectus pileo. ubi verò cateruam hominum vidit rus suum petere, cohibito aratro aliquantisper dubitauit qui essent quídve sibi aduentus eorum posceret: deindeà viatore præcurrente alios monitus ut vestem sumeret, iam cultior è tugurio prodijt obuiam venientibus: tum non nomine sed consul salutatus indutúsque purpura, cum securibus & alijs insignibus ut sequeretur in urbem rogatus est. obticuit ille paulisper, ac cum lacrymis, Ergo, inquit, hoc anno agellus mihi non seretur, & de victu periclitabimur. deinde vale uxori dicto, iussáq; rei familiaris curam gerere, in urbem abijt. Quod ideo mihi dictum est, ut omnes sciant quales tum pop. Ro. præsides habuerit, manibus suis victum quærentes, temperatos, nec grauatim innocentem paupertatem ferentes, adeò non affectantes potestatem regiam, ut ultro etiam oblatam nil morarentur. Sic enim apparebit quàm dissimiles fuerint nostri seculi hominibus, longe alia studia sectantibus, præter admodum paucos qui adhuc imperij dignitatem sustinent priscorum similes. Sed ut ad rem propositam reuertamur. Quintius quàm primum magistratum inijt, tribunos à nouis legibus ferendis compescuit una denũtiatione, abducturum se omnes ciues in Volscos in militiam ni quiescerẽt. Illis verò delectus haberi se passuros negantibus, aduocata concione iuuenes sacramenti monuit con-

sulibus præstandi, secuturos signa quocunque illi iusserint, nec defuturos maiestati Roma. pop. nunc post delatam sibi consularem potestatem, habere se omnes eo sacramento deuinctos. hæc locutus iurauit se legibus animaduersurum in detrectātes imperium: simúlque signa proferri iussit ex ærario. & vt sciatis, inquit, vos in totum vacaturos me consule ab actionibus tribunitijs, iam nunc prædico vobis non deducturum me ex hostico exercitum nisi exacto magistratus mei tempore: quapropter parate vos vt in castris hibernaturi. ita territis metu laborum, & remitti sibi eam militiam petentibus, gratificaturum se illis dixit si nihil mouerent, & magistratum sibi quietum iuri dicendo præberent. tumultu hoc pacto sedato, causas multas iam inueteratas cognouit & ex æquo bonóque dijudicauit, tota die pro tribunali sedens comis & aditu facilis: adeóque plausibilem reddidit optimatium potentiam, vt homines ignobiles & alioquin humiles à potentioribus pressi tribunos non requirerent, nec nouas leges de iure æquando desiderarent, contenti præsentibus. per hæc negotia magna cum laude magistratu exacto, maiorem etiam meruit, quòd in eo retineri noluit, quãuis multum rogante senatu, vt esset qui opponeretur tribunis iam tertium annum in eodem magistratu permanentibus, vir venerandus non minus quàm metuendus & quem plebs vt honestissimum non grauaretur ferre consulem. Sed ille se neque tribunorum eorundem continuatam potestatem probare ait, neque admissurum vt in similem reprehensionem ipse incideret: multúmque pro concione inuectus in eos qui magistratu finito non decederent, persanctè iurauit non accepturum se consulatum nisi priore deposito, simúlque diem indixit comitijs, & designatis consulibus in suum se tugurio-

lum

lum ad pristinam laboriosam vitam contulit. Q. Fabio Vibulano tertium, L. Cornelio consulibus Latinas ferias celebrantibus Aequi selectorum sex millia hominum leuiter armati nocturno itinere peruenerunt Tusculum Latini nominis vrbem à Roma centesimo fermè stadio disitam, repertísque vt in alta pace patentibus portis & incustoditis mœnibus, primo impetu eam ceperunt, infensi Tusculanis, quòd constantes in fide Roma. pop. præter alia officia in Capitolio recuperando strenuam nauassent operam. multi ciuium interfecti sunt inopinato aduentu oppressi, quamuis maior pars per auersam portam effugit, quos non vel morbus retardauit vel senium. mulieres & pueri mancipiáque in prædam cesserunt cum pecunijs. Vbi verò fuga elapsi cladem eam Romam nuntiauerunt, cõsules decreuerunt reducendos celeriter in patriam profugos. Hîc rursum tribuni delectus impedientes reclamabant, poscentes prius comitia perferendis suis rogationibus. Eam moram molestè ferente senatu superuenerunt à Latinis alij nuntij, de Antiatium defectione, vno consensu nouellorum colonorum & Volscorum habitatorum eius vrbis veterum. Hernici quoque nuntiabant, Volscos & Aequos ex more iam agros suos populari, tot nuntijs solicitatus senatus decreuit non differendum amplius, sed cum omnibus copijs occurrrendum hosti, & mittendum in bellum vtrunque consulem: habendúmque pro hoste siquis ciuis sociúsve nomen in eam militiam dare detrectauerit. cesserunt tandem tribuni & siuerunt delectus habere consules: qui celeriter accitis auxilijs, mox profecti sunt, relicta domi ad custodiam tertia parte vrbanorum militum. Fabius contra Aequos properauit Tusculum, qui discesserant iam vrbe direpta, & paucis in arce relictis quòd esset

munit

munitißima. Hos quidam aiunt quoniam sub prospectu Romam haberent, vbi viderunt exire exercitum vltro deceßisse præsidio. alij oppugnatos prius à Fabio, móxque deditione facta sub iugum missos. ita reddito suis ciuibus Tusculo, consul sub vesperam inde mouit, audito ad Algidum esse Volscorum Aequorúmque exercitum: & continuato per noctem itinere sub lucem conspectus est hostibus in patente campo statiua habentibus sine fossa & vallo, vt qui in pacato solo nihil sibi timerent. Ergo suos ad rem fortiter gerendam cohortatus, primus in hostem impetum fecit cum equitibus, quos mox sublato clamore secuti sunt pedites. itaq; nonnulli etiam tum cubantes cæsi sunt, quidam surgentes & conantes resistere, maxima pars diuersa fuga saluti consuluit. captis nullo negotio castris, præda militi concessa, exceptis captiuis Tusculanorum corporibus, non diu hîc moratus duxit Ecetram quæ tum Volscorum caput erat: positisque propè vrbem castris per aliquot dies dimicationem expectauit: sed nemine prodeunte in aciem agrum populatus est, refertum hominibus & pecoribus. præoccupati enim repentino aduentu, res suas in loca tutiora comportare nequiuerant. Ea præda omni concessa militibus, multis diebus in populationes insumptis, tãdem domum reduxit exercitum. Alia parte alter consul Cornelius Volscos offendit expectantes se in finibus, cum quibus congressus fusos atque fugatos intra mœnia compulit, & in proximo castrametatus est. cúmque nemo amplius armatus occurreret excisis arbustis circumuallabat oppidum. ita necesse habuerunt hostes rursum totis viribus in aciem progredi; sed incondita multitudo non diu pugnam sustinuit, rursum coacta intra mœnia turpiter refugere. Consul verò nullam respirationem eis concedens scalas ad-

mouit.

mouit, & portas discussit arietibus: fessisque propugnatoribus non magno negotio vi in oppidum penetrauit. quicquid auri, argenti, pecuniarumque inuentum relatum est in ærarium: captiui quoq; cum reliqua præda sub hasta venierunt: militibus vestis cessit & alimenta reliquáque huius generis. deinde tam ex colonis quàm ex veteribus Antiatibus nobilissimi defectionis autores fuisse conuicti securi percussi sunt magno numero, lacerati prius verberibus. His gestis & ipse domum reduxit copias. Venientibus consulibus senatus iuit obuiam, & ambobus triumphum decreuit. Aequi per legatos pacem impetrauerunt his conditionibus: vt agros suos atque oppida retinentes quæ antè fœdus tenuerant, parerent Rom. imperio, immunes à tributis, tantúmque bello auxilia missuri ex fœdere quemadmodum alij socij. atque ita hic annus abijt. Sequentis anni consules, C. Nautius iterum, L. Minutius inito magistratu aliquandiu conflictati sunt in vrbe cum tribunis de rogationibus, A. Virginio cum collegis iam quartum annum eundem magistratum obtinente. deinde vicinis gentibus bellum cientibus & imperium in discrimen adducentibus, consules libenter occasionem à fortuna oblatam arripuerunt: habitóque delectu & accitis auxilijs trifariam diuiserunt copias: partem vnam reliquerunt Q. Fabio Vibulano vrbis præfecto, cum reliquis duabus ipsi profecti sunt in Sabinos Nautius, in Aequos Minutius. ambæ enim hæ gentes tum defecerant ab imperio: Sabini propalam, & vsque Eretum cum exercitu venerant quadragesimo ab vrbe dissitum stadio Aequi verbis societatem recentem simulantes, factis se gerebant hostiliter. Latinos enim bello lacessiuerant, quasi nullo sibi coniunctos fœdere. eius expeditionis dux erat Gracchus Clœlius vir industrius.

ſtrius, qui delatum ad ſe gentis imperium proximè regiam poteſtatem euexerat. progreſſus enim cum exercitu vſque Tuſculum, ex quo capto atque direpto ſuperiore anno Romani Aequos expulerāt, multum mancipiorum abegit & pecorum, ſegetéſque iam tum maturas corrupit. ad eum cum legati à Senatu Romano veniſſent cauſam quæſituri cur Aequi infeſtarent ſocios, poſt recens fœdus affecti nulla iniuria, repetituríque captiuos & cæteras res Tuſculanis ademptas, iuſſuríque vt exercitum abduceret, diuſimulans occupationes ne audire quidem eos voluit. tandem vbi viſum eſt admittere, mandatis ſenatus expoſitis: Demiror, inquit, vos Romani, cum ipſi omnes pro hoſtibus habeatis etiam à quibus læſi non eſtis, tantum imperandi cupidine: non permittere Aequis vt ab inimicis ſuis Tuſculanis pœnas exigant, cum tamen illis non ſit cautum in fœdere. ergo ſi res Tuſculanorū repoſcitis, non à me, ſed ab hac fago petite: ſimúlque oſtendit arborem proximam. affecti hac contumelia Romani non ſtatim per indignationem eduxerunt exercitum, ſed iterum legatos ad eum miſerūt cum fœcialibus, qui deos genióſque teſtarentur ſe violata iura executuros, iuſta piáque arma coactos ſumere: ac tum demum COS. profectus eſt. Gracchus cognito Romanorum aduentu mouit exercitum, vt hoſtem inſequētem in ea loca pertraheret, vbi ipſe futurus erat potior: quod & euenit. ingreſſus enim conuallem quandam cinctam montibus, poſtquam etiam conſulem eam ingreſſum vidit perſequendi ſtudio, verſo agmine viam quæ extra conuallem fert occupat: quo factum eſt vt Romani non quem vellent locum castris caperent, ſed quem dabat ratio temporis, vbi nec pabulatio commoda erat loco circundato montibus nudis & aſperis, neque frumentatores in hoſti-

cum

cum mitti poterant absumptis commeatibus quos domo attulerunt, neque castra mutare licebat obsessis ab hoste exitibus: quare conati vi eum pellere loco, reiecti sunt acceptis multis vulneribus, & in sua castra compulsi. Tum Clælius successu factus ferocior, circumuallare illos aggressus est, sperans fame ad deditionem cogendos. His Romam nuntiatis Q. Fabius præfectus urbis selectum copiarũ suarum robur in auxiliũ misit consuli, ductu T. Quintij quæstoris & consularis viri. deinde ad alterum consulem Nautium in Sabinos misit literas, significans quid accidisset Minutio, rogánsque vt ipse veniat celeriter. Ille commissa legatis castrorum cura cum equitibus Romam properauit: noctúque vrbem ingressus cõsultauit cum Fabio senioribúsque quidnam facto sit opus. & quia videbatur omnibus tempus dictatorem poscere, magistratum eum L. Cincinnato tradidit: atque his peractis retro ad suum exercitum abijt. præfectus vrbis misit qui ad imperiũ Quintium adducerent. Forte tum tractabat opus quoddam rusticum: & conspecta turba suspicatus eam ad se venire, sumpta veste paulo cultior factus est ei obuiam. accedenti oblati sunt equi falerati & secures XXIIII. purpuráq; cum cæteris insignijs regijs. vnde videns dictatorem se esse, adeò non delectatus est hoc honore, vt non sine indignatione dixerit: Perijt huius quoque anni fructus propter meas occupationes, & esuriendum est familiæ. deinde vrbem ingressus ciues iussit bono esse animo, oratione vsus apud populum quæ excitare spem posset. mox omnibus militaris ætatis ex agro simul & vrbe coactis, accitisque sociorum auxilijs, magistrum equitum dixit L. Tarquinium virum non magnæ existimationis propter paupertatem, cætera bello strenuum: & adiunctis sibi T. Quintij copijs, qui data

opera

opera segnius iter faciendo dictatorem expectabat, admouit ad hostem exercitum. Vbi verò satis considerauit locorum naturam in quibus castra erant, partem exercitus sui collocauit in editiore loco, vnde poterat vetare nequa noua auxilia commeatusve Aequis submitterentur. reliquos ipse produxit in aciem. nec Clœlius pugnam detrectauit, vt qui non contemnendum circa se haberet exercitum ipse vir magnanimus. dimicatum est acriter, Romanis bellorum assuetudine duratis facilè laborem ferentibus, & equitibus quacunque parte laboraretur succurrentibus, donec Clœlius cum suis coactus est in castra refugere. Post hæc Quintius circundatum vallo crebris castellis distincto, quoniam sciebat non satis instructum commeatu, oppugnauit insuper, iusso ab altera castrorum parte oppugnationi adesse Minutio, ita vt Aequi commeatibus simul & auxiliis exclusi, nec ferentes continuatos assultus hostium, supplices à Quintio pacem per legatos peterent. Ille respondit cæteros Aequos armis ademptis sub iugum se transmissurum: Gracchum verò belli ducem cum aliis defectionis autoribus vt hostem tractaturum: iussitque vt eos vinctos sibi dederent. Quibus annuẽtibus illud insuper mulctæ nomine imposuit, vt quoniam ipsi non lacessiti Tusculum diripuerãt, vicissim Corbionem sibi diripiẽdum præberent. Cum his responsis legati dimissi, paulò pòst reuersi sunt Gracchum vinctum adducentes cum cæteris defectionis autoribus. ipsi cum copiis Aequorum inermes castris suis egressi & per Romana traducti, postremo sub iugum missi sunt: & Corbionem ex pacto dediderunt. hoc vno impetrato, vt ingenuis antequàm oppidũ diriperetur liceret excedere, pro quibus acceptis Tusculani captiui sine pretio alio dimissi sunt, ex ea præda quod lectissimũ erat Romam

mem deferri mandauit, reliquum permisit suis & T. Quintij quaestoris militibus, Minutianos contentos esse debere dicens quòd ipsi hostibus praeda non fuerint. His rebus gestis & magistratum deponere coacto Minutio, reuersus est in vrbem clariore triumpho quàm vllus ducum ad eam diem, intra sextumdecimum diem ex quo magistratum acceperat profligato valido hostium exercitu, eorumque vrbe direpta ac munita praesidio, catenatum prae se agens ducem cum aliis captiuis illustribus. Et quod maximè miretur aliquis summam potestatem quam in sex menses acceperat, statim eiurauit pro concione S. P. Q. *Romano ratione rerum gestarũ prius reddita. cumque senatus ei permitteret quãtum vellet modum ex bello quaesito agro sibi sumere, & ex praeda mancipia résque alias, quas iusto honestóque suo labore partas in paupertatis remedium vertere poterat: cognatis quoque ac gentilibus priuata munificentia hominem ornare volentibus, & nihil magis cupiẽtibus quàm talem virum videre diuitem, noluit quicquàm eorum quae offerebantur accipere: tantum laudata eorum voluntate recepit se in suum praediolum, operariámque vitam regiae praetulit, magis sibi paupertate placens quàm alij homines diuitiis. Nec multo pòst alter* COS. *Nautius acie victis Sabinis & agro eorum vastato reduxit domum copias. Sequitur* LXXXI. *Olymp. qua in stadio vicit Polymnastus Cyrenensis, Athenis Callia principe, quo anno Romae C. Horatius, Q. Minutius fuere* COSS. *Horum consulatu rursum Sabini praedatum in agros Romanos descenderunt, profugi agrestes agminatim in vrbem venientes nuntiabant infesta omnia Fidenas vsque & Crustumerium. Aequi quoque nuper deuicti arma retractabant: &*

noctu omisso iuuentutis robore, Corbionis, quod oppidum superiore anno amiserant, præsidium sopitum inuaserunt atque interfecerūt, exceptis paucis qui forte aberant. alia manus valida Hortanam Latini nominis oppidum primo impetu cepit, & iram quam in Romanos non potuit, effudit in socios, cædibus sæuiendo in omnes quotquot pubertatem attigissent, nisi si qui inter primam trepidationem elapsi sunt: mulieres vero pueros & senes captiuos abduxerunt, & præda conuasata quantum poterāt, prius quàm à Latinis populis succurreretur in tutum se receperunt. His duabus cladibus eodem tempore nūtiatis senatus iussit proficisci vtrunque consulem. At Virginius cum collegis iam quintum tribuni plebis refecti delectus impediebant quemadmodum annis superioribus, domesticum bellum prius finiri postulantes, legémque tandem perferri quam tot annis ferendo eluderentur, plebe quoque in senatum iactante voces plenas inuidiæ. Cúmque tempus extraheretur nec consulibus de lege concedere, nec tribunis delectus permittere volentibus, multis orationibus tam in curia quàm in comitio frustra habitis, tribuni pl. aliud nouum institutum contra senatum inuenerunt quod seditionem sopiit, & in posterum magnam accessionem fecit plebis potentiæ id referre libet quomodo acciderit. Dū Romanorum æquè ac sociorum agri ab hostibus impunè popularentur, qui durante seditione non erāt soliciti ne quis cum armis ad arcendos prodiret obuiam, COSS. senatum coëgerunt, quasi extremum tunc consultaturi de Republica & post aliquot orationes habitas vbi ad sententias rogandas ventum est, primus L. Quintius qui superiore anno dictator fuerat, vir non belli solum verumetiam pacis artibus ætate sua clarissimus, dixit pro sententia

tentia quod maximè tum tribunos tum ceteros ciues mouit: actionem illam de legibus, quandoquidem in præsentiarum alia res magis vrgeant, differendam in tempus opportunius. bellum verò quod sit præ manibus, & tantum non in vrbem ipsam incumbat, propulsandum modis omnibus, nec committendum vt quod imperium maiorum maximis laboribus partum accepissent, id turpiter amittatur per ignauiam. Quod si plebis opera ad id tuendum impetrari nequeat, debere patritios vnà cum clientibus voluntariisque militibus hostem aggredi. fore enim vt alterutrum consequantur, aut victoriam latiorem & clariorem quàm vnquam antea, aut in prælio mortem honestissimam. huic periculo neque se defore, sed rem gesturum æquè cum validissimis, idémque facturos omnes seniores quibus libertas cordi sit & gloria. In hanc sententiam vbi ab omnibus itum est, concionem aduocauerunt consules. ad quam confluente populo vt rem nouam audituro, progressus in medium C. Horatius conabatur persuadere plebi vt hanc quoque expeditionem volens ac libens sumeret. cæterùm tribunis reclamantibus, & plebem auertentibus, rursum exorsus consul, Rem egregiam, inquit, Virgini fecistis diuulsa à senatu plebe: & quod ad vestram partem attinet actum est de imperio cæterisque commodis quæsitis vel maiorum vel nostris laboribus. nos tamen non sinemus hæc nobis eripi sine sudore ac puluere, sed sumptis armis vnà cum aliis ciuibus qui patriam cupiunt incolumem, ibimus cum bona spe in prælium: & si quis Deus curat iusta certamina, fauente huius vrbis fortuna reportabimus victoriam. quod si aliquis Deus iratus salutem nobis inuidet, nos tamen pietatem erga patriam retinebimus, nec gra-

uabimur pro ea mortem honestam oppetere. vos interim domi cum mulierculis manete generosi plebis præsides, nobis desertis vel potius proditis: vt nec victoria nostra vobis honori sit, nec si res aliter ceciderit ipsi careatis periculo: nisi forte speratis extinctis patritiis hostes vobis relaturos hanc gratiam, vt patria vos sinant frui libertatéque cum imperio, quos prius quàm ad hanc veniretis insaniam agris mulctatis & oppidis, & huiusmodi cladibus affecistis vt nunquam intermoritura sit earum memoria. Sed quid ego plebem increpo quæ nunquam sponte peccauit? ac non potius vos Virgini, qui hos præclaros mores in ciuitatem inuehitis. nos certè quos fortes viros esse cogit necessitas, semel decreuimus, nec est quod nos dimicare pro patria prohibeat: vos desertores & proditores Reipubl. diis pœnas dabitis, si non & hominibus, imò his maximè: quod nolim videri dictum minaciter & terrendi tantum gratia. Certò enim scitote eos qui relicti fuerint ad vrbis custodiam, si hostes victores fuerint, eam quæ ipsos deceat mentem habituros. nam cum barbari homines ab hostibus deuicti noluerint coniuges & liberos in eorum potestatem venire, sed potius has incenderint, hos iugulauerint, putatis Romanos hactenus aliis imperare solitos aliquid de sese consulturos turpiter? non adeò sunt degeneres. sed à vobis inimicis incipientes contrucidabunt etiam carissimos. hæc igitur considerantes concionamini & nouas rogationes ferte si libet. hæc & similia locutus produxit seniores patrum flentes: quibus conspectis plebs nec ipsa temperauit à lacrymis. itaque vehementer motis affectibus ætate ac dignitate hominum, consul post interpositum breue silentium: Non pudet vos Quirites, inquit, nec sub terram vos abditis?

tis? & his senibus pro vobis iuuenibus arma sumentibus, deseretis quos patrum appellatione salutastis hactenus? O miseri ac ne Quiritium quidem nomine digni aut hac patria, cuius conditores parentes suos gestauerunt humeris, diis per armatos hostes & incendia viam præbentibus Tum Virginius vt vidit flecti plebem his sermonibus, veritus ne vel se inuito bellum suscipiat, progressus in medium, Non deserimus, inquit, vos patres neque prodimus, sicut nec antè vnquam deseruimus, imò & viuere vobiscum volumus & pati quicquid fortuna libuerit: sed pro nauata semper opera mediocrem gratiam reposcimus, vt quemadmodum periculorum sumus participes, ita æquo iure degamus, constitutis legibus libertatis custodibus, quibus omnes vtamur in posterum. quòd si qui certò destinastis pernegare nobis hanc gratiam, emoríque mauultis quàm concedere, desinemus contendere. Sed aliud à vobis petimus beneficium, quo impetrato forsan non opus erit nouis legibus. veremur autem ne hoc quoque nobis negetur, quod nullo senatus detrimento concedi potest, & plebi erit gratum atque honorificum. Respondit consul, si tribuni actionem hanc in senatus gratiam omittant, facilè impetraturos quod peterent, iussítque quid petant dicere. Virginius pauca prius cum collegis collocutus, ait se apud senatum dicturum. ac mox senatum ingressus secum priuilegia plebis deferens, petiit duplicari tribunorum numerum, vt posthac quotannis decem crearentur. id cæteri patres sine controuersia concedendum censebant, vt innoxium Reipub. suadente in primis L. Quintio tum principem autoritatem in senatu obtinente. Solus contradixit C. Claudius Appij filius, eius qui semper iniquis plebis postu-

latis aduersatus fuerat, & ex disciplina patris in consulatu suo inquisitionem in equestrem ordinem per calumniam de coniuratione suspectum nō permitti tribunis effecerat. Is paucis verbis docebat non sperandum plebem modestiorem fore si duplicaretur tribunorum numerus, sed insolentiorem potius. neque enim eos sumpturos magistratum certis conditionibus quibus circunscribatur eorum licentia, sed confestim mentionem facturos de lege agraria communicandísque honoribus, omniáque dicturos ac facturos vt potētiam plebis prouehant, cum senatus & optimatium factionis dispendio. visusq́ est nonnihil dicere. Sed magis mouit autoritas Quintij, ostendentis in rem senatus esse augeri tribunorum numerum. facilius enim paucos conspirare quàm plures. nec aliud esse remedium contra eius magistratus violentiam, quàm quod ab Appio Claudio Caij patre commonstratum sit, videlicet si non consentiat id collegium. In hanc sententiam S. C. factum est, licere plebi decem tribunos quotannis sibi creare, modo ne quis reficeretur qui proximo anno eundem magistratum gessisset. Id S. C. promulgauit Virginius, factúmque est plebiscitum vt in sequentem annum decem tribuni crearentur. Ita seditione composita habitóque delectu consules prouincias sortiti sunt, Sabinos Minucius, Aequos Horatius. Sabinorum ager peruastatus est, ipsis intra oppidum se continentibus. Aequi occurrentes ad prælium quamuis acriter dimicarint, postremo tamen profligati sunt & compulsi intra oppida, amisso illo oppido pro cuius manibus pugnatum fuerat. Horatius quoque hostem tandem congredi ausum fudit ac fugauit, vastatóque agro Corbionis tum mœnia tum priuata ædificia diruit, atque ita reduxit exercitum.

Anno

Anno sequenti M. Valerio, Sp. Virginio COSS. *nullum bellum externum fuit, domi contentiones recruduerunt inter tribunos & cõsules, ex qua conflictatione tribuni superiores discesserunt. Nam antea tantum in concionibus regnabant tribuni, senatum vocare aut sententiam dicere eis non licuit, sed consulum is honos fuit. Huius anni tribuni primi senatum conuocare ausi sunt autore Icilio, qui eius collegij princeps erat vir industrius & pollens Romana facundia. hic quoque ausus est aliquid nouare in Republ. Auentinum ad ædificia plebis postulans. collis hic est* XII. *fermè stadiorum ambitu comprehensus mœnibus, qui tum non totus habitabatur, sed nemorosus erat & publicus. de hoc plebeiis assignando consules compellauit tribunus, rogans vt ex* S. C. *id fieret: quibus rem differentibus, per apparitorem consules citauit ad collegium, iussos senatum vocare. apparitor repulsus à lictore iusso id facere, tantam indignationem mouit collegio, vt lictorem correptum ad rupem Tarpeiam ducerent, nec consules tametsi grauiter eam contumeliam ferentes potuerunt eum eripere, tantum aliorum tribunorum opem inuocabant. quod enim ex eius collegij sententia fit nemini vetare licet nisi tribuno. illi autem iam antè conspirauerant, nihil nouare nisi de communi consilio, neque quenquàm de collegio intercedere voluntati collegarum plurium: in ídque mox ab inito magistratu inter sacra coniurauerant, sic maximè rati fore inuiolabilem suam autoritatem si inter ipsos conueniat. huius igitur coniurationis respectu responderunt decretum esse de lictore. non tamen perstiterunt in ea sententia, sed remiserunt iram & supplicium hominis condonauerunt senioribus patrum deprecantibus, veriti etiam in-*

uidiam quòd primi morte mulctarent hominem qui magistratus iussu fecisset, & solliciti ne per hanc occasionem ad extrema audenda patritij nenessariò se verterent. Quo facto senatúque coacto, consules grauiter incusauerunt tribunos. Pro quibus respondit Icilius excusans iram in lictorem, & sacratas leges pro se afferens, quæ neque magistratui neque priuato concedebant ut aduersaretur tribuno. Senatum etiam non iniuria conuocare se aggressum meditata oratione persuadere conabatur. deinde vbi satis responsum ad accusationem consulum videbatur, mentionem legis intulit. Erat autem huiusmodi. Quæ priuati homines bono iure parta possideant, ea manere penes pristinos dominos. Quæ per vim aut fraude occupassent ædificiis, ea restituto ex arbitrorum sententia pretio ædificationis addici populo. quæ publica sint, ea sine pretio plebi diuidi. Docebat deinde legem hanc ciuitati fore utilissimam, præsertim ad coërcendas seditiones agrarias. nam inopem plebem contentam fore vrbanis prædiis, quæ nunc publica cum sint, occupentur tamen à multis potentibus. Hæc dicēti multi assentiebant, solo dissentiente C. Claudio. tandem S. C. factum est vt plebi locus is daretur. Post hæc in præsentia pontificum & augurum duorúmque sacrificorum centuriatis comitiis lex perlata est à consulibus, quæ extat in Auentino incisa in columna area. deinde plebeij areas eius soli diuiserunt sibi ad ædificia, occupantes quantum quisque poterat. interdum duo trésue plurésue vnas ædes collatis impendiis extruebant, aliis infimas earum partes, aliis cœnaculum sibi sumentibus. ita totus is annus ædificando absumptus est. Sequens consules habuit T. Romulium & C. Veturium, tribunos L. Icilium cum collegis refectum, memorabilis

variis

variis motibus. nam & ciuilis seditio iam languescere visa excitabatur à tribunis: & externi hostes insurrexerunt maiore bono ciuitatis quàm incommodo, quòd ea res ad eximendam seditionem faceret. Sic enim in orbem redibant vicissitudines, vt pax seditionem afferret, bellum concordiam, id animaduertentes summi magistratus, nihil magis quàm externos motus optabāt: & quoties foris pax esset, quærebant bellorum occasiones, vt qui intelligerent fœlicitatem vrbis bello crescere, labefactari domesticis seditionibus. Eadem fuit mens & præsentis anni consulum, rebus pacatis ab egena otiosaq; multitudine sibi timentium. Et rectè quidem quòd distinendos putarent militia, sed in eo peccatum est, quòd cum in vitiosa ciuitate moderatos delectus habere deberent, nullius excusationem recipiebant, legum pœnas intentantes in bona & corpora segnius parentium quæ seueritas intempestiua occasionem tribunis plebem turbandi præbuit, vt pro concionibus vociferarentur in consules, obiicientes illis quòd multos tribunitia potestate functos in carcerem duci iusserint. cúmque clamoribus nihil se viderent proficere, sed maiore seueritate delectus fieri, aggressi sunt factis obsistere. Consulibus verò pro imperiò resistentibus, irritatis contentione animis, interdum non temperabatur à manibus. aderat præsto consulibus iuuentus patritia, tribunis miserrimus quisque & ignauissimus. prima contentionis die victores discesserunt consules: sequentibus verò affluente ex agris multitudine, tribuni rati se iam non impares continuè concionabantur, ostentantes suos apparitores suggillatos, & depositurus se magistratum minitantes, si nullum sibi expectandum esset à plebe auxilium. cúmque non admodum audirentur, senatum adierunt, qui

tum forte in curiam ea de causa conuenerat: questique sunt de non ferendis iniuriis, orantes ut plebi suum relinquatur auxilium: iam non potestatem suam tantum violari, verum etiam corpora: tantam esse consulum & eorum coniuratæ factionis insolentiam. postulabántque alterutrum, ut consules aut si conscij sibi essent innocentiæ & non læsæ tribunitiæ potestatis sacrosanctæ, pro concione magistratum eiurarent: aut si religio esset iurare, apud populum causam dicerent. se enim diem eis dicturos. Responderunt consules iniuriarum à tribunis factum initium, qui non veriti sint inferre vim corporibus consulum, primum per ædiles & apparitores duci iussis in carcerem summis magistratibus, deinde ipsi etiam cum suis ferocissimis stipatoribus in eos manus iniicientes. demonstrabántque quid interesset inter ipsos magistratus: consulum esse potestatem regiam, tribunitiam ideo receptam in ciuitatem ut oppressis opitularetur: adeóque non licere tribunis diem consulibus dicere, ut id ne in minimum quidem patritij ordinis eis inconsulto senatu liceat. minabantúrque si illi plebem vocarent ad calculos, se ad arma vocaturos patritios. Per has altercationes die consumpta senatus nihil definiit, ne vel consulum vel tribunorum magistratum minueret, quòd utrunque non careret periculo. itaque cum etiam à senatu tribuni re infecta discederent, reuersi ad populum consultabant quid facto sit opus. qui turbulentissimi erant suadebant nouam armata plebis in sacrum montem secessionem vbi olim castra habuerat: eam sedem belli fore contra patritios, qui contra fœdus apertè antiquarent potestatem tribunitiam. Id maiori parti displicuit, quòd negarent paucorum qui tribunos læserant culpam in totam aduersam factionē conferend

ferendam: dicerêntque expectandam legum animaduersionem quæ sacrosanctorum corporum violatores morte mulctarent aut exilio. qui mitioris erãt ingenij ab vtrisque dissentiebant: quòd nec secessio probaretur nec indemnatorum supplicium, præsertim consulum, qui magistratus esset maximus: deflectendam esse iram potius in eorum adiutores, & de illis pœnas sumendas quæ statutæ sint legibus. Quòd si illa die tribuni iram non abstinuissent à COSS. & senatu, nihil vetabat quin ea die ciuitas seipsam perderet: adeò omnes ad arma & bellũ ciuile parati erant. nunc quia re dilata tẽpus ad maturius deliberandũ sibi reliquerunt, & ipsi mitiores facti sunt & aliorum iras lenierunt: dicq; dicta COSS. in trinundinũ, qua pecuniis mulctarẽtur, dimiserunt concionẽ. iamq; instante die iudicij destiterunt ab hoc proposito ad deprecationẽ honoratissimi cuiusq;, post hæc pro concione populum allocuti, dixerunt culpam in se admissam remittere se in gratiam eorum quibus nihil negare fas putarent: iniuriã verò ipsi plebi factã vlturos ne malo exemplo noceat. Promulgaturos enim se legem agrariã per annos XXX. iam extractam tum eam qua de æquando iure à proximis tribunis perferri non potuerat. hæc cum iureiurando polliciti edixerunt ad quã diem populus conuenire debeat ad ferendà suffragia. quæ vbi aduenit, primum ipsi multa pro lege locuti & aliis suadendi potestatẽ fecerunt. Cúmque multi processissent in medium, commemorãtes militiæ facinora, & rem indignam clamitantes ex tam amplis agris bello partis nullam se accepisse portionem, cósque vsurpari à potentioribus violentia fructum percipientibus: postulantésque vt periculorum participes etiam in præmiorum partem admitterentur: plebe libenter hæc audiente, nullus

eam

eam magis mouit quàm L. Siccius Dentatus, quo nemo plura enumerauit facinora. Erat autem admiranda specie, ætate qua maximè pollet vi animi, vt annos natus duo de sexaginta, facundia quoque militari præditus. is ita locutus est ad populum. Ego Quirites si singillatim percensere vellem mea facinora, dies me deficiat: capita rerum tantum dicturus sum compendio quanto potero. XL. *iam annis pro patria milito,* XXX. *annis duxi ordines nunc centurio, nunc tribunus. iam inde ex quo C. Aquilius, T. Sicinius* COSS. *à senatu contra Volscos missi sunt. eo bello miles annos* XXVII. *natus cum in prælio cecidisset cohortis meæ centurio & hostes signa prehensarent, solus me opposui, reiectísque hostibus signa seruaui, à cohorte ignominiam depuli morte grauiorem viris fortibus, quemadmodum ipsi milites testati sunt ornantes me corona aurea: testatus & consul Sicinius qui me centurionem esse iussit. Alio rursum prælio in quo tribunus castrorum præfectus prostratus est, & aquila venit in potestatem hostium, pari modo pro tota legione certans, aquilam recepi, præfectum seruaui: qui pro lata ope referens gratiam, tribunatum mihi cessit, & commisit aquilam: quod tamen accipere nolui, ratus indecorum eum spoliare honoribus, cui vitam donaueram pro eo merito consul me primæ legionis tribunum fecit, quæ eo prælio duce orbata fuerat. Hæc sunt Quirites facinora quibus innotui & ad honores perueni. deinde iam clarus omnibus certaminibus interfui, quòd puderet priora decora non æquare posterioribus: continuóque postea militaui nullum laborem, nullum periculum refugiens: sempérque donatus à consulibus spoliis, coronis, aliísque muneribus & honoribus abij: & vt compendio dicam bis* XL. *annis centies*

ties & vicies dimicaui in acie, vulnera XLV. *accepi aduersa omnia, nullum auersum: & ex iis vna die* XII. *quando Sabinus Herdonius arcem occupauit & Capitolium. dona ex diuersis pugnis retuli,* XIIII. *ciuicas, tres murales, octo aureas coronas. praeterea torques aureos* LXXXIII. *armillas aureas* LX. *hastas puras* XVIII. *faleras* XXV. *& ex his nouem ex prouocatione prostrato hoste singulari certamine. Hic tamen ego Siccius, qui tot annos pro vobis Quirites militaui, tot praeliis pugnaui, tot donis honoratus sum: qui nullum periculum unquam refugi aut vitaui, sed in acie versando, in oppugnatione, inter pedites, inter equites, cum omnibus, cum paucis, solus, toto corpore conuulneratus sum: qui vnà cum aliis commilitonibus tam multos bonos agros paraui Rom. populo, partim Hetruscis & Sabinis ademptos, partim Aequis & Volscis atque Pomptinis, aliisque hostibus, nec ipse portionem vllam ex eis accepi, nec vestrum quisquam Quirites qui eorundem laborum fuistis socij: sed violentissimus quisque & impudentissimus maximam partem eorum multis iam annis possidet: eisque fruuntur, non dono à vobis acceptis, neque emptis pretio, aut aliud vllum ius in eos valentes praetendere. Qui si aequè nobiscum laborassent dum eos agros quaesiuimus, ne sic quidem aequũ aut ciuile erat ad paucos peruenire quae sunt omnium, attamen habuisset fortasse quendam rationis praetextum eorum auaritia. Cum autem nullum possint memorare egregium ac virile facinus, cuius merito res nostras occupent, eas retinentes perfricta fronte etiam post redargutionem quis ferat? Age prodeat aliquis, méque vanitatis conuincat, & istorum magnificorũ aliquem ostendat qui dignior sit vt plus quàm ego ex publico possideat. num*

qu-

quia pluribus annis militauerit, pluribus prœliis decertauerit, plura vulnera acceperit, aut coronis, spoliis, donis præmiisve militaribus mihi præferendus sit? quibus rebus hostes infirmiores fiunt, patria clarior & auctior. imò ostendat vel decimam partem eorum quæ ego ostendi. Sed istorum plerique quantillam portionem eorum possunt ostendere? nonnulli verò vix cum gregario milite conferendi sunt nauata opera, vt qui verbis quàm factis clariores sunt, & amicis grauiores quam hostibus, nec communem hanc ciuitatem se habitare putant, sed suam propriam: quasi non vnà nobiscum à tyrannide liberati sint, sed nos in hæreditatem à tyrannis acceperint: quorum vt alias maiores minorésve contumelias dissimulem, nimirum notas omnibus, qualis est illud superbiæ quòd ne vocem quidem pro patria nos emittere sinunt liberam, ac ne hiscere quidem? Sed Sp. Caßium qui primus diuidendorum agrorum mentionem fecit, ter consulem, bis triumphalem, tot honoribus, tot rebus domi forísque gestis insignem ac nemini ætate sua secundum, obiecto tyrannidis crimine falsis opppresserunt testimoniis, de rupéque dederunt præcipitem, non ob aliud nisi quia plebis amator erat & patriæ. tum C. Genutium tribunum nostrum quia post XI. annos eandem legem renouabat, & proximi ante suum tribunatum anni consulibus diem dixerat, neglecto etiam S.C. quod super ea lege factum fuerat, quoniam aperte necare non potuerunt, clàm pridie quàm iudicium fieret sustulerunt e medio. quæ res adeò terruit alios, vt postea nemo non sibi caueret ab huiusmodi periculo, iámque XXX. annis tyrannidi similem istorum licentiam ferimus. Omitto alia, hoc ipso tempore cum magistratus nostri quibusdam plebeiis vim patientibus subuenirent, fecit

lege

lege quæ ipsos sacrosanctos esse voluit, quibus non affecti sunt iniuriis? pugnis petiti & calcibus, coacti sunt foro excedere. & vos hæc feretis, neque quæretis quomodo de istis pœna sumatur, saltem suffragiis, quibus solis potestis declarare vos liberos? Agite Quirites nunc tandem assumite mentem ingenuam, & legem agrariam fe rentibus tribunis confirmate vestris calculis, ne auditis quidem dissuasoribus. Vos vero tribuni adhortatione opus non habetis, qui rem vltro aggressi rectè facitis quòd nemini ceditis. quòd si iuuenum peruicacia & impudentia impedimento vobis fuerit quo minus colligatis suffragia vrnas & calculos eripientium aut per tumultum aliquid turbantium, declarate eis vim vestri collegij. & quoniam consulibus magistratum abrogare non decet, hos priuatos eorum violentiæ ministros adducite in iudicium populi, qui sacratas leges violare non dubitant cum vestræ potestatis iniuria. Grata fuit plebi hæc exhortatio, tantánque vim habuit: vt multitudo (sicut dixi) videretur neminem latura qui vellet legem dissuadere. Sed Icilius assurgens, cætera dixit rectè locutum Siccium, multisque laudibus ornauit hominem. quod verò dissuadere volentibus non permitteret, nec iustum esse nec receptum ciuitatis moribus, maximè cum de lege agatur quæ iuri faueat contra violentiam. non esse dandam occasionem iis qui sua commoda pluris faciant quàm tranquillitatem publicam. His dictis iussit in crastinū adesse qui vellent contra legem perorare, atque ita concionem dimisit. Tum consules domi cœtum patrum habuerunt eorum præcipuè qui magis pollerent autoritate opibusque: eósque docuerunt modis omnibus legi obnitendum, verbis primum, & si his nihil proficiant factis etiam: iusseruntq; vt mane in forum

conuen

consulibus diem dicendam sed eorum propugnatoribus & ministris qui minore inuidia puniri poterant, quemadmodum Siccius monuerat. restabat vt de accusandorum numero, criminis nomine, æstimatione mulcta statueretur qui ferociores erāt omnia hæc augebant ad terrorem incutiendum cæteris: contrà mitiores ad mediocritatem & clementiam reuocabant singula: cuius sententiæ Siccius fuit autor, is qui pro concione legem agrariam suaserat. Placuit igitur omissis patritiis aliis diem dicere solis Clœlus, Posthumiis, atque Semproniis. Crimini fore quòd contra sacratas leges quas de tribunis S.P.Q.R. tulerat, quibus disertè cauebatur nequis tribunos inuitos cogeret, ipsi eos cohibuissent ne cognitionem de lege perferrent ad populum. mulcta verò placuit non mors, aut exilium, aut aliquid inuidiosum, ne absoluerentur eo facilius, sed vt bona eorum sacrarentur Cereri: quæ omnium mitissima pœna lege præscribebatur. Factum est ita, & adfuit dies iudicij: Tum consules & reliquæ patritiorum familiæ quæ frequentes aderant in senatu, censuerunt cedendum esse impotentiæ tribunorum, ne vetiti audeant peius aliquid, permittendúmque efferatæ plebi vt effusa bile in nobilium virorum patrimonia posthac fiat mansuetior & tractabilior vtcūque mulctatis inimicis, & alioqui pecuniarum iacturam sarciri facilius itaque absentes rei damnati sunt. & tribunis satisfactum videbatur constabilita eorum potestate ciuiliter. bona damnatorum patritij redemerunt à populo æquo pretio, restituerúntque pristinis dominis. & hic fuit eius contentionis finis. Nec ita multo pòst rursus tribunis legem promulgantibus, interuenit nuntius de hostibus per agrum Tusculanum properantibus Romam magno agmine, vnum Tusculum

moram itineri Aequorum facere, non diu facturum nisi maturè succurratur oppidanis laborantibus. itaque senatus decreuit ambos consules ire obuiam: qui mox omnes ciues iusserunt dare nomina. ibi Tribuni conati sunt seditionem renouare impediendo delectus, sed frustra. Factum est enim S.C. vt patritij bellum sustineant cum suis clientibus reliquis ciuibus qui sponte pro patriæ salute arma sumpserint deos fore propitios, iratos contrà desertoribus consulum. eo S.C. pro concione recitato, multi plebeiorum etiam sponte dederunt nomina, pars ingenuo quodam pudore, ne deessent populo propter fidem erga Romanum imperium sæpius infestato ab hostibus, & in his ipse Siccius diuitum publico agro incubantium accusator cum cohorte octingenaria emeritorum qui in eius honorem secuti sunt militiam, fortitudine reique militaris peritia facile primi in eo exercitu: maior verò pars in senatorum gratiam, nec deerant quos prædæ spes inuitaret ad quæuis pericula: breuique instructissimus exercitus & satis numerosus comparatus est. Quo cognito hostes non expectauerunt eius aduentum, sed receperunt se in sua. Hos consules properato itinere ad Antium assecuti in prærupto quodam loco castrametatos, ipsi quoque non procul ab eis castra posuerunt: & aliquandiu exercitus vterque intra suum vallum se continuit. tandem Aequi Romanos vltro lacessiuerunt freti suo numero, & infesti aquatoribus. hoc animaduerso consules non amplius cunctati sunt. penes Romulium tunc erat imperiū. is dato pugnæ signo prodiit in aciem, instructisque peditum & equitum ordinibus, accitum ad se Siccium ita allocutus est. Nos Sicci hic cum hoste dimicabimus. tu interim dum acies vtraque se ad prælium expedit, per obliquam il-

lam

lamviam conscenso monte castra hostium aggredere: vt qui nobiscum confli&tabuntur, aut quod fore credimus, metu ne sua castra expugnentur, trepidè se per viarũ angustias recipientes nobis faciliorem victoriam præbeant: aut si manserint in vestigio, castra amittant. nec enim validum est præsidium, cum ei tota sit in loci natura fiducia: & octingenaria cohors quæ te ducem sequitur ex veteranis constans, tabernaculorum custodes ex improuiso adorta facilè profligabit ipsa audacia. Ad hæc Siccius, Equidem promptus sum imperata facere, sed quod iubes non tam facile est quàm tibi videtur. nam & castra in prærupto saxo sita sunt, ad quæ vnicam viam ferre video, per quàm hostes descendent contra nos: & præsidium vel paruum nec admodum strenuum, satis videtur ad reiiciendos multo maiores quàm meæ sunt copias: & locus ipse præsidiarios tutabitur. Quapropter mallem te mutare consilium: nam tentare periculosum est. quòd si omnino statuisti duobus locis pugnare vno tempore, manum idoneam selectorum virorum adde quæ me sequatur vnà cum emeritis. non enim obrepemus, sed palàm castra oppugnabimus. Plura parantem dicere de ratione sui consilij consul interpellauit. Non multis verbis, inquit, opus est: sed si audes imperata facere i celeriter. & imperatoris munia tibi vsurpare desine. sin periculum refugis, vtar aliorum opera: tu verò qui centies vicies in acie dimicasti, XL. annos militasti, conulneratus toto corpore, quoniam vltro venisti abi ne viso quidem hoste. & pro telis linguam contra patritios acue. Vbi nunc sunt illa multa dona, torques, armillæ, hastæ, phaleræ, coronæ acceptæ à consulibus, detracta singulari certamine victis spolia, cæteráque mo-

lesta qua te iactantem pertulimus? Hoc vnum opus serio periculosum ostendit qualis sis. opinione magis vir fortis quàm re vera. Ibi Siccius motus conuitio, Non ignoro, inquit, Romuli alterutrum tibi propositum, vt aut viuo mihi partam gloriam adimas & ignauia notam inuras turpißimam, aut misero & obscuro exitio me perdas obiectum hostibus. nam & ego videor liberali prudentia praeditus. non enim me in dubium periculum, sed in mortem certam mittis. attamen hac quoque iussa perficiam, & dabo operam ne ignauus videar, aut expugnaturus castra, aut si spe frustraber moriturus fortiter. vos commilitones mihi testes apud reliquos ciues eritis, si lethum meum audieritis, virtutem me meam perdidisse, & nimiam loquendi audaciam. Hoc responso dato consuli lacrymans consalutauit omnes familiares, atque ita cum sua cohorte & ipsa mæsta lacrymanteque non aliter quàm in mortem profectus est commiserante vniuerso exercitu, quasi ex octingentis viris neminem posthac visuro. At Siccius non ea via qua Romulius credidit, per latus montis duxit, sed in saltum quendam densißimum. ibi suos sic allocutus est. Misit nos dux vt videtis in exitium. putauit enim per obliquam illam viam ituros, per quam eundo impoßibile erat hostes fallere. ego vos ducã per aliam illis non conspicuam, & bona spes est inuenturum me calles aliquos qui nos ad castra perducant in verticem. quare bono este animo. Hæc locutus per saltum ducebat, cuius magnam partem emensus forte fortuna virum nactus est rusticum euntẽ nescio quo, quem per iuuenes comprehensum viæ ducem fecit. ille circum montem ductos non sine mora in tumulo castris imminente statuit, vnde compendiaria decliuisque ferebat via. Interea Romanorum

norum & Aequorum acies concurrerant, certabántque fortiter, numero, armis, animis pares, diu neutrò inclinante victoria, sed nunc his nunc illis aduersos vrgentibus tam peditibus quam equitibus: ceciderántque ex vtraq; parte viri nobiles. tandem depugnatum est. nam Sicciana cohors vbi prope castra Aequorum peruenit, incustoditam eam valli partem offendit: totum enim præsidium diuersam petierat, intentúmque pugnam spectabat. At Romani celeriter deuolarunt à vertice clamorémque ingentem sustulerunt. quo inopinato casu hostes consternati, nec opinati tam paucos esse, sed adesse alterum consulem, proiecerunt se è castris ne arma quidem retinentes plerique. Sicciani verò occidebant eos quotquot ad manus venirent, & occupatis castris tendebant in aciē. tum Aequi vbi castra capta intellexerunt ex clamore fugientium, móxque hostē à tergo viderūt, omisso certamine pro se quisque fugiebant per diuersas vias nullo ordine, non sine clade maxima. hærebant enim tergo Romani vsque ad noctem occidentes quos assequebantur. sed nullius fortior opera fuit quàm Siccij, nullus maiorem stragē edidit: qui vbi deuictū hostem vidit, iam nocte cohortem in capta à se castra reduxit ingēti plenā lætitia. omnes enim incolumes erāt & integri, non solū euitato imminenti periculo, verumetiā parta maxima gloria, patrē suū appellantes & seruatorē deúmque necnon aliis honorificentissimis nominibus: nō poterántq; satiari mutuis cōplexibus & aliis hilaritatis indiciis. atque interim & reliquus Romanorū exercitus à persequēdo reuersus castra sua repetiit. Iamq; media nox erat, cū Siccio memori missum se in mortē à COSS. in mentem venit laudē eius victoria corrūpere. cōmunicat cum suis consilium: quod vbi placere vidit, omnibus

prudentiam viri & magnanimitatem admirantibus, arma sumit & alios iubet sumere : ac primum quicquid in hostilibus castris erat hominum, equorum, cæterorumque iumentorum contrucidat, deinde incendit tentoria frumento, vestimento, armis aliéque apparatu referta, adhæc præda quam multam è Tusculano agro hostes eò congesserant: omnibúsque igne absumptis circa diluculum nihil præter arma ferens abijt : emensúsque viam properè Romam peruenit. vt verò conspecti sunt homines armati iubilantes & festinantes multo cruore fœdati, concursus factus est reduces videre audiréque res gestas cupientium : illi in forum vsque progreßi tribunis omnia denarrauerunt: qui coacta concione iusserunt eos eandem narrationem coram populo repetere. Tum Siccius in mediam turbam progressus victoriam indicauit, simúlque rei gestæ modum: & quòd sua virtute octingentorúmque seniorum quos in mortem certam misissent consules, & castra Aequorum capta sint, & reliqui in fugam versi qui pugnabant in acie, postulabátque vt nemini alteri pro victoria haberetur gratia : postremóque verba hæc addidit : animas tantum & arma retulimus, nihil aliud. His auditis populus ad miserationem motus est & lacrymas, ætatem virorum & virtutem considerans, & obloquens ijs qui talibus viris vrbem orbare voluerant: quæ res, vt Siccius iam ante præuiderat, publicum consulibus excitauit odium. nam ne senatus quidem eam tulit æquo animo nec triũpho eos dignatus, nec vllo honore alio qui solet concedi victoribus. Siccio plebs quem summum potuit honorem tribuit, eúmque primis comitijs tribunum creauit. Hæc eo anno gesta sunt memorabilia. Inde COSS. *Sp Tarpeius, A. Ternius. hi cum alijs in rebus plebi obsecuti sunt, tum* S. C. *de lege per tribunos*

nos ferenda fecerunt, cum viderent nihil consequi patres vetando præter odium & inuidiam, præstóque esse mulctam cuique ad certamen promptißimo. Sed maximè terruit recens casus superioris anni consulum, male à plebe exceptorum, nullo à senatu auxilio. Nam Siccius ille qui Aequorum castra ceperat tunc vt dixi tribunus, ea ipsa die qua magistratum iniit, post peracta pro salute sacra solennia, ante omnia diem dixit Romulio, inde tractationē Reipublicæ auspicatus. Collegam eius C. Veturium arripuit L. Halienus ædilis, qui proximo anno tribunus fuerat. Cúmque ante diem iudicij magna studia & hortationes ambobus exhiberentur, consulares fauore senatus freti propemodum contemnebant periculum, senioribus & iunioribus patritijs pollicentibus daturos se operam ne iudicium fieret. At tribuni præcauentes omnia, non precibus, non minis, non periculis mouebantur: sed postquam dies dicta venit, conuocauerunt populum. & iam antè rusticana turba in vrbem confluxerat, quæ ad vrbanam multitudinem adiuncta non solum forum oppletum est, sed etiam vici per quos itur in comitium. Prior reus actus est Romulius accusante Siccio. Crimini dabatur violata in consulatu sacrosancta potestas tribunitia, præterea petitus insidijs à duce suo vnà cum cohorte ipse Siccius. testes citabantur viri qui fuerant in eo exercitu nobilißimi. & quidem patritij: & in his iuuenis sua maiorúmque virtute clarus Sp. Virginius. is pro testimonio dixit: Se M. Icilio vnius è Siccij cohorte filio patrem comitanti, amico & æquali suo gratiam eius profectionis vt mortiferæ impetrare voluisse à consulibus per patruum suum A. Virginium tunc legatum. Id consulibus negantibus se facturos, obortas sibi lacrymas amicum deflenti. Iuuenem verò illum cognito depreca-

toris officio ipsum venisse, & egisse quidem gratias pro beneuolentia, negasse tamen se vsurum ea gratia, quæ pietati officeret: & patrem tanto minus deserturum, quanto certiorem mortem peteret, vt compertum sit omnibus: sed iturum vnà defensurúmque patrem pro viribus, futurum eiusdem fortunæ participem. ad hoc iuuenis testimonium nemo non miseratus est sortem eorum hominum. Vt verò Icilij quoq; citati pater ac filius de seipsis testati sunt, plerique iam non temperabant à lacrymis, plebeij maximé. Respondit Romulius non humiliter nec pro ratione temporis, sed indignabundè & tumidè, quo magis accendit iram populi. itaque damnatus est omnium tribuum calculis. mulcta erat æris decem millia, prudenti sanè Siccij consilio, quo minus pro reo niterentur patritij, cogitantes agi tantum de pecunia, & plebs facilius damnaret hominem consularem, nec vita mulctatum nec patria. Damnato Romulio, post aliquot dies eundem exitum iudicij Veturius habuit. is X V. M. mulctatus est. Hæc considerantes præsentis anni consules cautiores facti sunt, vt iam apertè fauerent plebis partibus. ac primum centuriatis comitijs lex lata est, licere omnibus magistratibus suæ potestatis læsæ reos mulctare. nam antea solis consulibus id licuit. mulctæ tamen modus non ipsorum arbitrio relictus est, sed præfinitus ne duos boues, triginta oues excederet. Quæ lex diu seruata est apud Romanos. deinde tribuni ad senatum retulerunt de legibus scribendis, quibus in perpetuum vteretur ciuitas. Post varias procerum sententias vicit popularis admodum T. Romulij contra expectationem partis vtriusque. Omnes enim opinabantur ob recentem damnationis offensam fore aduersum plebis voluntati. Ille vbi ex ordine ad eum ventum est, erat enim inter ætate

dignit

dignitatéque medios, sic pro sententia locutus est. Quæ à plebe passus sum P. C. *non meo merito sed quia in partes vestras fui propensior, molesta memoratu sunt præsertim apud non ignaros, non tamen superuacua, vt sciatis quicquid dicturus sum, me non in gratiam plebis, cum qua mihi non optimè conuenit, sed respectu Reipub. dicturum. Nemo verò miretur si videbor mei dissimilis quasi vel antè non rectè senserim, vel nunc non rectè mutem sententiam. Ego* P. C. *quamdiu putaui vestras partes firmiores, ita vt debui steti pro optimatibus non magni plebem faciens. postquam autem meo malo sum factus sapientior, & magna mercede didici vobis esse plus consilij quàm potentiæ, multósque vestros propugnatores arreptos à plebe vobis necessariò dissimulantibus: quod vtinam nec ego, nec meus collega experti essemus: mutaui sententiam. & quoniam de nobis iam transactum est, restátque prouidendum ne alij tractentur pari modo, oro & vniuersos & singulos vt commodè vtamur rebus præsentibus. Optimè enim administratur ciuitas dum se fortunæ accommodat: & optimus consultor est, qui non ad odiũ aut gratiam sed ad vtilitatem publicam attemperat sua consilia. Nec aliunde melius consilia petuntur quæ in futurum prosint, quàm à præteritarum rerum exemplis. Nostra certè* P. C. *hactenus ea fuit conditio, vt quotiescunque contentio cum plebe incideret, inferiores discederemus, mulctati virorum illustrium mortibus, iniurijs, exilijs. & quid potest calamitosius ciuitati accidere, quàm optimorum ciuium decisio? & hæc vobis parcens consulo, quòd nolim vel huius anni magistratus periculis obijci, ac postea deseri, vel alium quenquam, id quod perquã alienum est ab vtilitate publica. In summa censeo legatos mittendos ad Græcas vrbes quæ sunt in Italia,*

lia, & alios Athenas, qui petant à Græcis leges optimas, & nostro instituto conuenientissimas. Quibus reuersis referendum ad senatum de legislatoribus eligendis, & quodnam eorum futurum sit imperiū, quámve diuturnum, déque cæteris rebus ad id negotium pertinentibus. Abstinendum autem à seditionibus & contentionibus cum plebe calamitosis maximè cum de legibus agitur, & si non aliarum rerum saltem maiestatis imperij rationem habendam. Romulio vterq; consul accessit, multa in eandem sentētiam locuti meditatis orationibus, ac mox senatus pars maxima. Iámque scribendum erat senatusconsultum, cum Siccius tribunus qui Romulio diem dixerat, assurgens prolixè hominem laudauit, quòd mutata sententia non tam simultatum priuatarum quàm Reipublicæ rationem habuisset, nihil à recto deflectens. Hanc, inquit, præclaram viri voluntatem remunero, & mulctam illi remitto, atque iam nunc cum eo in gratiam redeo. Vincat nos cum sit vir optimus. Assenserunt & cæteri tribuni. Romulius tamen non accepit hanc gratiam, sed laudata tribunorum voluntate, ait se redditurum pecuniam debitam. iam enim sacratam esse, nec fraudandos deos lucris legitimis. & fecit quod est pollicitus. S. C facto & per plebiscitum confirmato, legati electi sunt qui à Græcis leges peterent, Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius, A Manlius. triremes eis assignatæ & ornatæ sunt ex ærario pro maiestate Rom. imperij. LXXXII. Olymp. qua vicit stadio Lycus Larissensis Thessalus, Chærephane Athenis principe, exacto anno ab V. C. trecentesimo, P. Horatio, Sex. Quintilio COSS. pestilentia Romam inuasit quanta nunquam anteà: qua seruitia sunt absumpta penè omnia, ciuium circiter dimidium, nec medicis sufficientibus, nec domesticorum

ſticorum atque amicorum miniſterijs, nam qui alijs ſuccurrere conabantur, infecti contagio corripiebantur eodem malo, ita vt multa domus deſolarentur ob curantium inopiam: erátque non minima cauſa peſtis eiúsque diuturnitatis quòd proijciebantur corpora. nam primum natura communis incolumi reuerentia, & ſuppetente copia rerum neceſſariarum funeri, cremabant & humabant cadauera: deinde ſine honeſtatis reſpectu, cogente etiam inopia, proijciebant in cloacas ſubterraneas aut in profluentem Tiberim pars maxima: quæ delata ad ripas inficiebant aërem graueolentia, vnde præſentaneum erat valentibus periculum. nec aqua fluminis amplius erat potabilis, vel odoris tædio, vel nauſea faſtidióque. nec in vrbem tantummodo malum id ſæuijt, verùm per rura etiam: imò agreſtè vulgus non mediocriter id ſenſit communi cũ quadrupedibus contagio. Ergo quandiu ſpei fuit aliquid in dijs, popula riter ſacris operabantur & luſtrationibus, multique noui ritus tunc in vrbem introducti ſunt parum congruentes deorum cæremonijs. vbi verò increbuit opinio non eſſe curæ dijs res mortalium, nec tangi eos miſericordia, & ipſi religiones neglexerunt. hac clade abſumptus eſt COS. Sex. Quintilius, quíque ſurrogatus eſt ei Sp. Furius, & quatuor ex tribunorum collegio, ſenatores quoque multi ac boni. Ad hanc occaſionem Aequi conati ſunt bellum inferre Ro. populo, per legatos ſolicitantes in eius ſocietatem alias gentes parum pacatas: nihil profecerunt tamen. nam prius quàm exercitum colligerent, inter ipſum apparatum belli peſtis eadem in ipſorum populos incubuit, non Aequos ſolum peruagata ſed Volſcos & Sabinos etiam, cum maxima clade hominum. Quo malo agrorum cultura impedita acceſſit inſuper aliud, fames & annonæ caritas. His igitur

tur COSS. *nihil domi forisve gestum est, quod commentarijs sit proditum, nimirum prægrauante pestilentia: Sequens annus* COSS *habuit L. Menenium, P. Sextium, quo pestis in totum desijt. Tum verò publicè dijs supplicatum est, & ludi facti magnificè: totúsque populus erat in epulis, exegitque inter hilaritates eam hiemem. initio deinde veris multum frumenti comportatum est vndique partim ex ærario coëmptum, partim à priuatis inuectũ negotiatoribus. Laborabat enim non mediocriter plebs commeatuum inopia, quod agrorum magna pars inculta iaceret colonis absumptis pestilentia. Per idem tempus reuersi sunt legati leges afferentes ab Athenis & Italicis Græcorum vrbibus: móxque tribuni pl. & adierunt* COSS. *postulantes vt ex* S. C. *legumlatores crearentur. qui cum nescirent quomodo continuis precibus obtundentes ablegarent, nec volentes optimatium potentiæ officere, honesto prætextu rem distulerunt: instare comitiorum tempus, eáque futura propediem. designatis verò* COSS. *vnà cum illis se relaturos ad senatum de legumlatoribus. id tribunis placuit, habitisque solito maturius comitijs designauerunt Ap. Claudium & T. Genutium. deinde otiosi relicta cura Respub. quasi ad alios iam pertinente, non adhibebant mentem tribunis, extrahentes reliquum consulatus inaniter. & erat alter* COS. *Menenius valetudinarius, vt quidam putabant tabescens præ mœrore animi. Hac occasione vsus Sextius, quasi ipse dimidiata potestate nihil posset agere, tribunorum preces eludebat in nouos magistratus differens. Qui vbi viderunt* COS. *aliud agere, ad Appium & collegam confugerunt, etiamsi nondum hi magistratum assumpserant, eósque nunc pro concione nunc priuatim solicitabant. tandémque persuaserunt eis vt pro*

plebe facerent, propositis magnis honoribus ac præmijs. Subijt enim Appium noui cuiusdam magistratus desiderium, vt patriæ ferret leges pacis & concordiæ, vt vna esset voluntas ciuitatis totius. Non tamen permansit in officio boni viri ornatus magistratu eximio, sed postremo incidit in ambitionem nefariam, corruptus potestatis magnitudine, vt minimum abfuerit à tyrannide: qua de re suo loco dicetur commodius. tunc verò bono consilio consentientéque collega vocatus aliquoties per tribunos in concionem multa disseruit populariter. Capita verò eius concionis fuerunt hæc. Vt leges ferantur, & seditiones æquis conditionibus è ciuitate tollantur, tam sibi cordi esse quam collegæ, neque se dissimulare suam sententiam creandi vero legislatores nullam sibi esse potestatem, quando nondum magistratum iniissent. Menenio verò atque collegæ adeò se non aduersaturos exequentibus senatus volũtatem, vt adiuturi sint eos etiam, magnámque gratiam habituri. qui si pergant simulare, negantes sibi licere alios magistratus creare, designatis iam Coss. se non obstaturos quo minus creent libentérque cessuros alijs in suam vicem electis, modo id probetur senatui. Cæterùm populo hanc voluntatem collaudante, & multitudine irrumpente in curiam, necesse habuit Sextius solus senatum cogere, quoniam Menenius collega propter morbum aberat, & referre de legibus. Multa ibi dicta sunt tum ab ijs qui leges poscebant, tum ab ijs qui satis putabant patrias consuetudines. sed vicit designatorum COSS. sententia, quam dixit Ap. Claudius primo loco rogatus, eligendos decemuiros è senatus primoribus. eorum annuum esse imperiũ ex eo die quo creati fuerint, cum ea potestate quam modò COSS. olim reges habuissent. interim cessare omnes magistratus

alios

alios, donec iuxta leges creati fuerint. decemuiros verò priuatis iura reddere, & Rempub. constituere. Hoc S. C. *Tribuni curia progreßi recitauerunt pro concione, magna cum laude senatus Appiique autoris eius sententiæ. deinde vbi dies comitiorum aduenit, tribuni conuocato populo consules quoque designatos adesse iusserunt, vt pollicita præstarent: atque hi progreßi magistratum eiurauerunt. Quos populus vehementer laudauit admiratúsque est, & in creandis decemuiris eorum in primis rationem habuit. Creati sunt centuriatis comitijs App. Claudius, & T. Genutius, qui designati* COSS *fuerant, cúmque his P. Sextius eius anni consul, & tres legati qui à Græcis leges attulerant, P. Posthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, & vnus ex superioris anni* Coss. *T. Romulius qui accusante Siccio damnatus, pòst autor popularis sententiæ fuerat: ex reliquo deinde senatu C. Iulius, T. Veturius, P. Horatius, consulares omnes. Tribunorum verò, Aedilium, Quæstorum, aliíque magistratus ad tempus antiquati sunt. Sequenti anno decemuiri assumptis ciuitatis gubernaculis aggreßi sunt remp. constituere. penes vnum fasces erant & reliqua consularis potestatis insignia. Is senatum conuocabat, decreta confirmabat, cæteráque agebat pro imperio. reliqui ad minuendam potestatis inuidiam non multum à priuatis differebant habitu. deinde alius in potestatem succedebat seruatis vicibus, ídque ad certos dies donec elaberetur tempus annuũ. omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant causas priuatas & publicas, tum quæ ad subditos pertinerent & socios, & lites controuersas dirimebant, de singulis disceptantes summa æquitate atque iustitia: visumq́; est ciuitati optimum eius anni decemuirale imperium. Sed maximè laudabatur cura plebeiorum*

homin

hominum, & præsentaneum contra omnem vim atque iniuriam auxilium: iactabatúrque à multis nõ fore opus ciuitati alijs magistratibus, cùm vnus ad obeunda omnia munia mira prudentia sufficiat, cuius princeps habebatur Appius, & laudem à populo ferebat totius collegij nam non ea solum quæ vnà cum collegis agebat opinionem bonitatis ei conciliabant, sed multo magis ea quæ per se exercebat continuè, salutando & appellando comiter, aliísque officijs pauperes demerendo. Hi decemuiri leges conscriptas tum ex Græcorum iure, tum è patrijs consuetudinibus proposuerunt in decem tabulis cognoscendas cuilibet, ferentes admoneri se à priuatis hominibus, & hoc agentes vt leges placerent omnibus: diúque consultauerunt cum proceribus reuocantes ad exactißimũ examen singulas. vbi verò visæ sunt bene habere, primum senatu coacto nemine contradicente S. C. de eis fecerunt: deinde centuriatis comitijs in præsentia pontificum, augurum, aliorúmque sacerdotum, à re diuina exorsi, calculos dederunt centurijs. tum plebiscito quoque confirmatas & in æreas columnas incisas vna serie proposuerunt in loco fori maximè conspicuo. & quoniam non multum supererat de magistratu annuo, conuocatis patribus retulerunt ad eos de comitijs. Inter varias sententias vicit ea quæ censebat reficiendos in annum sequentem decemuiros. videbatur enim aliquantulum deesse legum numero propter breuitatem temporis quo perlatæ sunt: & opus esse qui iam latarum obseruationem à volentibus nolentibus exigant, ad id verò maximè idoneum magistratum cum potestate libera. sed nihil magis in causa fuit cur reficerentur quã tribunitiæ potestatis abrogatio, quæ maximè quærebatur. atque hæ publicæ consultationes fuere. priuatim autem senatus proceres decreuerunt ambire


ambire eum magistratum, veriti ne si fortè homines turbulenti hanc potestatem adipiscerentur, cladem aliquam afferrent reip. Plebe autem senatus voluntatem comprobante decemuiri diem indixerunt comitijs, magistratum verò petierunt honoratissimi & natu maximi è patribus. ibi omnium ore ad cælum ferebatur decemuirorum princeps Appius, tota plebe annittente vt in magistratu retineretur, quòd non alius è toto collegio melius se in eo gessisset. Ille primum fictè recusabat, missionem petens ab administratione æque negotiosa ac inuidiosa. tandem velut omnium precibus cedens professus est se magistratum petere, & competitores criminando, quasi sibi parum æquos præ inuidia, amicis suis apertè fauebat. itaque rursum centuriatis comitijs decemuir factus est, cum eóque Q. Fabius Vibulanus III. consul, vir inculpatus hactenus: è reliquis verò patritijs ipsius Appij fauore creati sunt, M. Cornelius, M. Seruilius, L. Minucius, T. Antonius, Manius Rabuleius, viri non admodum clari: ex plebe verò Q. Petilius, Cæso Duellius, Sp Oppius. hos tres Appius assumpsit vt maiorem sibi conciliaret plebis gratiã, æquum dicens magistratus eius qui omnibus præsit, etiam plebem esse participem. Sic Appius magis laudatus quàm vllus regum aut consulum, in annum sequentem accepit magistratum, nec aliud eo anno actum est. Sequenti verò Ap. Claudius cum collegis decemuiratum consulari potestate inijt idibus Maijs, quæ inciderunt in plenilunium, vt tum menses obseruabantur pro ratione lunari. Ante omnia fœdus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum est, nequis ex collegio vlla in re aduersaretur alteri, sed quod vni eorum placuerit, idem probaretur omnibus, néve comitia haberent, perpetuóque retinerent imperium: néve quenquã alium ad id admitterent,

terent, ipsiq́ pari honore, pari potestate essent: senatusconsultis plebiscitísque non nisi raro ídque necessario vterentur: maximam partem rerum pro imperio agerent. Primo honoris die, qui Romanis festus ac religiosus est, post peracta sacra solennia manè prodierunt omnes cum omnibus insigniis regiis. at populus vt vidit eos non amplius retinere popularem illum & moderatum magistratus habitum, nec per vices insignia regia sumere, statim ingenti mæstitia correptus est. maximè terrebant secures addita lictorum fascibus qui duodeni præcedebant singulos, submouentes per vias pulsantesq́ multitudinem, quemadmodum olim sub regibus: qui mos cōfestim post eorum eiectionem antiquatus fuerat à P. Valerio plebis amatore, illo qui in regiam potestatem successerat. eum deinceps omnes insecuti consules vt pulchri exempli autorem imitati sunt, contenti fascibus, nec addentes secures nisi expeditionibus aliísve profectionibus. quoties verò bellum externum gererent, aut res subditorum inuiserent, secures ad terrorem adhibebant absque inuidia ciuium. quòd hæ tum hostibus tantum minari viderentur aut subditis. Tunc verò ad conspecta regia potestatis insignia magnus terror, vt dixi omnes inuasit, actum esse de libertate opinantes, & pro vno rege decem se habituros. Ita perterrita multitudine decemuiri statuerunt eo metu securitatem sibi quærere, stipantes se singuli manu audacissimorum sibíque coniunctissimorum iuuenum. nec mirum si in humili fortuna inuenti sunt qui adularentur tyrannicæ potentiæ, sua commoda præferentes bono publico: illud mirandum, non defuisse in patritiorum ordine claros genere atque opibus qui patienter ferrent oppressam à decemuiris libertatem patriæ: qui omnibus voluptatibus indulgentes

 licentia

licentia magna exercebant imperium, S. P. Q. Romanum pro nihilo habentes, omnium ipsi legislatores & iudices, multos ciuium occidentes iniustè, multos bonis exuentes. Vt autem iniusta eorum facinora speciem haberent iustitiæ, singulæ causæ cognoscebantur in iudicio, subornatis ex sua cohorte accusatoribus, iudicibus operas mutuas sibi prabentibus. Eæ causæ non minimi momenti erant: proinde qui non fidebant iuri suo, necesse habebant iudicum sodalitiis se iungere, alioqui non erat spes victoriæ. ita breui factum est vt plures in vrbe corrupti essent quàm sani. qui enim offendebantur licentia decemuirorum secedebant in sua prædia tempus comitiorum expectantes, quasi exacto anno depposituri essent potestatem, & creaturi magistratus alios. Illi verò scriptis quæ deerant legibus in duas tabulas, addiderunt eas decem prioribus, & inter eas vnam, quæ vetabat inter patritios & plebeios connubium: non ob aliam, vt ego interpretor, caussam, quàm ne consociatis familiis inter ordines fieret cõcordia. Vbi verò comitiorum tempus aduenit, valere iussis patriis consuetudinibus simul & nouis legibus, neque senatus neque populi suffragiis expectatis, in magistratu permanserunt. Sequitur Olympias LXXXIII. qua stadio vicit Criso Himerensis, Philisco Athenis principe. consularem potestatem obtinente Romæ Appio Claudio, anno decemuiratus tertio. collegæ quoque anni præteriti in eadem potestate manserunt.

DION



DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSEN.

Antiquitatum siue Originum Romanarum,

LIBER XI.

Lapo Birago Florentino interprete.

TErtia autẽ & octogesima Olymp. qua vicit Criso Himiraeus, imperante Athenis Philisco, dissoluũt Romani decemuirorũ imperium, tres annos ipsum curam agens reipublicæ. Quemadmodum autẽ conati sint radicatam iam potentiam euertere, & quibus viris libertatis, & ob quas causas & occasiones à principio resumens conabor enarrare, necessarias esse existimãs, & pulchras tales disciplinas omnibus (vt ita dicã) hominibus, maximeq́ illis qui in speculatione philosophiæ, rerumq́ ciuiliũ versantur. Nõ enim multis hoc solum sufficit ex historia percipere, quod bellũ Persicum (vt de eo nunc loquar) vicere Athenienses & Lacedæmonij, duobus præliis naualibus vnoq́ terrestri debellantes Barbarum, ter millies millenos ducentem homines, non plures ipsi cum sociis centũ & decem milibus. Sed & locos volunt in quibus gestæ sint res, discere ex historia, & audire causas, ob quas mirabilia, prætérque opinio-

nem publicam opera perfecta sint, & qui duces exercituum fuerint Barbaricorúmque & Græcorum narrari: nulliúsque (vt ita dicam) non auditores fieri perfectorum in certamine. Delectatur enim hominis cuiusque sensus manu ductus per sermones ad opera, neque solum dicētes audiens, sed etiā quæ fiant, videns. Neque quando actiones ciuiles audiunt, satis est eis rerum summam finémque discere, quòd concesserint Lacedæmoniis Athenienses muros vrbis suæ dirui, perscindíque naues, ac præsidium in arcem duci, préque patria eius populi potentia, principatum paucorum reipublicæ designari dominum, nec certamen quidem illi aduersus eos suscipientes: sed statim postulant, quænam essent tunc occupantes ciuitatē necessitates, ob quas acerba ista miseráque sustinuerit: & quibus ei persuasum sit rationibus, & à quibus viris dictis, & quæcunque consentanea sint rebus, volunt edoceri. Viris autem ciuilibus, quibus ego addo etiam philosophos, quicunque non verborum, sed pulchrorum operum exercitationem philosophiam putant, delectari omnium speculatione, quæ sint reb. adhærentia, vt hominibus cæteris commune est. Vltráque voluptates superest, aut vt necessariis tēporibus valde prosint ex tali peritia ciuitatibus, ducantq́ eas volentes ad vtilia oratione. Nam facillimè discunt homines, iuuantiáque & lædentia, quando ea ex multis exemplis vident: & eis qui se ad hæc hortentur, multam attestantur prudentiam, multámque sapientiam. Propter has causas visum est mihi omnia diligenter percensere gesta circa dissolutionem principatus paucorum, quæcunque digna mentione puto. Faciam autem de his verba, non ab vltimis incipiens, quæ visa sunt multis sola fuisse causa libertatis (Dico autem circa virginem peccato pro

amorem ab Appio, adiecta enim est ea etiam vltima plebi ira, cum innumera alia præcessissent) Sed ea per quæ primum ciuitas cœperit à decemuiratu affici contumelia, prima dicam: percensebóque deinde omnes quæ fuerunt in seditione iniquitates. Prima igitur visa esse causa odij, principatus paucorum fuit: quia coniunxissent priori magistratui secundum, negligentes plebem ac senatum despicientes: deinde quia præstantissimos Romanorum, quibus minimè grata erant quæ ab eis fierent, alios vrbe expulerunt, causas afferentes falsas & graues, alios occiderunt, summittentes eis accusatores ex amicis suis, & causas eas ipsi iudicantes. maximè verò quia ferocissimos iuuenum, quos habebant circum se vniquique, permittebant agere ferréque bona aduersantium illi statui reipublicæ. hique tanquam bello capta per vim ab hostibus patria, non modò cætera possessa lege ab eis auferebãt, sed in vxores eorum formosas impiè obsæuiebant, in filias illi etiam nubiles contumeliosi. Indignantésque super his viros aut patres verberibus tanquam mancipia concidebant: efficiebántque vt quibuscunque non ferenda ista viderentur, hi patriam relinquentes cum vxoribus & cum filiis in proximas demigrarent vrbes, suscipientibus eos Latinis ob cognationem, atque Hernicis ob datum eis nuper à Romanis ius ciuitatis æquum: ita vt ad extremùm relinquerentur (vt consentaneum est) in vrbe studiosi tyrannorum, & hi quibus nulla erat publicorum cura. Neque enim permansere patritij, haud dignantes blandiri ducibus, nec valentes eis quæ fierent aduersari. sed nec conscripti in senatorum consessum, quos oportebat necessariò magistratibus adesse, in vrbe erant: sed horum plures composita supellectile relinquentes desertas do-

nos, morabantur in agris suis. decemuirísque voluptati erant illustrissimorum virorum fuga, cum multis aliis, tum hac causa maximè, quòd intemperantiæ iuuenum addebatur multum arrogantiæ, nequeuntium eos videre, quorum præsentia petulanter agentibus ipsis erubescendum erat. Deserta igitur vrbe meliore parte, libertatéque omni amissa, occasionem pulcherrimam suscipientes victi ab ea bello, cupientésque contumelias detrimentáque sua sarcire, recuperaréque amissa, tanquam propter paucorum principatum ægrotante vrbe, neque ea conspirare, aut concordia esse, resumeréque rempublicam amplius valitura, paratis omnibus opportunis ad bellum, magnis in eam exercitibus incurrunt. & eodem tempore Sabini irrumpentes in confinem sibi regionem, multáque facti præda domini, cædémque edentes magnam multitudinis agrestis, in Regillo castra posuere. distat enim vrbs ea Roma centum & quadraginta stadiis, propè flumen existens Tiberim. Aequi quoque Tusculanorum agrum inuadentes sibi finitimum, multúmque eius populantes, in Algido castrametabantur. Vbi verò audiuere decemuiri inuasionem hostium, perturbati sodalitates conuocant, & cum eis quid opus esset facto deliberabant. Ac mittendum quidem esse extra fines exercitum, nec expectandum donec venirent ad vrbem ipsam hostium copiæ, omnibus videbatur. Multam verò exhibebat eis dubitationem: primùm quidem an ducendi ad arma essent Romani omnes, etiam præsenti vrbis statui inimici. Deinde qualem oporteret fieri militum conscriptionem, vtrum eam arrogantem & seueram, quales fieri sub regibus ac consulibus consuetudo erat, an humanam & moderatam. Videbaturq; illud etiam non parua eis inquisit

quisitione dignum, quidnam futurum esset id quod sanciret de bello sententiam, decerneretq; collectionem exercitus: vtrum senatorium consilium, an plebeia multitudo, an horum neutrum: quãdoquidem suspectum eis vtrunque erat, & vtrique ipsi parti etiam inuisi erant: tandémque multis agitatis decreuerunt conuocare senatum, daréque operam vt bellum eis ille decerneret, descriptionemq; exercitus fieri permitteret. Nam si vtraque hæc à senatu confirmarentur, primum quidem obtemperaturos putabant omnes, sublata præsertim tribunitia potestate, cui soli per leges licebat aduersari potentum iussis: deinde ipsi viderentur obsequẽtes senatui, & agentes statuta ab eo, accepisse ex legibus belli potestatem. His constitutis, præparatísque ex sodalibus propriis, & ex cognatis qui dicturi in senatu essent conferentes ipsis sententias, & iis qui eadem non sentirent aduersaturi, processerunt in forum, ac præconem assistentes euocari consultores nomine iusserunt: obtemperabátque moderatorum nemo. sæpiúsque clamante præcone, prodeuntéque nemine, nisi ex adulãtibus decemuiratui, in quibus erat pars illius status pessima: mirabantur qui tunc erant in foro si qui nulla vnquam de re senatũ conuocassent, tunc primum cognoscerent, quod esset aliquis apud Romanos bonorum virorum consessus, quos de republica considerare oporteret. Hæc videntes decemuiri, conati sunt ex ædibus consiliarios educere. Cæterùm audientes plures eorum vrbem deseruisse rem in posterum distulerunt, mittentésque interim in agros, illinc eos euocarunt. Atque repleto senatu procedens Appius dux ille decemuiratus, nuntiauit vtrinque bellum, & ab Æquis & à Sabinis inferri Romæ. Orationémque habuit multa cũ diligentia cõpositam, cuius finis fuit: vt

descriptio exercitus decerneretur fierétque egressus celer, tanquam non dante vt aliter fieri posset tempore. His ab eo dictis, astitit Lucius Valerius cognomine Potitus, vir magnificè de se sentiens ex progenitoribus. nam pater eius is fuerat qui Herdonium Sabinum obsederat obtinētem Capitolium, locúmque ipsum recuperauerat ipse in pugna moriens: & paternus auus Publicola, is qui reges eiecerat, constituerátque optimatum potentiam. Prætereuntem autem videns ipsum Appius & aduersum se dicturum esse suspicatus: non est, inquit, locus tuus Valeri iste, neque conuenit tibi nunc dicere. sed vbi seniores & honoratiores te sentētiam protulerint, tu tunc vocatus quod tibi videtur dices. At non, inquit Valerius, de his dicturus astiti: sed de aliis maioribus, magísque necessariis, de quibus audire Senatum puto primum oportere. Scient enim ex his quæ audient illi, vtrum ista magis sint necessaria Respubl. de quibus eos conuocastis, an quæ à me sunt dicenda. Sed ne me priua dicendi potestate, senatorem ipsum & Valerium, ac volentem de salute vrbis dicere. Si verò seruas consuetam erga omnes arrogantiam, quos tribunos appellabo? Sublatum est enim à vobis vi oppressorum ciuium auxilium. Et quonam istud minus est malum, quando Valerius Potitus tanquam minimorum vnus ipse æquum non obtineo, sed indigeo tribunitiæ potestatis? Non sic erit tamen. Sed quando magistratu illo priuati sumus, vos qui cum hoc etiam suscepistis magistratus illius potestatem, dynastas vrbis omnes appello. Nec ignoro sanè inaniter me hoc facere. Sed nolo omnibus manifestam fieri coniurationem vestram, quòd confunditis res vrbis, & habetis vnam omnes sententiam. Imò verò te solùm appello Fabi Vibulane tribus orna-

tum

tum consulatibus, habésne adhuc eandem mentem, an exurges & auxilium oppressis feres? ad te enim senatus spectat. Vbi verò Valerius hæc dixit, sedebat Fabius præ pudore nihil respondens. Appius autem reliquique decem exilientes omnes eum dicere prohibebant. Tumultu verò senatum occupante, indignantibúsque plurimis, & rectè eos his qui ex sodalitate erant facere existimantibus, assurgit Marcus Horatius, Barbatus dictus, Horatij pronepos eius qui cum Valerio Publicola consul fuit post eiectionem regum, vir in rebus bellicis grauis, nec ad dicendum inualidus, & iam pridem Valerio amicus. Isq; igitur non amplius bilem continens: Citius, inquit, cogitis me Appi frenos rumpere, vos nō amplius moderatè agentes, sed Tarquinios induentes, qui ne verbo quidem potiri sinitis volentes de salute Reipublicæ dicere. Vtrúmve vobis ex mente abiit, saluos esse adhuc Valeriorum eiicientium tyrannidem posteros? ac relinqui adhuc familiæ Horatiorum successionem, quibus patrium est ire obuiam, & cum aliis & solos trahentibus in seruitutem patriam? An putastis tantam nostram cæterorúmque Romanorum ignauiam, vt amplectamur si quis sinat quoquo modo nos viuere? de libertatéque & fiducia dicamus nihil, aut faciamus? an vos potentiæ magnitudo inebriat ad auferendam Valerio dicendi potestatem? aut cæterorum senatorum alicui? Quinam estis, aut quem habentes legitimum magistratum? an non in annum creati estis Reipubli. præsidentes? an non tempus elapsum est magistratus vestri? an non priuati nunc facti estis ex lege? Quid igitur erit prohibens quenquam nostrum qui velit concionem aduocare? potestatémque vestram, quam habetis præter leges, accusare? tradite ciui-

bus calculos de hoc ipſo, num oporteat decemuiratum veſtrum manere, an patrios iterum deſignare magiſtratus. Siq; hoc populus inſaniens ſuſtineat, habete iterum conſtitutionem eandem, prohibetéque quæcunque velit aliquis pro patria dicere. Si enim iuſta iſta videbuntur, digni vtique erimus & hæc & peiora adhuc pati, ſubiecti vobis, ac ſordibus & turpi vita maculantes noſtras ipſorum ac maiorum noſtrorum virtutes. Adhuc autem dicentem eum circunſtant decem illi cum clamore, poteſtatem vibrantes, minantéſque ſe eum proiecturos de rupe, ni ſileat. Ad quod exclamarunt omnes, tanquam violata eis libertate. Eratq; plenus indignatione ac tumultu ſenatus: decemuires tamen ſtatim prohibitionis illius & minarum pœnituit, vbi ex ea re ſenatum irritatum cognouere. Poſteaque progrediens Appius rogansq; tumultuantes, vt ſe breue continerent tempus, poſtquam compeſcuit quod turbatum erat: Neminem, inquit, veſtrum conſiliarij fraudamus dicendi poteſtate, quicunque in tempore conuenienti dicat, ſed hos laſciuientes & exurgentes antequam vocentur coërcemus. Ne igitur indignemini, nam & Horatio & Valerio, & cuicunque alij ſententiæ dicendæ poteſtatem ſecundum veterem conſuetudinem & ornatum, loco ſuo faciemus, ſiquidem de eis dicant, de quibus conſultaturi conueniſtis, nec aliquid extra ea. ſi verò vos ducent, ſeditionemq; in vrbe ferant nihil ad rem concionantes, tunc poteſtatem hanc coërcendi incompoſitos Marce Horati habemus acceptam à populo, cũ & cõſulum & tribunorum decreuit nobis imperium. Nec vt videtur tibi tempus adhuc præteriit. Neque enim in annum creati, neq; in tempus aliud præfinitum ſumus: ſed donec omnem conſtituamus legum lationem. His igitur

qua

quæ in mente habemus perfectis, ac reliquis confirmatis legibus, tunc magistratum deponemus, rationémque gestorum iis qui volent vestrum reddemus: prius autem neque consularem neque tribunitiam potestatem minuemus. De bello verò quemadmodum celerrimè pulcherrimèque hostibus repugnemus, sententias postulo vos progredientes dicere: primum quidem (vt consuetum est vobis, & decens) seniores, deinde mediæ ætatis viros, vltimos verò iuuenes. Et his dictis, primum vocauit patruum suum C. Claudium, qui exurgens, huiusmodi orationem habuit: Postquam patres vult me Appius primum sententiam dicere, me honorans ob cognationem (vt ei conuenit) & postquam opus est me quæ sentiam de bello aduersus Aequos atque Sabinos dicere, priusquam vobis mentem meam declarem, vellem illud vos inquirere: qua spe elati Aequi & Sabini bellum nobis ausi sunt inferre, & excurrentes populari regionem nostram, optantes ipsi antea, & diis magnam habentes gratiam, si quis sineret eos sua habere tutè. Si hoc enim discatis, etiā liberationem à bello, quæ sit optima, discetis. Illi igitur audientes agitari fluctibus, & ægrotari iamdiu partium nostræ ciuitatis morem, neq; esse præsidentibus reipublicæ populum, aut patritios beneuolos, nec hoc illi vanè audientes (ita enim habet veritas, neque opus est me causas vobis scientibus dicere) suspicati sunt, si bellum nos aliquod extrinsecus occuparet simul cum malis intra muros, videretúrque magistratibus educēdas esse vires propugnatrices regionis, neque ciues habituros ipsos promptos omnes ad militare sacramentum vt anteà, inimicè affectis eis erga magistratus: neque duces punitionibus ex lege aduersum non dantes nomina vsures esse, vtpote metuentes ipsos, ne malum

lum aliquod maius agerent, ac parentes eis, armáque capientes milites, aut signa desererent, aut permanentes iidem in prœliis sponte sua male decertarent. Quorum quidem non verisimile sperarunt nihil. Quando enim concors ciuitas bellum suscipit, & idem omnibus apparet vtile, tam imperantibus quàm parentibus, promptè omnes vadunt ad difficilia, nec laborem nec periculum vllum metuentes. Quando verò antequam res intra muros constituantur, ægrotans eadem campestribus occurrit bellis, adéstque multitudini cogitatio, quòd non ipsa male pro commodis suis patitur, sed vt imperent sibi alij stabilius: adéstque ducibus altera, quòd non minus hostilem habent suum militem, quàm aduersarium: languent cætera, & est quæque vis satis valens ad tales exercitus debellandos & perdendos. Hæ sunt patres Sabinorum & Aequorum ratiocinationes, quibus fidentes illi irruperunt in regionem nostram. Si igitur indignantes ipsi nos despectos ab elatis eis, & irati, vt nunc, decernamus aduersus eos exercitum, vereor ne nobis quæ illi præcogitarunt eueniant: imò verò scio probè euentura. Si verò prima constituamus maxime quæ necessaria: sunt hæc autem multitudinis bona constitutio, & quod omnibus eadem appareant vtilia: pellentes vrbe inhabitantem, gentilitiam contumeliam & cupiditatem, restituentésque veterem reipublicæ formam: perculsi hi qui nunc sunt feroces, déque manibus arma abiicientes venient intra non multum tempus, restituentes prædam, & de pace collocuturi: aderítque nobis id quod nunc omnes optamus, bellum sine armis aduersus eos conficere. Hæc igitur puto nos cogitantes oportere consilium de bello, quando nobis turbulentè intra muros res habent, in præsentia

omitt

omittere: déque concordia & ornatu ciuili proponere, vt quicunque velit dicat. Non enim licuit nobis prius quàm de bello vocaremur ab hoc magistratu, de rebus ciuilibus, si quid eorum quæ fiunt non rectè habeat cognoscere. Multa enim reprehensione dignus esset, si quis huius rei tempus omittens, nunc dicere de aliis postulet. Nec hoc habet aliquis quod dicat certè, quòd hoc tempus prætereuntes vt non idoneum, potiemur alio magis idoneo. Nam si ex præteritis volet aliquis euētura coniectare, multum erit post hoc tempus, per quod non conueniemus de aliquo reipublicæ consultaturi. Censeo autem & vos Appi præsidentes vrbis, debere commune bonū à conferētibus reipublicæ non priuatim vobisipsis considerare. Si verò veri aliquid licenter, ac non ad voluptates vestras dico, ne mihi hac causa inimicitias indicite: cogitantes quod non in contumeliam aut opprobrium magistratus vestri verba facio, sed vt ostendam quibus fluctibus agitentur res ciuitatis, & salutem & correctionem eorum si qua est, demonstrem. fortasse enim & cæteris, quibuscunque curæ est vt patria pulchrè habeat, necessarius est sermo de conferentibus reipublicæ. Sed mihi quidem præcipué. Primum quia principatu sententiæ ob honorem dignato, pudor esset multáque fatuitas, primum exurgentem non etiam quæ primum corrigi oporteat dicere: deinde quia mihi conuenit patruo Appij decemuiratus principis vni omnium maximè delectari, cum ab eis publica optime procurantur, ac mœrere quocunque magis, cum econuerso non pulchrè: supérque his, quod ei sectæ maiorum succedo, quæ communem vtilitatem priuatis commodis anteponat, nullúmque proprium consideret periculum. Hanc ego nunquam volens proderem. Esséque mihi hanc vitæ electionem fa-

tetur.

lum aliquod maius agerent, nec parentes eis, armáque capientes milites, aut signa desererent, aut permanentes iidem in præliis sponte sua male decertarent. Quorum quidem non verisimile sperarunt nihil. Quando enim concors ciuitas bellum suscipit, & idem omnibus apparet vtile, tam imperantibus quàm parentibus, promptè omnes vadunt ad difficilia, nec laborem nec periculum vllum metuentes. Quando verò antequam res intra muros constituantur, ægrotans eadem campestribus occurrit bellis, adéstque multitudini cogitatio, quòd non ipsa male pro commodis suis patitur, sed vt imperent sibi alij stabilius: adéstque ducibus altera, quòd non minus hostilem habent suum militem, quàm aduersarium: languent cætera, & est quæque vis satis valens ad tales exercitus debellandos & perdendos. Hæ sunt patres Sabinorum & Aequorum ratiocinationes, quibus fidentes illi irruperunt in regionem nostram. Si igitur indignantes ipsi nos despectos ab elatis eis, & irati, vt nunc, decernamus aduersus eos exercitum, vereor ne nobis quæ illi præcogitarunt eueniant: imò verò scio probè euentura. Si verò prima constituamus maxime quæ necessaria: sunt hæc autem multitudinis bona constitutio, & quod omnibus eadem appareant vtilia: pellentes vrbe inhabitantem, gentilitiam contumeliam & cupiditatem, restituentésque veterem reipublicæ formam: perculsi hi qui nunc sunt feroces, déque manibus arma abiicientes venient intra non multum tempus, restituentes prædam, & de pace collocuturi: aderítque nobis id quod nunc omnes optamus, bellum sine armis aduersus eos conficere. Hæc igitur puto nos cogitantes oportere consilium de bello, quando nobis turbulentè intra muros res habent, in præsentia

omitt

omittere: déque concordia & ornatu ciuili proponere, vt quicunque velit dicat. Non enim licuit nobis prius quàm de bello vocaremur ab hoc magistratu, de rebus ciuilibus, si quid eorum quæ fiunt non rectè habeat cognoscere. Multa enim reprehensione dignus esset, si quis huius rei tempus omittens, nunc dicere de aliis postulet. Nec hoc habet aliquis quod dicat certè, quòd hoc tempus prætereuntes vt non idoneum, potiemur alio magis idoneo. Nam si ex præteritis volet aliquis euētura coniectare, multum erit post hoc tempus, per quod non conueniemus de aliquo reipublicæ consultaturi. Censeo autem & vos Appi præsidentes vrbis, debere commune bonū à conferētibus reipublicæ non priuatim vobisipsis considerare. Si verò veri aliquid licenter, ac non ad voluptates vestras dico, ne mihi hac causa inimicitias indicite: cogitantes quod non in contumeliam aut opprobrium magistratus vestri verba facio, sed vt ostendam quibus fluctibus agitentur res ciuitatis, & salutem & correctionem eorum, si qua est, demonstrem. fortasse enim & cæteris, quibuscunque curæ est vt patria pulchrè habeat, necessarius est sermo de conferentibus reipublicæ. Sed mihi quidem præcipué. Primum quia principatu sententiæ ob honorem dignato, pudor esset multáque fatuitas, primum exurgentem non etiam quæ primum corrigi oporteat dicere: deinde quia mihi conuenit patruo Appij decemuiratus principis vni omnium maximè delectari, cum ab eis publica optime procurantur, ac mærere quocunque magis, cum econuerso non pulchrè: supérque his, quod ei sectæ maiorum succedo, quæ communem vtilitatem priuatis commodis anteponat, nullúmque proprium consideret periculum. Hanc ego nunquam volens proderem. Eſséque mihi hanc vitæ electionem fatear.

teor, nec turparem vnquam illorum virorum virtutes. De præsenti igitur reipublicæ constitutione, quod ea nobis male habeat, offendantúrque ex ea propè omnes, hoc nobis maximum argumentum fiat. Omnes quondam publica administrantes, quod solum nobis ignorare non licet, fugiunt ex vrbe quotidie relinquentes lares patrios: elegantiores verò plebeiorum, alij in vrbes finitimas cum vxoribus & filiis transtulerunt habitationes, alij in agros plurimum hinc distantes. Sed nec patritiorum multi faciunt in vrbe vt antea mansiones suas, sed horum plures ducunt in agro vitam. Et quid opus est de aliis dicere? quando etiam senatorum pauci quidam cognatione & amicitia coniuncti vobis intra muros manent. Alij verò solitudinem desiderabiliorem ducentes patria, cum senatum opus fuit conuocare, ex agris viritim euocati conuenerunt, quibus patrium erat vnà cum magistratibus custodiam habere patriæ, neque vlli publicorum non interesse. Quid igitur putatis, bona fugiẽtes homines an mala, patriam suam relinquere? ego quidem puto mala. Et quo minus malo esse putatis vrbi, maximéque Romanorum, cui multis opus est domesticis corporibus, si obtentura est stabiliter inter accolas principatũ, à plebeiis eam relinqui, deseri à patritiis, neque bello eam premente, neque pestilentia, neque alia à deo missa calamitate vlla? Vultis igitur audire quæ sint causæ cogentes homines deserere templa & monumenta maiorum, laresque & possessiones paternas, atque omnem terram patria potiorem ducere? non enim fit hoc sine causa. Ego vobis dicam, nec occultabo. Accusationes fiunt Appi magistratus vestri multæ & à multis, vtrum veræ an falsæ, haud opus est in præsentia me quærere, fiunt tamen. Nihil dicam de sodalibus

bus

bus vestris, qui ad præsentia se accommodant. Boni equidem & ex bonis geniti, quibus conuenit sacrificia facere, magistratus gerere, aliísque frui honoribus quibus patres eorum fruebantur, dolent ab his abacti per vos, & maiorum amittentes dignationes. Mediocris autem fortuna homines in vrbe, sinéque curiositate multa quietem sequentes, iniustos vobis raptus pecuniarum obiiciunt. Queruntur defléntque in nuptas improperia, vinositatésque in filias nubiles, aliásque contumelias multásque & graues. Plebeiorum verò pauperrima sors, non amplius comitiorum aut suffragiorum domina, nec vocata in concionem, nec alterius humanitatis ciuilis alicuius particeps, propter ista omnia vos odit, magistratúmque istum vestrum tyrannidem appellat. Quo igitur modo corrigetis & compescetis has ciuium in vos criminationes? Hoc enim mihi dicendum restat. Si senatusconsulto facto reddatis populo cognitionem, vtrum ei videatur creandos rursus esse consules & tribunos, alióśque magistratus patrios, an in hac forma reipublicæ permanendum. Si enim amabunt Romam omnes per principatum paucorum regi, decernéntque vos in eadem permanere potestate, ex lege habebitis, non vi magistratum. Si verò volunt consules iterum alióśque vt antea magistratus creare, deponetis ex lege potestatem, nec inuitis vestris æqualibus dominari videbimini. Est enim istud tyrannicum, à volentibus verò imperia accipere Aristocraticum. Huius autem institutionis te principem puto Appi esse oportere, atque à te constitutam compescere te quoque oligarchiam, nobis ipsum aliquando vtilem, nunc grauem. Quæ verò mihi credens deponénsque inuidiosum istũ magistratum, lucraturus sis audi. Si enim collegium vestrum

strum totum huius etiam fuerit sententiæ, omnes propter te incipientem putabunt illos bonos factos. Si verò isti perstare cupient in potentia præter leges, tibi omnes habebunt gratiam, quòd solus iusta facere volueris: illos verò magistratu inuitos cum pudore damnóque priuabunt. Pactiones enim si quas fecistis inter vos arcanas, fidémque dedistis sponsores facientes deos (fortasse enim & tale aliquid est vobis factum) seruatas eas putato impias, vt aduersum ciues & patriam, at solutas, pias fore. Dei enim se ad pulchros iustósque consensus adhiberi gaudent, non ad turpes & iniustos. Si verò metu inimicorum fias ad deponendum magistratum segnior, ne ab eis in pericula adducaris aliqua, cogarísque pœnas gestorum dare, non rectè times. Neque enim tam parui animi, aut tam ingratus est futurus populus Romanus, vt meminisse delictorum velit obliuiscíque beneficiorum: sed examinans bona præsentia cum malis præteritis, illa digna putabit venia, ista laudibus. Licet autem tibi etiam operum antè decemuiratum multorum & pulchrorum populum admonere, próque illis gratiam in auxilium & in salutem tuam adducere, defensionibúsque ad obiecta vti multis. Ad vnum quidem tanquam ipse non peccaris, sed ignorante te aliquis aliorum: ad aliud verò tanquam tu minime sufficeres ad ea quæ alter faceret inhibenda, paris ille tecum potestatis: ad aliud tanquam alicuius alterius operis vtilis gratia coactus fueris aliquid inconsultum tolerare. Multus autem sermo fieret, si vellem omnes defensiones enumerare. Nam & quibus nullà est defensio, neque iusta, neque conueniens, hi confitentes & deprecantes mitigant læsorum iras, alij in amentiam ætatis confugientes, alij in prauorum hominum colloquia, alij in

magni-

magnitudinem imperij, alij in omnes seducentem cogitationes humanas fortunam. Ego tibi deponenti imperium, polliceor delictorum omnium affuturam obliuionem, reconciliationésque cum plebe tibi fore, vt in malis decentes. Sed vereor ne excusatio tua ista sit, ne imperio decedas, neque verum sit periculum: innumeris enim affuit deponentibus tyrannides nihil pati graue à ciuibus: sintq; veræ causæ ambitio & inanis gloriatio sequens decori imaginem, & desiderium exitialium voluptatum, quas tyrannica vitæ afferunt. Si verò tu vis non simulacra & tenebras honorum atque fatuitatum se qui, sed honoribus veris perfrui, redde patriæ optimatum potentiam, & honores à paribus capias & amore à posteris potiare: próque mortali corpore immortalem gloriam nepotibus tuis relinque. Hi enim honores certi sunt, & veri, & qui auferri nequeāt, gratiósique ac non pœnitendi. Verte gaudens animum ad bona patriæ, quorum quidem tu pars fuisse videberis non minima, grauem tibi adimens potentiam. Facies autem exempla horum maiores tuos, cogitans quòd illorum virorū nemo vnquam appetens tyrannicæ potestatis fuit, nec probrosis voluptatibus corporis obediens. Hincque illis est viuentibus honos habitus, sequitúrque mortuos à posteris laus. Testantur enim omnes eos potentiæ optimatum, quam eiectis regibus ciuitas nostra constituit, firmißimos extitisse custodes. Nihilque etiam verborum tuorum clarißimorúmque operum latet. Pulchra enim fuere prima tua ciuilium operum fundamenta: magnásque ipsa nobis virtutis tuæ spes præbentia, quibus etiam consequentia te cætera agere postulamus. Redi rursus in naturam tuam fili Appi, electionémque actionum in Republica aristocraticus fias non tyrannicus. Fuge

loquentes ad voluptatem, per quos egressus es ex bonis institutis, & à recta seductus via. Non enim habet rationem aliquam, vt à quibus malus ex bono factus es, fias ab eis rursus ex prauo vtilis. Hæc tibi sæpe exponere volui, solus cum solo colloquens, & te aliqua tanquam ignorantem docere, aliquorum autem vt peccantem admonere. Fuique domi tuæ non semel. Sed me ex ædibus filij tui abegerunt, non esse tibi otium dicentes, sed alia quædam agere magis necessaria. Si verò tibi erat aliquid pietate erga genus magis necessarium, non forsan iussi à te filij, sed per se ipsi cognoscentes me in congressu excluserunt. & velim istud fuisse verum. Res autem nunc me ea cogit in senatu dicere quæ tunc volebam tibi, postquam solũ soli nõ licuit. Tempus enim fert vt dicantur pulchra Appi omnia & vtilia coram hominibus potius quàm nusquam. Reddente autem te generi tuo debita, testor deos, quorũ delubra arásque cõmunibus sacrificiis honoramus Appij generis successores, geniósq; maiorum, quibus post deos honores gratiásque secundas reddimus, vltráque hos omnes terrã quæ patrem tuum continet, fratrem meum, quod exhibeo tibi animã & vocẽ meam optima consulens, próque viribus corrigens ignorantias tuas postulo, te non malum sanare malo, neque plurium ipsum appetentem præsentia amittere, nec vt paribus melioribúsque imperes, minoribus deterioribúsque parere. Multa adhuc & de multis volens dicere tecum dubito. Nam si te Deus ducit ad meliora consilia, hæc quoque plura quàm fuisset satis dixi: si verò ducit ad peiora, dicerem etiam reliqua inaniter. Habetis patres & vos vrbi præsidentes sententiam meam, & de belli dissolutione, & de tumultuum in vrbe correctione. si q; aliquis meliora dicet vincant optima. Hæc

cum

cum dixisset Claudius multámque spem senatui exhibuisset, tanquam deposituris magistratum decemuiris, Appius quidem nihil ad hac voluit respondere. Ex aliis autem progrediens Marcus Cornelius: Nos, inquit, Claudi de propriis vtilitatibus ipsi cognoscemus, nihil tui consilij indigentes. sumus enim in prudentissimo ætatis statu, ita vt nihil differentium ignoremus: nec amicis indigemus, quibus si oportuerit, consiliariis vtamur. Parce igitur rem faciens intempestiuam, vir senior, nec egentibus consilio sententias afferens. Appium enim si alicuius admonere volueris, aut quod verius est maledicere, cum senatum egressus fueris maledicito: nunc autem de bello cum Aequis & Sabinis, qua de re vocatus es sententiam proferens, quid videatur tibi dicito, atque desine extra rem garrulans. Post hæc autem assurgit Claudius mœstus, plenósque habens oculos lacrymarum, ac dicit: Appius ne responso quidem dignum consiliarium me patruum suum putat, aduersante ipsum vobis. sed vt prius ædes suas mihi clausit, etiam senatum hunc inaccessibilem, quemadmodum ei videtur, facit: si̱q; opus est verum dicere, vrbe ipsa expellor. Non enim possem eum amplius rectis videre oculis, maioribus nostris indignum, tyrannicásque æmulantem iniquitates sed assumens mea omnia & meos, abeo iam ad Sabinos vrbem habitaturus Regillum, ex qua nostrum est genus: manebóque illic donec isti obtineant pulchrum istum magistratũ. Vbi verò quæ diuino de hoc decemuiratu facta erunt (fient autem intra non longũ tempus) tunc adero. & quæ quidẽ de me sunt talia. De bello verò patres hanc vobis sententiam affero, nequid de re vlla decernatis, donec creentur magistratus. & his dictis, multámque assecutus à senatu laudem ex sententia generosa,

nerosa, libertatísque amatrice, sedit. Post hunc autem assurgens Lucius Quintius Cincinnatus, & Titus Quintius Capitolinus, & Lucius Lucretius: subindéque omnes præsidentes senatui, sententiæ Claudij accesserunt. Qua ex re perturbati decemuiri decreuere non amplius consiliarios ex ætate aut consilij dignitate euocare, sed ex familiaritatibus sodalitatibúsque suis. ac progrediens Marcus Cornelius citat Lucium Cornelium fratrem, qui Quinto Fabio Vibulano ter consuli collega fuerat, virum promptum & acrem, nec ad ciuiles orationes non idoneum, qui assurgens hæc dixit: Erat quidem istud patres mirabile, si ætatis huius homines, hi qui ante me sententiam dixerunt, præsideréque volentes senatui, ex ciuilibus offensis irreconciliabiles haberent erga præsidentes vrbi inimicitias. Quos oportuit quantum fieri potuit cauere, & sensu optimo admonere iuuenes, vt de pulchris rebus certarent: ac non hostes, sed amicos ducerent de cōmunibus bonis æmulos. Multo autem est hoc adhuc mirabilius, si priuatas inimicitias ad res communes ciuitatis transferunt, malúntque vnà cum inimicis perdi, quàm seruari cum amicis: excessum quoque quendam facientes dementiæ, neque procul à deorum offensa hi senatus præsidentes nostri. Nam indignati quòd petentes ipsos decemuiratum, quem nunc accusant, vicere qui visi sunt magis idonei, bellum gerunt cum eis irreconciliabile. Et in hoc veniunt fatuitatis, imò potius insaniæ, vt dum modo viros istos apud vos criminentur, sustineant totam patriam euertere. Qui vastari videntes ab hostibus regionem nostram, videntésque eos iamiam venturos ad vrbem (non enim multum est quod interiacet) cohortandi loco excitandíque iuuenes ad certamen pro patria.

patria, ipsis quoq; omni cum promptitudine ac studio, quantum vires talium patiuntur, patriæ opem ferentibus, de ornatu nunc vos Reipublicæ considerare æquum censent, magistratúsque creare nouos, & omnia potius quàm inimicos nostros vlcisci. Nec hoc possunt intelligere, se sententias imò vota efferre impossibilia. Sic enim intueamini: Senatus fiet consultum de comitiis: deinde efferent id in populum decemuiri statuentes eis forum ab hoc tertium: quo enim modo fiet aliquid decernendum à populo verè firmum, nisi fiat ex legibus? Deinde vbi tribus tulerint suffragia, tunc senatum magistratus noui conuocabunt & de bello consultandum proponent? Per hæc autem comitiorum tempora, tanta ipsa, si ad vrbem hostes venient, propinquabúntque muris, quid agemus tunc Claudi? dicemus scilicet, expectate donec alios creemus magistratus. Persuasit enim vobis Claudius de re nulla alia consultare, neque aliquid in populum efferre, neque exercitus conscribere, nisi antè quod ad magistratus pertinet constituamus vt volumus. Abite igitur & cum creatos consules alióſque magistratus audieritis, & parata nobis omnia opportuna ad bellum, tunc venite facturi verba de reconciliationibus: quandoquidem incepistis nos lædere, nihil ipsi à nobis passi: & quæcunque per excursiones damna nobis intulistis, ea omnia æstimata pecuniis, vt iustum est, capiemus. Agrestum autem nobis exitium non computabimus. Neque si qua mulier libera contumelia habita, aut per violentiam rapta est militarem, neque aliud quicquam intolerabile. Et illi ista prouocantibus nobis recipiant, concedentésque ciuitati magistratus creare nouos, & opportuna ad bellum parare, tunc veniant preces loco armorum ferentes. O ingentem horum fatuitatem

quibus in mentem venit talia delirare. Magnam nostram indolentiam, si dicentibus istis talia, non indignamur, sed audire sustinemus, tanquàm de hostibus ac non de nobis ipsi patriáque consultantes. Neque tollimus è medio nugatores, celerémque decernimus vexatæ regioni opem, ac non armantes robur omne ciuitatis, ad illorum vrbes castra ipsi ponimus. Sed manentes domi, decémque obiurgantes viros, magistratúsque nouos constituentes, déque ciuili ornatu speculantes, vt per pacem sinimus omnia regionis nostræ hostium potestatis fieri. ad extremúmque in periculum de seruitute vrbísque euersione venimus, bellum ire permittentes ad muros. Non sunt patres sanorum hominum hæc consilia: nec ciuilis est prouidentia, potiores publica vtilitate ducere priuatas inimicitias: sed peruicaciæ intempestiuæ inconsultæq; sunt infectationis, calamitosæq; inuidiæ, quæ non sinit possidentes eã temperantes fieri. Sed has harum peruicacias abire sinite. Quæ verò decreta vrbi salutaria, vobísque ipsis consulentibus conuenientia, terribiliáque hostibus futura sint, ego conabor dicere: Bellum aduersus Aequos Sabinósque decernite: legionésque cum plurima prõptitudine festinantiáque conscribite, ad has vtrasque profecturas gentes. Cũ verò finem vobis bellum pulcherrimũ habuerit, reuersæq; fuerint in vrbem copiæ, & pax facta, tunc de ornatu opportuno tempore Reipublicæ speculemini rationémque de omnibus à decemuiris, quæ in magistratu egerint, petitote: nouósque create magistratus, ac iudicia constituite próq; meritis vnumquemque, cum id vestræ potestatis fuerit æstimate: hæc discentes, quòd non rebus tempora, sed res seruiunt temporibus. Hac à Cornelio dicta sententia, assurgentes post eum omnes, præter paucos,

fuere illius opinionis. alij quidem necessaria & præsenti tempori conuenientia ista putantes esse: alij vero declinantes, & colentes metu imperij decemuiros. Erat enim & pars nõ minima senatorum perculsa magnitudine potestatis. Vbi vero plures dictæ sunt sententiæ, multóque cæteros superare visi sunt qui bellum decernebant, tunc Lucium Valerium in vltimis illi euocarunt, eum quem dixi statim ab initio volentẽ aliquid dicere, ab eis esse prohibitum. Isque exurgens huiusmodi orationem habuit. Videtis patres horum decemuirorum insidias, qui me in principio nõ permiserint vobis dicere quæ proposueram. & nunc fecere mihi in vltimis dicendi potestatem, cogitantes id quod quidem consentaneum est, quòd accedens ipse etiam ad sententiam Claudij nihil prodero Reipublicæ, cum sit à paucis confirmata: aliámque afferens sententiam præter eas quæ ipsis dictæ sunt, etiam si optima proposuero, frustra litium consutor ero. sunt enim facile numerabiles post me dicturi quidam, quos si etiam mihi omnes assentientes habuero, quid amplius fiet mihi, ne minimam quidem partem habituro sententiarum quæ Cornelio assensere. Sed non ego tamen ista suspicans dubitabo sententiam meam dicere. Quando enim audistis omnia, est in vobis optima eligere. De decemuiratu igitur quemadmodum curet publica, quæcunque optimus dixit Claudius, à me quoque dicta existimate. & quòd nouos magistratus antè creari oporteat, quàm de bello decernatur: etenim dicta sunt ab eo viro hæc optimé. Verum postquam conatus est Cornelius eam sententiam in impossibile adducere, multa interim futura ostendens ciuilis dispensationis tempora, exigente iam in manibus bello, irridéréque res conatur haud opportunis irrisionibus, quibus multos vestrum decipiens

ſeduxit : ego vobis econuerſo non impoſsibilem eſſe Claudij ſententiam oſtendam. Nam quòd ea ſit inutilis, dicere ne vituperantium quidem eam auſus eſt aliquis. ac docebo vos quemadmodum regio tuta fiat, & dent pœnas qui ſunt auſi eam affligere, ac quomodo patriam reſumamus optimatum potentiam : & hæc fiant adnitentibus vnà omnibus qui ſunt in vrbe, neque aliquo in contrarium volente agere, nullam ego demonſtrans vobis ſapientiam, ſed geſtarum à vobis ipſis rerum exempla afferens. Vbi enim experimentum docet quid conferat, quid illic opus eſt ſpeculationibus? Meminiſtis ab eiſdem gentibus vires aliàs vt nunc in noſtrum, aliàs in agrum eodem tempore ſociorum noſtrorum irrumpere, C. Nautio & L. Minutio COSS. *nonus puto ab hoc ſiue decimus eſt annus. Tunc igitur mittentibus vobis ad vtraſque has gentes multam bonámque iuuentutem, alteri conſulum coacto includere exercitum in locis aſperis, nihil agere prorſus licuit. Sed obſeſſus eſt in vallo, erátque idem in periculo, ne penuria cibariorum caperetur. Nautio autem confidenti aduerſus Sabinos, neceſſarium erat confligere cum eis aſsiduè, neque collega poterat laboranti opem ferre. Erátque illud non obſcurum, quod direpto aduerſus Aequos exercitu, nec is qui erat Sabinis oppoſitus ſatis reſtitiſſet coeuntibus vtriſque gentibus. Talibus igitur periculis vrbem circunſtantibus, nec concordibus intra muros ciuibus, quòd auxilium inueniſtis? de nocte ipſi media in ſenatum conuenientes, id quod quidem res omnes inueniſſe confeſſum eſt, & labentem in infelicem caſum vrbem erexiſſe, magiſtratum creaſtis vnum belli pacíſque dominum, omnes alios extinguentes. Et ante diem deſignatus eſt dictator Lucius Quintius, is qui optimus, nec ille quidem tunc in vrbe, ſed in*

ſed in agro agens. Quæ verò poſt hæc fuerint eius viri opera, ſcitis probè, quòd vires idoneas ſtatim parauit, periclitantémque liberauit exercitum, déque hoſtibus pœnas ſumpſit, ducem eorum etiam captiuum ducens. & hæc omnia ille intra quatuordecim dies tantummodo conficiens, & ſiquid aliud conquaſſatum erat in republica reſtituens, ſecures faſcésque depoſuit: neq; prohibens tunc quicquã fuit, vos volentes vno die magiſtratum creare nouũ. Hoc igitur exemplum imitãtes oportere puto vos, quando nihil aliud poſſumus, dictatorem antequam hinc exeatis dicere. Nam ſi hoc tempus præterimus non congregabunt decemuiri nos amplius conſultaturos de re aliqua. & vt fiat ex lege nobis dictatoris dictio, interregem vos creare æquum cenſeo, eligentes maximè idoneum ex ciuibus (vt eſt nobis conſuetũ) quando neque interreges neque conſules, neque vllum alium legitimum (vt nunc eſt res) magiſtratum habetis. Nam his quidem viris præterijt magiſtratus tempus faſcésque eis lex aufert. Hæc ſunt patres, quæ vos vt agatis admoneo, & vtilia & poſſibilia. Ea verò quam Cornelius introducit ſententia, diſſolutio expreſſa eſt potentiæ optimatum. Nam ſi ſemel hi decem ex hoc prætextu belli, domini armorum fiant, vereor quidem ne eis aduerſus nos vtantur: etenim nolentes illi faſces deponere, arma ſcilicet deponent? Hæc igitur cogitantes, cauete iſtos homines, & eorum prouidete fraudi. Eſt enim melius ”
” *prouidentia, quàm pœnitentia. Eſt'que prudentius* ”
” *malis viris non credere, quàm qui antè crediderit, accuſare. Hanc ſententiam enuntiante Valerio gratioſam pluribus, vt ex voce ipſa coniectare facilè erat: póſtque illum aſſurgentibus, erat enim pars ſenatus ea iuuenum reliqua, hæc eſſe optima exiſtimantibus, præter paucos: poſtquam omnes declara-*

runt sententias suas, oportebátque consulta finem ca pere, postulabat Valerius, vt decem illi proponerent rursus disceptationem, rogantes iterum senatores omnes sententiam. & hac dicens erat multis senato rum, volentibus retractare sententias priores, obsequens. Verùm volens Cornelius permittere decem viris ducatum belli, acriter repugnabat, indicatam esse dicens iam rem, & habere fidem legitimum latis omnium sententijs. Numerarique eas volebat, nec agi quicquam noui amplius. Hæc cùm ab vtro que dicerentur multa ambitione & clamore: & senatu dißidente ad vtranque partem: volentibus alijs corrigi inornatum illius administrationis Valeriúmque adiuuantibus: alijs verò peiora eligentibus, & eis qui sibi pericula ex mutatione status fore suspicabantur Cornelio assentientibus: sumentes causam decemuiri agendi quicquid vellent turbationem senatus, ad Cornelij sententiam accedunt. Atque progrediens vnus eorum Appius, de bello inquit aduersus Aequos & Sabinos cogituros conuo cauimus vos patres, potestatémque fecimus dicendi volentibus omnibus à primis vsque ad nouißimos, vocantes quemque suo loco. Tribus autem pronuntiatis sententijs differentibus, Claudij, Cornelij, vltimique Valerij, indicastis de eis vos reliqui. Declarauítque vnusquisque audientibus omnibus, cui sententiæ accederet. His autem omnibus ex lege peractis, postquam pluribus vestrum visus est Cornelius optima proposuisse, declaramus hūc vincere, demonstratámque ab eo sententiam scribentes esse rimus. Valerius autem & qui cum eo sentiunt, quando ipsi consulari potientur potestate, causas finem iam habentes, iniudicatas faciant, si hoc eis pla cuerit, & probata à vobis omnibus consilia irrita constituant. & his dictis iussóque scriba eligere senatusc

natusconsultum in quo decretum erat, ut conscriptionem exercitus bellíq; ducatum assumerent decemuiri, concilium dissoluit. His ex rebus decemuiratus sodalitatis homines, & seueri, & feroces extabant, tanquam cæteris superiores facti, & qui ne sibi adimeretur potentia perfecissent, postquam fiebant semel armorum domini. Qui vero optimè de republica sentiebant, mœsti ac territi, nullius amplius reipublicæ partis futuri domini diuidebãtur in multas partes: natura quidem magis degeneris hominibus, coactis omnia victoribus concedere, séque addicere in sodalitia decemuiratus: minus autem trepidis, absistentibus cura reipublicæ, & ad minimè curiosam sollicitámque se accommodantibus vitam: eis verò quibus inerat plurimum generosi moris sodalitates proprias comparantibus, conspirantibúsque inter se ad custodiam sui, statúsque illius mutationem. Harum autem sodalitatum duces erant, primi ausi in senatu dicere de dissolutione decemuiratus, L. Valerius, & Marcus Horatius, munientes illi armis domos suas, & custodiam famulorum firmam, & clientum circa se habentes, ita ut nec violenti aliquid pati possent, nec reprehendi timiditatis. Quicunque verò neque colere superiorum potestatem vellent, neque quicquam reipublicæ conuertere, neque vitam sine negotio quietam viuere videbatur pulchrum, nec pugnare pro viribus facilè, quandoquidem delere velle tantam potentiam, stultum videbatur, vrbem relinquebant. horúmque dux vir illustris erat Caius Claudius, Appij principis decemuiratus patruus, promissa seruans quæ in senatu fecerat fratris filio, quando postulans vt potestatem deponeret, ei non persuasit. Secutáque est eum multa amicorum, multáque clientum turba. Hócque incipiente, alia etiam ciuilis multitudo

non iam

non iam furtim aut pauci simul, sed apertè & gregatim relinquebant patriam, ducentes secum vxores & filios. Decem autem viri ægrè ferentes ista, primum quidem prohibere nitebantur, claudentes portas, & homines aliquot corripientes. deinde eos inuasit timor, ne prohibiti ad vim conuerterentur: visumque est rectum consilium, sibique melius, extra pedes inimicos esse, quàm permanentes se conturbare. Reserantésque portas permiserunt abire qui vellent. Aedes verò eorum & sortem & alia quæcunque in fuga ferri non possent, referentes id delictum in desertionem exercitus, verbo publicabant: re autem vera amicis suis tanquam à populo empta largiebantur. Hæc verò crimina addita prioribus multo infestiores erga decemuiratum fecere & patritios & plebeios. Sed si tamen nihil esset peccatum vltra supradicta, videntur mihi illi multum tempus permansuri fuisse in eadem potestate. Nam custodiens potestatem eorum seditio manebat adhuc in vrbe, ob multas causas & per multa aucta tempora, propterque eam gaudebant vtrique mutuo alterorum malis. Plebeij quidem videntes patritiorũ spiritus deiectos, nulliúsque rei amplius senatum dominum. Patritij verò cernentes libertatem plebeiorum amissam, nec vim ipsos habentes minimam, ex quo eis tribunitiam potestatem decemuiri ademerant. Verùm illi arrogantia vtentes multa ad vtrãque partem neque belli moderati, neque domi temperantes, concordes omnes fieri coegerunt, ac dissolui sibi imperium, quanquã propter bellum arma adepti essent. Vltima autem peccata eorum ob quæ perditi sunt à plebe (hanc enim maximè insectantes exacerbabant) fuere talia. Post decretum de bello properè conscribentes exercitum, diuidentésq; eum trifariam, in vrbe duas reliquerunt legiones, custodiæ

dia eorum causa qui intra muros permanebant, quarum erat dux Appius decemuiratus princeps, & cum eo Sp. Oppius. Trésque alias habentes hi duces, eduxerunt aduersus Sabinos. Quintus Fabius & Quintus Petilius, & M. Raboleius. Reliquas autem accipientes Marcus Cornelius, & Lucius Minucius, & Marcus Sergius, & Titus Antonius, & vltimus Caeso Duillius, ad bellum aduersus Aequos sunt profecti. Militabant autem cum eis Latini, & ab alijs socijs auxilia nō pauciora illa ciuili multitudine. Sed nihil eis tamen ad votum cessit. Tantas nanque ducentes eos copias domesticas, tantas socias, contemnentes hostes, quia nuper collecti essent qui militabant: castra propius eos posuere. Commeatúmque eisdem dispositis per itinera insidijs auferebant, exeuntésque ipsos pabulatum excipientes illi affligebant: ac si quando equites cum equitibus ad manus venirent, & pedites cum peditibus pugnantes ex acie, ex omni parte superiores Aequi discedebant, malè spontè agentibus non paucis Romanorum in congressibus, neque ducibus suis parentibus, neque ire aduersus hostes volentibus. qui verò aduersus Sabinos militabant, minoribus vexati malis vltro vallum relinquere cogitarunt. Déque media nocte exercitum excitantes abduxerunt ex hostili in agrum suum, fugae similem facientes profectionem illam: donec ad vrbem Crustumeriam haud procul Roma distantem aduenere. At qui in Algido regionis Aequorum castra posuerant, multas plagas accipientes ab hostibus & perstare volentes in arduis, tanquam damna correcturi, miserabiles res passi sunt. Nam irruentes in eos hostes, & qui pro castris stabant deturbantes, supergressi sunt munitiones. Atque vallum occupantes, paucos quosdam resistentes interfecere: plures verò persequentes ipsi

perdidere. Seruati autem ex fuga vulnerati ex eis pars maior & amißis armis propè omnes, deuenerunt in vrbem Tusculum. Tabernacula nanque eorum & iumenta & pecunias & famulos omnémque apparatum belli hostes diripuerant. Vbi verò sunt hæc nuntiata in vrbe, quicunque erant inimici decemuiratus, & qui prius occultabant odium, tunc se detegebant, gaudentes malis ducum actionibus. Eráique iam circa Horatium & Valerium manus valida, quos esse dixi optimatum sodalitatis duces. Appius autem & Sp. suggerebant collegis, qui in exercitu erant, arma, & pecunias & frumentum, & cætera quorum indigebant, publica simul & priuata multa cum superbia capientes: & in locum amissorum deligentes ex omni tribu qui possent ferre arma eis mittebant, diligentérque adhibebant in vrbe custodiam occupantes locos eius opportunißimos, ne se laterent mouentes aliquid qui cum Valerio conspirabant: admonebántque collegas duces exercituum per arcanos nuntios, vt aduersantes sibi perderent: clam illustres quidem homines, palam verò eos quorum minus futurum esset sermonis, causas semper aliquas afferentes vt viderentur iustè mortui. Atque fiebant ista. Alij enim ad excursiones ab eis mißi, alij præsidio adducentibus commeatum, alij ad alios vsus bellicos destinati extra castra cum fuissent, nusquam amplius videbantur. Humillimi verò aut fugæ cogitatæ insimulati, aut delationis ad hostes arcanorum, aut ordinum inobseruationis palã ad terrorem cæterorũ perdebantur. fiebátq; duplex militum exitiũ: familiarium quidem decemuiris, in prælijs aduersus hostes occisorum: & eorum qui optimatum constitutionem cuperent sub ducibus amissorum. multáque etiam in vrbe talia ab Appio & à collega eius

perfie

perficiebantur. Atque aliorum quidem, quanquam plurium interemptorum, minus fuit in multitudine sermonis, unius autem plebeiorum illustrissimi, & qui plurimas in rebus bellicis demonstrarat virtutes, mors crudelis & impia perpetrata in altero exercituum ubi erant tres duces, omnes illic stantes paratos ad rebellionem fecit. Erat enim qui occisus fuit Siccius, is qui in pugnis decertarat centum & viginti, ferens ex omnibus præmia fortitudinis: quē absolutum iam per ætatem militia dixi ultro belli aduersus Aequos participem esse voluisse, octingentorúmque hominum cohortem expleto ex quoque legibus militia tempore, ob beneuolentiam eorum in se adduxisse. Cum quibus missus ab altero consulum ad castra hostium oppugnanda, in euidens ut videbatur omnibus exitium, vallum cepit uniuersæque victoriæ consulibus causa extitit. Hūc virum multos spargentem sermones in urbe aduersus duces exercituum, ut ignauos & imperitos belli, volens Appius quamprimum tollere, in colloquia eum prouocat humana. volebátque ipsum perquirere de ijs quæ fierent in exercitu, & quemadmodum possent corrigi errata ducum, dicere ipsum hortabatur. Postremóque persuasit ei ut in castra iret ad Crustumeriam posita, potestatem habens legati. Est enim omnium sacratissimum & honoratissimum apud Romanos legatus: potestatem & vim habens imperantis, inuiolabilitatémque & venerationem sacerdotis. Ubi verò in castra venit, suscipientibus eum communiter ducibus & rogantibus ut commilitaret remanens, & iam dona quædam dantibus ipsis ei, aliáque pollicentibus deceptus ille ab hominibus improbis præstigiísque verborum, nesciens quod ista insidiosè fierent, vir militaris morúmque simplicium, cum alia suasit eis quæcunque esse putabant

tabant utilia:tum primum omnium, vt transferrent castra ex suo agro in hostilem admonebat, iacturas narrans quas facerent eo loco considentes, & enumerans emolumenta quæcunque castra transferentes habituri essent. illi autem admonitiones se iucundè suscipere simulantes: Et cur, inquiunt, non tu huius motionis castrorum dux es? locum ante speculatus vallo opportunum? Habes enim eorum peritiam toties ipse militans, & nos tibi cohortem dabimus electorum iuuenum leuis armaturæ: aderítque tibi propter ætatem equus & armatura tantos viros decens. Suscipiente autem negotium Siccio ac petente leues centum electos, nullam moram interponentes illi emittunt eum, nocte adhuc durante, & cum eo centum illos eligentes ex amicis suis scelestissimos, quibus mandant vt trucident eum virum, mercedem magnam cædis pollicentes. Vbi verò discedentes à castris venerunt in tumulosum locum & angustum, difficilémque propter asperitatem riparum transiri equo nisi gradatim vadenti: signum dantes inter se, cateruam faciunt, vt regressuri in eum conferti. Famulus autem subscutarius quidam Siccij bello strenuus, suspicatus eorũ mentem, index fit domino. Atque ille vbi se conclusum vidit in loco arduo, in quo non poterat vi equum agere, desilit, ac stans in rupe, ne se circumire possent, solum habens subscutarium venientes eos expectat facientibúsq; omnibus in se impetum multis ipsis, circiter quindecim eorum interficit, bísque totidẽ vulnerat: videbatúrq; cæteros etiam occisurus pugnans si obuij processissent. Illi autem intelligentes quàm inexpugnabile quiddam hoc esset, & quòd nunquã aggredientes eum caperent, manum amplius conserere desierũt. atq; distantes longius, iaciebant alij in eũ iacula, alij manu impellẽtes lapides, aliiq; fustes.

quid

quidam autem progredientes ex transuersis rupibus, & supra caput eius facti, petras maximas supernè deuoluebant, donec tandem multitudine ex opposito iactorum ac supernè demissorum grauitate eum confecerunt. Talique igitur Siccius potitus est fato. Qui verò cædem peregerant, redeuntes in castra, sauciósque adducentes, sparsere sermonem, quòd apparens eis hostium cohors, Siccium interfecerat, & cæteros qui in eam primi incidissent. & quòd vix ipsi multis vulneribus acceptis effugerant: videbantúrque illi omnibus dicere credibilia. Sed non latuit tamen id facinus, quamuis facta cæde in solitudine, nullúmque ea habente indicem, fato ipso non permittente, mortaliáque omnia inspectante iudicio, coargutúmque est scelus ipsum indubitabilibus coniecturis. Nam qui in castris erant putantes hunc virum dignum publica sepultura & honoribus vltra cæteros excellētibus, propter multa quidem alia, maximè verò quia legatus ipse, pérque ætatem à bellicis certaminibus liber, in periculum tamen se volens pro communi vtilitate dederat, decreuere conuenientes in vnum ex tribus legionibus egredi ad inquisitionem corporis, vt cum multa securitate & honore referretur in castra. Concedentibúsque istud eis ducibus metu, ne quam exhiberent de se suspicionem, pulchritudini ipsi consilij conuenientíque aduersantes officio: captis armis exiere. Et ubi ventum est ad locum, vt viderunt neque syluas neque valles neq; locum quenquam alium communiter opportunum insidiis, sed & nudam & illustrem & angusti transitus rupem, suspicati sunt quamprimum quod gestum erat. Postea accedentes ad mortuos, vt videre proiectum Siccium: ipsum minimè spoliatum, sicq; cæteros; mirabantur si vincentes inimicos

hostes neque arma ademissent eis, neque ipsos spoliassent. perscrutantésque circum omnia, vbi nullum equorum aut hominum vestigium inuenere, præter ea quæ in via erant, immachinabilem rem putarunt, apparuisse illis hostes non apparentes sibi, tanquam volucres volantes aliquas sua citer. Supérque omnia ista & cætera maximum eis argumentum videbatur non occisi viri illius ab hostibus, sed ab amicis, quòd nullus hostium mortuus inueniretur. Neque enim putabant inultum mortuum esse Siccium robore & animo constantissimũ, neque subscutarium & alios cum eo cadentes, præsertim gesta ad manus pugna. Coniectabant autem istud ex vulneribus quæ multa habebat Siccius, alia lapidibus crassis, alia iaculis, aliáque gladiis: sicq; subsecutarius: interemptíque ab illis omnes, gladiis aut lapidibus aut iaculis: sagitta autem apparebat nulla. Indignatio deinde secuta est omnium & clamor, multúsque complóratus. & vbi defleuerunt hanc calamitatem, attollentes mortuum deferentésque in castra, multa in duces conuitia iaciebant. Postulabántque maximè vt ex lege militari homicidæ necarentur: sicq; minus, saltem iudicium eis traderent. Erantq; multi volentes eos accusare. Vbi verò non exaudiuerunt duces, sed eos viros occultarunt, distulerúntque iudicia, dicentes Romæ ea daturos volentibus accusare: cognoscentes illi esse ducũ has insidias. Siccium quidem sepelire, elationem facientes illustrissimam, rogúmque cumulantes maximum. Alia quoque pro viribus instantes, quæ in supremum honorem ferri viris strenuis lex vult. A decemuiratu verò iidem alienati sunt omnes, déque defectione cogitabant. Apud Crustumeriã igitur & Fidenas exercitus propter Siccij legati mortem præsidentibus

inimi-

inimicus erat. Confidens verò in Algido Aequorum regionis alter, & quæ in vrbe erat multitudo omnis, bellum cum eis ob has causas gessit. Vir plebeius L. Verginius nemine in rebus bellicis deterior, cohortisque habens cuiusdam ducatum, in quinque illis legionibus statutus aduersus Aequos militantibus, filiam habebat omnium Romanarum virginum formosissimam, patriúmque ferentem nomen, desponsam Icilio vnius virorum tribunitiorum Icilij filio, qui primus constituit tribunitiam potestatem & accepit primus. Hanc puellam cum spectasset iam nubilem Appius Claudius decemuiratus princeps, legentem in ludo literarum (erant enim puerorum ludi tunc circa forum) statim captus est pulchritudine puellæ. adhuc magis extra sensus fuit, coactus sæpe ludum prætergredi victus iam affectu. Cúmque eam non posset sibi matrimonio coniungere iam nuptam alteri, ipséq; etiam vxorem habens, nolénsque præterea plebeij generis vxorem capere, ob despicientiam conditionis eius, prætérque legem quam ipse in duodecim tabulis scripserat: primum quidem conatus est corrumpere puellam donis, mittens aliquas semper ad nutrices eius fœminas (erat enim orbata matre puella) ac dans multa, pluráque datis pollicens. Inhibuerat autem tentantibus nutrices fœminis, ne efferrent quis puellæ amator esset, sed esse vnum tantum dicerēt valentium bene quibus vellet maléque facere. Vbi verò nihil eis persuasit, sed maiore quàm prius custodia septam virginem animaduertit, inflammatus ex affectu cogitauit impudentiorem viam. Ac summittens ex clientibus suis quendam M. Claudium, hominem confidentem & ad omne ministerium paratum, narrato ei affectu suo, & edocto eodem quæcunque ip-

ff 2 sum

sum agere vellet & dicere, emittit eum ducentem secum compluresimpudētissimorum hominum. atque ille ad ludum veniens puellam capit, volebatq́; palàm per forum eam abducere. Clamore autē exorto, multáque concurrente turba, prohibitus ducere quò vellet puellam, vadit ad magistratum. Sedebat autem solus in tribunali tunc Appius, quærens pecunias ac ius dicens indigentibus. Volente itaque eo ducere, clamor vndique & indignatio erat ex circunstante turba, postulantibus omnibus expectari donec virginis cognati adessent. Iussitque Appius sic fieri. Breuique affuit auunculus puellæ P. Numitorius, amicos multos & cognatos secum ducens, vir ipse inter plebeios clarus: neque multo pòst sponsus Icilius manum ipse quoque circum se habens iuuenum plebeiorum firmam. Isq́; vbi tribunal adiit anhelans adhuc attollénsque vocem iubebat illum dicere, quisnam esset ausus tangere puellam ciuem. & quid sibi idem volens. Silentio autem facto, M. Claudius is qui puellam ceperat huiusmodi orationem habuit. Nihil à me nec præteruum nec violentum gestum est in puella Appi Claudi. sed dominus ex lege duco: ac quemadmodum hæc mea sit disce. Est mihi famula paterna valde diu seruiens. huic prægnanti vxor Verginij familiari eidem & se adeunti persuasit, vt si pareret traderet sibi infantem. Eaq́; seruans promissa cum enixa esset hanc filiam apud nos, finxit pepe- risse se abortum, tradiditque infantem Numitoriæ, quæ eam sibi subdens educauit, filiorum ipsa neque maris neque fœminæ mater alicuius. Latuerunt autem prius hæc me, quæ nunc per indicium comperi: habcóque huius rei testes multos & bonos, perscrutatusq́; ipse famulam, ad communem legem omnibus confugio, quæ non subdētium sed matrum essi

esse filios iustum censent, liberarum liberos, seruarum seruos, ipsos sequentes dominos quoscunque matres eorum habeant. Per hanc igitur legem postulo serua mea filiam adducere, iudicium subire volēs: siq; aliquis sibi eam vendicet, vades dare idoneos sistendi eam ad iudicium. si verò celerem vult aliquis fieri cognitionem, sum paratus ad dicendam sub te statim causam, neque corpus vadare, aut rebus aliis dilationes afferre. Vtram verò velint isti harum electionum capiant. Hæc cum dixisset Claudius multis additis precibus ne deterior aduersariis fieret: quia cliens ei erat, & fortunæ homo humilis: suscipiens sermonem auunculus puellæ, & pauca dicens eáque ipsa ad magistratum dici conuenientia: patrem esse ait puellæ ex plebeiis hominibus Verginium, absentem ipsum militantémque pro patria: matrem verò fuisse Numitoriam, suam ipsius sororem, fœminam pudicam & bonā, eamq; non multis antè annis mortuam, educatámque esse virginem uti liberam & ciuem decet, atq; nuptam secundum leges esse eam Icilio, finémque iam habiturum fuisse matrimonium, nisi bellum cū Aequis citius extitisset. cumq; essent anni haud minus quindecim præteriti, intra hoc tēpus nihil tale vnquam dicere aggressum esse ipsis Claudium. postea verò quàm nubilis puella, viroq; matura fuerit, & excellere videatur forma, tunc venire amantem ipsum, impudentissimam confingentem calumniam, non à se ipso, sed ab homine putante sibi cupiditatem omnem quoquo modo cæteros gratificari oportere. Litem igitur de filia defensurum esse patrem inquit ipsum, cum venisset ab exercitu: corporis autem vendicationem, qua opus esset fieri secundum leges, ipsum se peracturum, qui sit puellæ auunculus, iustaq; subiturus, nihil postulans neque

extraneum neque quod non sit iustum cæteris Romanis, dari. nisi etiam iustum sit dari omnibus hominibus, cũ ducatur corpus aliquod in seruitutem ex libertate, non auferentẽ aliqua libertatem, sed custodientẽ ipsam, dominum esse corporis vsque ad finem iudicij. Dixitq; multas ob causas conueniens esse Appio, vt custodiret hoc iustum: primum quia hanc legem ipse simul cum aliis in duodecim tabulis scripsisset: deinde quia esset idem decemuiratus princeps, superq; his decemuiratum cum consulari tribunitiáque potestate sumpsisset, cuius optimum opus est imbecillibus desertisq; ciuibus opem ferre. postulabátque vt confugientis ad se virginis misereretur, iam pridem matre orbatæ, desertæq; etiã nũc à patre, in periculoq; positæ, non pecuniarum patrimonialium amittẽdarum, sed & viri & patriæ, & (quod maximum videtur esse humanorum bonorum) corporis proprij libertatis. defléńsque contumeliam in quam tradenda esset puella, multámque commouens astantium commiserationem, de tempore postremo litis hoc dixit. Quandoquidem finem eius celerem vult Claudius, dicens nihil se iniustè egisse annis iam quindecim elapsis: aliquis quidẽ alius decertans de rebus tantis acerba sibi pati videretur, indignaretúrque vt verisimile est, nisi obtineret postulans, facta pace, & cum reuersi essent omnes qui nunc sunt in exercitu, defendi tunc causam, cum & testium & amicorum esset & iudicũ litigantibus vtrisque copia: res ciuiles & moderatas proponens reique publicæ Romanæ consuetas. Sed nos, inquit, orationum non indigemus neque pacis neque turbæ amicorum aut iudicum. neque rẽ in tempora iudicialia differimus. sed & in bello & in penuria amicorum, & sub non æquis iudicibus tolerabimus subito defendere, tantùm à te petentes

tempus

tempus Appi, quantum sit sufficiens puellæ patri ab exercitu reuerso, ad deplorandas fortunas proprias, & per seipsum litem defendere. Talia dicente Numitorio, turbáque circunstante clamore significante illum iusta postulare, continens se parũper Appius: Ego, inquit, legem non ignoro de vadatione ductorum in seruitutem positam, quæ non sinit esse corpus apud auferentes usque ad finem litis: neque eam quam ego scripsi dissoluerem unquã volens. tamen illud iustum puto, duo cum sint vendicantes hoc corpus sibi, dominus, & pater, si uterque adesset, patrem tenere corpus usque ad iudiciũ: sed quando ille abest, dominum id abducere, vades dantem idoneos sistendi illud ad magistratum, cũ pater eius affuerit. De vadibus autem & æstimatione, ac ne ulla vos re sitis inferiores in causa, ego multam Numitori adhibebo prouidentiam: sed nũc puellam trade. Hunc tunc finem inferente Appio, multus fiebat fletus super virgine à circunstantibus eam fœminis & plangor, multusque clamor & indignatio à circunstante tribunal turba. Ducturus verò sponsam Icilius se infert ei, & dicit: Non me viuo Appi abducet hanc aliquis. sed si videtur tibi leges soluere, iusta confundere, libertatémque nobis auferre, ne nega amplius exprobratam vobis tyrannidem: sed deciso mihi collo & hanc abduc quocunque videtur tibi, & virgines mulieresq́ cæteras: ut intelligant iam aliquando Romani se pro liberis seruos factos, nihilq́ illi deinceps fortuna sua maius sentiant. Quid adhuc differs? ac non sanguinem meum ante tribunal tuum coram omnium oculis fundis? scito tamen hoc clarè, quod aut magnorum malorum Romanis, aut magnorum bonorum initium mors mea erit. Adhuc autem loqui volentem iussi à magistratu lictores arcebant eum

à tribunali, ac parêre iudicatis iubebant: volebátque Claudius puellam capiens abducere, auunculo sponsóque obsistentibus. Videntes autem luctum miserabilem qui tribunal circunstabant vnà omnes exclamarunt: nulliúsque momenti ducentes potestatem superioris, contendunt obuiam violatoribus: ita vt incursum eorũ timens Claudius virginem dimitteret, & sub pedes ducis confugeret. Appius autẽ à principio perturbatus, efferatos omnes videns, dubitauit diu quid agi oporteret. Deinde Claudio ad tribunal vocato, & cum eo pauca collocutus vt visum est, significans circunstantibus vt quiescerent, dicit talia: Ego plebeÿ cautionem de vadatione corporis per Claudium, postquam video vos exasperatos ad hanc declarationem, omitto: volénsque gratificari vobis, persuasi clienti meo, vt sinat cognatos virginis vades dare donec pater eius adsit. Abducite igitur Numitori puellam, & vadimonium sistendi eam in crastinum firmate. Sufficit enim vobis hoc tempus ad nuntiandum hodie Verginio, & cras intra triũ aut quatuor horarum spatium ad adducendum è castris eum. Petentibus autem eis plus temporis, nihil amplius respondens surrexit, tollique sellam iussit. Atque vbi è foro abiit mœstus & per affectum furens, cogitauit non amplius tradere cognatis virginem: sed quando illa per vadationem producta esset, vi eam abducere maiorem sibi custodiã assistentes ne à turbis violaretur, ac loca circum tribunal cateruis sodalium clientúmque praeoccupans. & vt honesta cum accusatione hoc ageret, non adueniente ad vadimonium patre, dat fidissimis equitibus epistolas in castra, mittens eos ad Antonium legionis ducem in qua militabat Verginius: postulánsque vt eum detineat in diligenti custodia, ne se lateat de filia audiens fugiénsque è

valle.

vallo. Caeterùm praeuenerunt eum praemissi ab aliis vsque ab incipiente controuersia necessarij puellae, Numitorij filius fratérque Icilij, egregiae indolis adolescentes, iuuenilísque pleni impetus effusis habenis ipsi adigentes flagellis equos, festinantésque iter & Verginium de his quae agerentur certiorem facientes. Ille autem veram causam celans Antonium, necessariíque sui cuiusdam mortem se audiuisse fingens, cui funus & sepulturam procurare oporteret ipsum ex lege, dimittitur circiter lucernarum accensiones. Pergitque vnà cum iuuenibus per vias alias, timens persecutionem ab exercitu simul & ab vrbe: quod etiam euenit. Nam accipiens Antonius epistolas circiter primã vigiliã, emisit alam ad comprehendendum eum equitum: & ex vrbe emissi alij tota nocte obseruauerunt ab exercitu ferentem viam. Vbi verò nuntiauit quidam Appio venisse Virginium, extra sensum factus affuit ad tribunal magno cum comitatu pérque cognatos produci puellam iussit. quod cum factum esset, illique aduenissent, Claudius eosdem rursus sermones percurrit: postulans fieri iudicem eius rei Appium, nullam ipsum interponentem moram: cùm & iudex adesset, & testes familiámque ipse traderet. in quibus omnibus multa inerat simulata miseria, si non aequis potiretur iuribus vt antea fuerat, quia cliens esset Appij Claudius. multáque adhibebatur adhortatio, vt non ille misericra dicentibus, sed iustiora postulantibus esse vellet auxilio. Pater autem puellae reliquique necessarij defendebant subditionem multa iustáque dicentes & vera: tanquam neque causam vllam subditionis rationabilem habuisset Numitorij soror vxórque Verginij, virgo viro nupta iuueni, neque multo post nuptias pariens: ne siquidem maximè voluisset alie-

num genus in propriam domum introducere, cur alienæ seruæ potius infantem susciperet quàm fœmina libera, eique genere aut amicitia coniuncta, à qua fidenter haberet & certū id quod suscepisset: potestatemq; habentem ipsam dicebant, vtrius sexus vellet prolem capiendi, marē potius electuram fuisse subditum quàm puellam. parientem enim fœminam, quæ filiis indigeat, diligere & educare ei oportere quodcunque ei natura afferat. Subdentem verò verisimile esse, melius quàm deterius capere. Ad indicem autem & testes quos se Claudius multos multos & idoneos exhibiturum dicebat, adhibebāt ex probabilibus rationem, tanquam nunquam rem silentio indigentem, & per vnam subministrari valentem, egisset palàm & cum testibus liberis Numitoria, vt puellam educatam sibi, postea matris domini eriperent. Tempúsque aiebant non paruum ipsum quidem esse argumento quòd nihil sani diceret accusator. Non enim indicem aut testes quindecim annos secretam habituros fuisse subditā, sed & adhuc prius dicturos. criminantésque illi accusatorū fides vt non veras neq; congruas, postulabāt opponi eis suas ipsorum fides, multas illi & insignes nominantes fœminas, quas vidisse dicebant grauidam Numitoriam ex mole ventris atque pigritia: prætérque ista ostendebāt ipsas quæ in partu puerperioq; affuissent, ob cognationem & quid illa pareret vidissent: postulabantq; eas examinari. Et quod erat argumentum omnium clarissimum, multis viris mulieribúsque attestantibus, non tantum liberis sed & seruis: dicebant illi hoc ad extremum, quòd matris lacte nutrita esset hæc infans. esse autē illud immachinabile, impleri lactè mammas fœminæ non parientis. Hæc & multa his similia adhibentibus ipsis fortissima, & quæ in contrarium ra-

tiones

tiones recipere non valerent: multámque permiscentibus ex calamitate puellæ commiserationem, alij quidem omnes quicunque istos sermones audierant formæq; illud miserabile animo concipiebant, quoties spectarent virginem (nā in veste ipsa sordida mœstéque aspiciens, pulchritudinémque consumens oculorum rapiebat ad se aspectus omnium: adeò ei supra hominem forma aderat quædam & gratia formæ) absurditatem deflebant, ex quibus bonis, in quas contumelias improperiáque decideret: subibátque eos illa cogitatio, quòd soluta libertatis lege, nihil erat quod prohiberet suas quoque vxores & filias pati eadem quæ illa. Hæc igitur & multa alia his similia cogitantes, & inter se colloquentes flebant. Appius autem vt vir sensu per naturam non valens, magnitudinéque potestatis corruptus, tumido animo & ardentibus amore visceribus, neque ad sermones defendentium mentem adhibebat, neque lacrymis puellæ frangebatur: condolentiámque astantiū irato accipiebat animo, tanquam ipse maiori dignus esset misericordia, grauiora patiens propter illam ob quam in seruitutem trahebatur formæ excellentiam. Per hæc igitur omnia stimulatus & insaniens, sermonem eloqui sustinuit impudentem: per quem manifestus fuit suspicantibus, finxisse ipsum aduersus virginem calumniam, & opus esse ausum agere tyrannicum & crudele. Nam dicentes adhuc eos iubens desinere, vbi id factum est, atq; omnis per forum turba impetum accepit, desiderio adducta cognoscendi quæ ab eo dicerentur: sæpius conuertens faciem huc & illuc, & cateruas amicorum quibus forum occupauerat oculis dinumerans, hæc dixit: Ego de hac re Vergini & vos qui cum eo adestis non nunc primum audiui, sed adhuc antiquius & priusquam hunc susciperem

magist

magistratum. Quo autem modo cognouerim, audite. Pater Claudij huius moriens voluit me filium hunc suum puerum qui relinquebatur tueri: sunt enim domus isti nostræ clientes ex progenitoribus. Tutelæ itaque tempore indicium factum est de puella mihi, quemadmodum subdidisset eam sibi Numitoria, accipiens à serua Claudij: ac rem discutiens, reperi ita esse. Attingere autem me ipsum hoc negotiū non conueniebat. Putaui enim esse melius relinquere potestatem huius filio cum vir esset, vtrum ipse ancillam abducere, an absoluere eam vellet alteribus, accipiens pretium, aut etiam gratis largiens. Hoc autem in tempore ego ciuilibus actionibus inuolutus, non amplius res Claudij curæ habui. Huic autem proprium vt videtur recensenti censum, reddito de ancilla indicio, sicut & mihi prius, sanè nihil iniustum petitur, si vult natam ex serua abducere. si enim alteruter alteri persuasisset, pulchrè res haberent. Postquam autem in controuersiam res venit, & testor ego & iudico, hunc esse ancillæ dominum. Vbi verò hæc audiuerunt quicunque aderant viri integri iustáque dicentibus aduocati, intendentes in cœlum manus exclamarunt comploratu & indignatione mixtum eiulatum. Decemuiratus autem adulatores adhortantem valentémque augere fiduciam potentibus vocem attollebant. irritato autem foro, omnísque sermonum generis & affectionum pleno, edicens Appius silentium: Nisi, inquit, desinatis seditionem serentes in vrbe, & tanquam duces aduersantes nobis turbulenti ipsi & nusquam vtiles, neque pace neque bello, necessitate coërciti cedetis: ne putetis hæc præsidia quæ in Capitolio sunt & in arcibus, esse à nobis aduersus externos hostes parata, ac vos intus sedentes corrumpere in vrbe

omnia

omnia permissura. Sententiam igitur capientes meliorem ista quam nunc habetis, vos quibus nihil est negotij abite si sapitis & res vestras curate. Tu autem habens ancillam Claudi, duc eam per forum timens neminem. Erunt enim tibi comites duodecim secures Appij. Vbi verò hæc dixit, alij quidem gementes frontémque ferientes, neque lacrymas cohibere valentes, decesserunt è foro: abigebátque puellam complexam patrem & osculantem, suauissimísque appellantem vocibus. In tali autem malo Verginius opus animo concipit sanè patri erumnosum & amarum, verùm libero viro magnificíque sensus decens. Petita enim amplectendi filiam vltimarum salutationũ venia, & colloquendi quæcunque vellet solus cum sola priusquam è foro duceretur, concedẽte istud duce, & inimicis paulum decedentibus, suscipiens solutam & defluentem, seq; detinentem, primum reuocauit, deosculatúsque est ac liquorem lacrymarum detersit. deinde eam paulatim subtrahens, vbi prope tabernam lanij cuiusdam fuit, arreptum de mensa eius cultrum per viscera exegit filiæ, hoc tantum dicto: liberam te & honestã filia ad manes progenitorum mitto: nam viuenti neutro horum per tyrannum tibi potiendum erat. Exorto autem clamore, habens cruentatum gladium, totúsque perfusus sanguine, quem puellæ insufflarat cædes, currebat per vrbem furibundus, vocánsque ciues ad libertatẽ: atque percursis portis ascendit equum qui ei paratus erat: contendítque ad exercitum, Icilio & Numitorio adolescentibus qui eum à castris adduxerant, tunc etiam comitantibus, ac sequente quoque eũ plebeiorum turba alia non pauca, ita vt essent circiter quadringenti. Appius autem vt puellæ casum cognouit, è sella exilit, persequíque Verginium volebat.

multa

multa dicens agénsque indecora. Cæterùm circumstantibus eum amicis, & vt nihil peccaret postulantibus, abiit erga omnes indignatus. Eóque iam domi manente, nuntiant quidam sodalium, quòd circa cladem puellæ Icilius socer patruúsque Numitorius cum amicis aliis cognatísque stantes fanda & infanda dicunt aduersus eum, vocántque populum ad libertatem. Ille autem præ iracundia mittit lictorum aliquot duci iubens clamantes in carcerem, & efferri cadauer è foro, rem faciens stultissimam miniméque temporibus congruam. Nam cum eum oportuisset mitigare turbam, quæ iustam iræ causam habuisset, cedentem ipsum statim tempori, posteáque alia excusantem, alia deprecantem, alia aliquibus aliis beneficiis recuperantem, adductus idem ad violentius coëgit eos in amentiam conuertit: neque enim permiserunt circumuallantes trahi mortuam, neque in carcerem eos viros duci, sed inclamantes qui vim afferrent impulsu eos ac verberibus expulerunt è foro: ita vt cogeretur Appius cum amicis pluribus & clientibus in forum ire cohiberi iubens & arceri ex compitis qui in eis perstarent. Sentientes autem consiliũ egressus eius Valerius & Horatius, quos esse dixi principalissimos libertatis recuperatorum: multam bonámque iuuentutem circum se ducentes, ante mortuam consistunt. & vbi prope fuit Appius, primum quidem in odiosa verba & improperia aduersus licentiam eorum prorupere: verbis deinde etiam opera adiicientes similia, ferientésque & auertentes obuios. Appius autem mæstus ex ea præter spem punitione, neque habens quid aduersus hos viros ageret, viam ire cogitauit exitiosissimam. Tanquam enim adhæreret ei adhuc multitudo, ascendens ipse in ædem Vulcani, populum ad concionem euocauit:

accusat

accusaréque conatus est illorum virorum iniquitatem & contumeliam, tribunitia ipse potestate & spe leni elatus, quòd cum eo simul populus indignatus permitteret eos viros de rupe deiici. Valeriani autem alterum fori locum occupantes, deponentésque corpus virginis in loco vnde omnibus futurum esset conspicuum, concionem alteram congregarunt multam inferentes Appij sociorúmque accusationem. Oportebat autem (quod quidem verisimile est) vt quos moueret dignitas illorum virorum, & quos puellæ miseratio grauia & à grauibus ob infelicem decorem passa, & quos ipsum veteris constitutionis Reipub. desiderium in hanc concionem hortaretur, plures ipsi aliis congregarentur: ita vt pauci quidam circa Appium fierent reliqui, decemuiralis illi factionis, in quibus quoque erant aliqui non amplius magistratui illi obedientes ob multas causas, sed si aduersariorum res valuissent, libenter ipsi in decemuiros incursuri. Videns autem se desertum Appius, coactus est mutare sententiam foróque decedere. quod maximè ei profuit. nam missus in potestatem plebeiorum pulchras eis persoluisset pœnas. post hæc autem potiti quanta vellent potestate Valerius & Horatius, sermonem aduersus decemuiratum intulere, confirmantes qui adhuc dubitarent: magísque item alienarunt ciuilem turbam à decemuiratu cognati virginis ferentes in forum lecticam, aliúmque ornatum sepulchralem quàm poterant pretiosissimum comparantes, elationéq; facientes corporis per illustrissima vrbis compita vnde à pluribus conspiciendi essent. Exiliebant enim ex ædibus mulieres & virgines deflentes hunc casum, floresq; aliqua & coronas aduersus lectulũ inijcientes, alia zonas & balteos, aliaque vittas virginalis comæ,

& quæ

& quadam item retortos crinium detondentes cincinos. Viri autem capientes aliqua ex proximis officinis, alia pretio, alia gratia, oblatis donis ornabant funeris elationem, ita vt id funus per vrbem celebre duceretur, promptíque omnes fierent ad dissoluendum decemuiratum, nisi quòd qui sentiebant cum eo magistratu tenentes arma magistratuum eis metum inferebant. nec Valerius & Horatius censebant per ciuilem sanguinem contentionem tolli oportere, & in talibus quidem perturbationibus vrbs erat. Cæterùm Verginius quem dixi sua manu filiam occidisse, agens equum pro viribus aduenit circiter accensionem lucernarum ad castra in Algido, talis qualis ab vrbe excurrerat totus conspersus sanguine, tenénsque in manibus cultrũ laniĭ. quem videntes qui pro castris excubabant, coniectare non poterant quidnã passus esset. sequebantúrque vt audituri rem & magnam & grauem. Ille autem flens ibat innuénsque obuiis, vt sequerentur. Excurrebántque ex tabernaculis per quæ transibat media cœnantes omnes conglobati, laternas facésque habentes, sollicitudinísque & tumultuum pleni, circumstantésque eum sequebantur. Isq; vbi in patentem locum venit, stans in parte quadam celsiori, vnde ab omnibus videri posset, enarrat quæ se deprehendißent calamitates, exhibens verborum testes eos qui sibi in vrbe affuerant. & vbi vidit complorantes multos & lacrymantes, ad preces supplex conuersus est, orans ne se negligerent, néue se inultum sinerent patriámque vituperatam. quæ cum diceret, multa erat cupiditas omnibus audiendi, iubebántque eum dicere. isq; carpens iam fidentius decemuiros, & enarrans quàm illi multis rem ademissent, & quàm multos verberibus cecidissent, multósque patriam fugere coegissent, nihil ipsos delinquo

linquentes: mulierum quoque virginúmque nubilium raptus, puerorúmque liberorum improperia, aliásque eorum iniquitates crudelitatésque enumerans: hoc modo, inquit, nos vituperant hi qui neque lege habentes hanc potestatem, neque senatusconsulto, neque iussu populi, eam sibi assumpserunt. Nam tempus annuum, post quod oportebat imperantes ipsos tradere aliis rempub. præteriit: sed tenent eam armorum violentia multã nostram despicientes timiditatem, multã mollitiem tanquam fœminarum. subeat vnũquenque vestrum cogitatio eorum quæ ego sum passus, & quæ alios passos nouit. Siq; aliquis vestrũ inescatus voluptatib. ab eis aliquibus aut gratiis decemuiratum non timet, nec vt ad se veniant aliquãdo acerba metuit, discens iste nihil esse tyrannis fidei, neque ob beneuolentiã alicui dari à potentibus gratias, cæteráq; similia, mutet sensum: atque vna vtẽtes omnes vos sententia, liberate à tyrannis patriã, in qua sunt deis tẽpla extructa, & maiorũ vestrorũ reliquiæ, quas post deos honoratis, & senes patres alimẽta à vobis multa dignáque suis laboribus repetẽtes, & vxores legitimæ & filiæ nubiles non parua ipsæ indigẽtes habentiũ eas cura, mariúmque soboles, quibus debentur iusta natura progenitorũ. Domos autem & sortem & pecunias multis patrũ. multis vestris ipsorũ laboribus quæsitas taceo, quorũ nihil licet nobis habere certũ, donec decẽ dominentur tyranni. Non est hominum temperantium & generosorum aliena per virilitatem acquirere, & amitti per mollitiẽ propria negligere: aut cum Aequis Volscis & Sabinis omnibúsque finitimis diuturna bella de principatu, sinéque intermißione gerere. nec aduersus imperantes vobis præter leges pro securitate vestra & libertate arma capere. an non vrbis resumentur spiritus, con-

stabúntque vobis cogitationes, patrum virtute digna. qui ob unius fœmina contumeliam, violata ab vno filiorum Tarquinij propterque illam calamitatem se interimentis, adeò sunt indignati, illoque casu irritati, communem quandam contumeliā illam existimantes, vt non eiecerint tantū vrbe Tarquinium, sed omnino dominatum regium sustulerint, vetuerintque deinceps Romanorum aliquem in vitam totam magistratū gerere non obnoxium, iurantes ipsi iuramenta maxima, & in nepotes execrationes, si aduersum ista facerent, imprecantes. Deinde autem non tulerunt illi unius flagitiosi adolescentis tyrannicam contumeliam in corpus liberum, vos multorum feretis cœptum tyrannidem, vtentem omni iniquitate & petulantia? & in dies magis vsuram, si nunc patiamini & toleretis? non soli mihi fuit filia excellēs forma, quā aperte violare, inq; eius contumeliam obsaeuire aggressus est Appius. Sed sunt vobis multa etiam alijs filia, alijs vxores, alijsque decentis indolis filij adolescentuli, quos quid prohibebit ab aliquo alio decē tyrannorum siue etiam ab Appio ipso pati eadem? nisi forsan vobis deorum aliquis est sponsor, quòd impunitas sinentibus vobis calamitates has meas, non ad multos vestrum venient similes acerbitates, sed ad filiam vsque meam progredientes amores tyrannici desinent, & in reliqua puerorum virginúmq; corpora temperantes erunt. Sed multa tamen, scite clarè, fatuitatis faditatisque esset cogitare ista, & quod nequaquam acerba illa euenient dicere, Infinita (vt solet fieri) sunt tyrannorum concupiscentiae, tanquam legem qua eas cohibeat, aut metum non habentes vllum. Mihi igitur exequentes viri vltionem iustam & parantes vobis ipsis ne talia patiamini securitatem: rumpite iam aliquando fre-

nos ô infelices & miseri, rectísque oculis respicite ad libertatem. Quam enim aliam ob causam magis quàm ob hanc ipsam indignandum erit vobis quidem? tanquam seruas abducunt ciuium filias tyranni, & per verbera sponsas ducunt. Quo autem in tempore liberis resumetis spiritus præsens omittentes, quo corpus tectum habetis armis? Adhuc dicente eo, exclamarunt multi pollicentes vltionem, euocaruntque nomine ductores ordinum, postulantes vt negotium suscip rent. Ac iam multi aduenientes dicere audebant palàm, si quid graue passi essent. Audientes autem quæ fierent quinque viri illi quos dixi rebus præfectos esse, ac timentes ne quis in se fieret turbæ impetus decurrunt in prætorium omnes, & cum amicis speculabantur, si qua ratione possent compescere turbationem illam propria ipsi circumsistentes arma. Vbi verò audiuerunt abijsse eos in tabernacula, ac desinentem quiescentémque tumultum, ignorantes illi visum esse pluribus centurionum, per arcanas coniurationes vt ab eis desciscerent, liberaréntque patriam, instituerunt vbi dies quam primum fieret, perturbantē milites Virginium comprehendere in custodiáque habere, atque copias emittentes è castris ducere aduersus hostes: regionémque eorum optimam castrametantes populari, non sinentes esse milites de iis quæ fierent in vrbe amplius curiosos, partim propter emolumenta, partim propter futura pro se cuiq; certamina. Contigit autem cogitatorum eis nihil. Neque enim permisere cēturiones vocatum ire in prætorium Virginium, suspicantes ne quid graue pateretur. quin & sermonem intercepiū quod volebāt in hostes turbas ducere, exprobrabant talia dicentes: quam nos pulchre duxistis antea, vt spem nunc bonam capientes vos sequamur, qui quantum

nondum vlli antea Romanorum duces alij, exercitum ex vrbe ipsa educentes, & à sociis congregantes, neque vllam reportastis de inimicis victoriam, neque damnum eis vllum intulistis. Sed ignauiam ipsi vestram imperitiámque ostendistis. Malequè castrametantes iidem, regionémque vestram tanquam hostes populantes, nos pauperes & egenos fecistis. De quibus item hostes omnes quoscunque antea præliis vicimus cum duces nobis meliores aderant, nunc & trophæa in opprobrium nostrum erigunt, & tabernacula nostra, & seruos, armáque & pecunias raptas habent. Verginius autem ex ira, & quia nihil duces amplius timeret, arrogantius eos carpebat, luem eos & exitium vocans patriæ: suadénsque omnibus centurionibus vt signa tollerent duceréntque domum exercitum. horrentibus autem multis sacra mouere signa, neque tutum neque sanctum esse existimantibus omnibus duces relinquere ob sacramentum militare, quod maximè omnium seruant Romani: iubet enim militantes sequi ducem quocunque ducat: léxque ducibus potestatem dedit occidendi non parentes relinquentésue signa indemnatos & indicta causa: videns eos Verginius hæc pauentes, inq; religionem trahentes, docebat legem soluisse eis sacramentum, quandoquidem oportere creatum ducem ex lege legionibus imperare. Esse autem decemuirorum præter leges potestatem, annuum excedentem tempus, ad quod designata erat. parêre autem non imperantibus ex lege, nequaquam esse obedientiam aut pietatem, sed amentiam & insaniam. Hæc audientes illi, rectéque ea dici existimantes, cohortatíque inter se & fiduciam etiam quandam capientes à numine, signa tollunt, extráque vallum ferunt. Futurum autem erat, quod sanè solet in variis moribus, ne-

quæ omnibus optima cognoſcentibus, vt eſſent aliqui etiam manentes cum ducibus milites & centuriones: non tot tamen illi numero ſed multo aliis pauciores. Hi igitur exeuntes è caſtris, ac tota die iter facientes, veſperi in vrbem adueniunt, nuntiante ſuperuentum eorũ nullo: perturbarúntque intra muros ſtantes non mediocriter, putantes hoſtiũ ingreſſum eſſe exercitum. Erátque clamor curſusq́; per vrbem incompoſitus, nec tamen diu permanſit ea perturbatio, vt mali aliquid per eam fieret. Vadentes enim clamabant per compita, ſe amicos eſſe & in bonum vrbis ingredi. exhibebántque ſimilia verbis opera, violantes nihil. Profecti verò in Auentinum (eſt enim vnus comprehenſorum in vrbe collium ponendis caſtris valde opportunus) ponunt arma circa Dianæ ædem. diéque ſequenti firmantes caſtra, ac præfectos creantes decem, communium rerum dominos, quorum dux erat M. Oppius, quieti permanſerunt. aduenerúntque non multo pòſt eis etiam auxilia ab exercitu qui Fidenis erat, præcipui trium legionum centuriones magnam manum adducentes, alienati ipſi quoque ab illis ducibus ex quo Siccium legatum occiderant (vt dixi ſuprà) ſed timentes defectionem incipere, tanquam amicæ eſſent decemuiratui quinque aliæ in Algido legiones: túncque vbi cognouere defectionem earum, fortunæ euentum cupidè amplectentes. Erant autem harum etiam legionum duces creati in itinere præfecti decem: quorum erat illuſtriſsimus Sextus *Manilius. Vbi verò permixti ſunt inter ſe armis depoſitis permiſerunt illis præfectis viginti omnia ad rempublicam pertinentia, dicerèque & agere: exq; illis duos elegere præſidentes, Marcum Oppium & Sextum Manilium, qui conſilium conſtituentes ex omnibus centurionibus, cum illis*

omnia tractantes perseuerabant. Incerta autem multis adhuc eorum mente, Appius vt qui cognosceret se præsentis turbationis autorem fuisse maximum, & malorum quæ per eam expectabantur fore, nolebat quicquam publicorum amplius attingere, sed domi stabat. Collega verò ei in vrbe Spurius Oppius perturbatus & ipse à principio, tanquam se quàm celerrime inuasuri inimicis, ad hócque venientibus, vbi eos cognouit nihil molientes noui, metu deposito senatum conuocauit, accersens vnumquenque eorum è domibus: eisque adhuc congregatis, venere duces ab exercitu qui Fidenis erat, ægrè ferentes castra à militibus deserta vtraque esse, suadentésque senatui vt pro excessu rei dignam aduersus eos iram susciperet. Vbi verò sententiam efferre vnumquemque senatorum oportuit, dixit L. Cornelius: oportere abire eos qui in Auentino erant eo ipso die in castra ad quæ deputati erant, & à ducibus iussa exequi, nemine futuro reo gestorum, præter autores solos defectionis, de hisque duces iudicia exercere. Quod si ista milites non faciant, consultare tunc de eis senatum, tanquam ordinis desertoribus, in quo à ducibus, statuti fuerant militarísque violatoribus sacramenti. Primi autem deinceps imperium à populo centuriatis comitijs accepere, L. Valerius Potitus, & M. Horatius Barbatus, natura ipsi populares & maioribus suis in hanc sectam succedentes, qui seruantes promissa quæ plebeijs fecerant, cum arma eis deponere persuaserint, nempe se plebi omnia vtilia perfecturos, leges sanxerunt centuriatis concionibus. ægre quidem ferentibus patritijs, sed contradicere erubescentibus: cum alias quasdam quas non opere est scribere, tum eam quæ positas à plebe leges curiatis concionibus, iubebat ex æquo omnibus Romanis

nis poni, vim eandem habentes eas quam quæ centuriatis concionibus ferenda essent. erántque pœnæ appositæ soluentibus aut transgredientibus legem, si deprehenderentur, mors & bonorum publicatio. Hæc lex patritiorum ambiguitates quas cum plebeijs antea faciebant, nolentes positis ab eis legibus parêre. Nec omnino concionibus curiatis firmata esse existimantes communia ciuitatis omnis decreta, sed decretum esse illis solis proprium. quodcunque verò centuriata cognouisset concio, hoc putantes & sibiipsis & alijs statutum ciuibus. dictum est enim prius etiam quod in curiatis concionibus vincebant plebeij pauperésque patritios. In centuriatis autem patritij multo alijs pauciores, superiores fiebant plebeijs. Hac confirmata à consulibus lege, cum alijs (vt dixi) quibusdam popularibus, tribuni statim illud tempus opportunum putantes puniendorum decemuirorum, diem eis oportere dici existimarunt, non illi eos omnes simul in iudicium, ne prodessent alteri alteris, sed singulos adducentes: opinabantur enim hoc modo facilius captabiles eos fieri, speculantésque à quo inciperent opportunissimo, cogitarunt primum Appium iudicio subijcere, cum aliarum iniuriarum causa odiosum plebi, tum verò nouissimè perpetratarum in virginem iniquitatum. Hoc enim perdito videbantur sibi etiam cæteros superaturi, siqueʼ ab humilioribus inciperent, molliores fore suspicabantur iras ciuium ad illustrissimos vltimósque iudicandos, vehementiores quidem ipsas (quod iam sæpe euenit) in prioribus certaminibus. His igitur illi consultis, continuerunt cæteros, & vt extra sortem Virginius Appium accusaret decreuerunt. Defertúrque dehinc ad plebem à Virginio accusatus in concionem Appius, petitúrque tempus ad defensionem. Verùm

ductus ipse in carcerem vt custodiretur vsque ad finem iudicij (non enim vades dandi data est ei potestas) ante diem destinatam iudicio in vinculis moritur: vt suspicio multorum fuit iussu tribunorum: vt verò illi, diluere volentes culpam, vulgarunt, se ipse laqueo suspendens. Post illum autem Spurius Oppius ductus ad plebem ab alio tribunorum Publio Numitorio causa'que potitus dictione omnibus capitur calculis, carceríque traditus moritur eodem die. Reliqui verò ex decem priusquam eis dies diceretur, se exilio ipsi mulctarunt, bonáque eorum omnia tam mortuorum quàm exulum accipientes quæstores vrbani in publicum retulere: diésque deinde etiam Marco Claudio ei qui virginem capiebat vt seruam dicitur à sponso virginis eiusdem Icilio: ísque causam in iubentem iniquè agere Appium referens liberatur morte, mulctatúrque exilio. neque aliquis alius subministrantium iniquum aliquod decemuiris subijt discrimen publicum: sed data est omnibus securitas. Introducénsque institutum istud fuit Marcus Duellius tribunus, hanc rem agrè ferentibus iam ciuibus, & se hostes fieri expectantibus. Vbi verò sedatæ sunt in vrbe turbæ, decretum firmant, vt educatur aduersus hostes quàm celerrimè exercitus: sancientéque populo id quod à senatu decretum erat, alter consulum Valerius dimidium copiarum habens aduersum Aequos eduxit eas & Volscos. conuenerant enim vtræ'que hæ gentes. Atque Aequos sciens ex prioribus successibus gloriabundos, in multam deuenisse contemptionem Romanarum virium, adhuc magis attollere voluit, ferocioresque eos facere opinionem exhibens non veram, tanquam horreret cum eis manum conserere. ostendítque signa timentis omnia,

locum

locum castris ponendis eligens excelsum, agréque accessibilem, fossámque circumducens profundam & vallum erigens altissimum, prouocantésque in pugnam hostes, exprobrantésque sæpius ignauiam tolerabat quietus manens. Vbi verò cognouit optimam manum hostium ad excursionem Hernicorum agri Latinorúmque egressam, & in castris neque multam neque strenuam custodiam relictam, hoc tempus esse opportunum putans, eduxit exercitum: & instruxit vt ad pugnam nemine que aduersum prodeunte eam diem quieuit: sequenti verò duxit copias ad eorum castra non admodum munita ipsa. quæ cum obsideri audiuissent qui egressi erant ad excursiones, redeunt: nec vnà tamen, nec compositi, sed & sparsi & pauci simul, vt casus tulit apparentes. at relicti in castris vbi aduentantes conspexere socios, ferociores iam facti exeunt, & in aciem quidem instructi. fit'que certamen magnum & vtrinque cædes multa. In quo vincentes Romani & qui resistebant auertunt, & qui fugiebant persequentes, alios occidunt, alios captiuos ducunt. hísque peractis Valerius iam licenter regionem hostium populabatur. Marcus autem Horatius missus ad Sabinense bellum, vbi gesta à collega suo cognouit, educens & ipse copias, progreditur è castris ocyus totis viribus, aduersum non pauciores numero Sabinos, rerúmque ipsos militarium peritissimos. Demonstrarant enim illi quoque spiritus & audaciam multam ex prioribus successibus aduersus sibi oppositos, & omnes communiter & priuatim eorum ductor. Erat enim non dux bonus tantummodo, sed miles quoque manu promptus. Cæterùm pugnantibus magna cum alacritate equitibus, victoria potitus est clarissima, multos hostium interficiens, multóque

ductus ipse in carcerem vt custodiretur vsque ad finem iudicij (non enim vades dandi data est ei potestas) ante diem destinatam iudicio in vinculis moritur: vt suspicio multorum fuit iussu tribunorum: vt verò illi, diluere volentes culpam, vulgarunt, se ipse laqueo suspendens. Post illum autem Spurius Oppius ductus ad plebem ab alio tribunorum Publio Numitorio causa'que potitus dictione omnibus capitur calculis, carcerique traditus moritur eodem die. Reliqui verò ex decem priusquam eis dies diceretur, se exilio ipsi mulctarunt, bonáque eorum omnia tam mortuorum quàm exulum accipientes quæstores vrbani in publicum retulere: diésque deinde etiam Marco Claudio ei qui virginem capiebat vt seruam dicitur à sponso virginis eiusdem Icilio: ísque causam in iubentem iniquè agere Appium referens liberatur morte, mulctatúrque exilio. neque aliquis alius subministrantium iniquum aliquod decemuiris subijt discrimen publicum: sed data est omnibus securitas. Introducénsque institutum istud fuit Marcus Duellius tribunus, hanc rem agrè ferentibus iam ciuibus, & se hostes fieri expectantibus. Vbi verò sedatæ sunt in vrbe turbæ, decretum firmant, vt educatur aduersus hostes quàm celerrimè exercitus: sancientéque populo id quod à senatu decretum erat, alter consulum Valerius dimidium copiarum habens aduersum Aequos eduxit eas & Volscos. conuenerant enim vtræ'que hæ gentes. Atque Aequos sciens ex prioribus successibus gloriabundos, in multam deuenisse contemptionem Romanarum virium, adhuc magis attollere voluit, ferocioresque eos facere opinionem exhibens non veram, tanquam horreret cum eis manum conserere. ostendítq; signa timentis omnia.

locum

locum castris ponendis eligens excelsum, agréque accessibilem, fossámque circumducens profundam & vallum erigens altissimum, prouocantésque in pugnam hostes, exprobrantésque sæpius ignauiam, tolerabat quietus manens. Vbi verò cognouit optimam manum hostium ad excursionem Hernicorum agri Latinorúmque egressam, & in castris neque multam neque strenuam custodiam relictam, hoc tempus esse opportunum putans, eduxit exercitum: & instruxit vt ad pugnam. neminéque aduersum prodeunte eam diem quieuit: sequenti verò duxit copias ad eorum castra non admodum munita ipsa. quæ cum obsideri audiuissent qui egressi erant ad excursiones, redeunt: nec vnà tamen, nec compositi, sed & sparsi & pauci simul, vt casus tulit apparentes. at relicti in castris vbi aduentantes conspexere socios, ferociores iam facti exeunt, & in aciem quidem instructi. fit'que certamen magnum & vtrinque cædes multa. In quo vincentes Romani & qui resistebant auertunt, & qui fugiebant persequentes, alios occidunt, alios captiuos ducunt. hísque peractis Valerius iam licenter regionem hostium populabatur. Marcus autem Horatius missus ad Sabinense bellum, vbi gesta à collega suo cognouit, educens & ipse copias, progreditur è castris ocyus totis viribus, aduersum non pauciores numero Sabinos, rerúmque ipsos militarium peritissimos. Demonstrarant enim illi quoque spiritus & audaciam multam ex prioribus successibus aduersus sibi oppositos, & omnes communiter & priuatim eorum ductor. Erat enim non dux bonus tantummodo, sed miles quoque manu promptus. Cæterùm pugnantibus magna cum alacritate equitibus, victoria potitus est clarissima, multos hostium interficiens, multóque

nem conuenerant, filiósque & cognationem adducens, & personam sumens humilem, & alia multa faciens multitudinem in commiserationem attrahentia. Has igitur accusationes consulum multas effundente Claudio, etiam astantibus visum est satis esse debere consulibus, si non ipsi pœnas darent, nedum triumphis aut talium concessionum aliqua digni haberentur. negante igitur triumphum eis senatu, indignati Valerius & Horatius, grauémque hanc putantes contumeliam, aduocarunt ad concionem multitudinem. multumque accusato senatu, assentientibus cooperantibusque tribunis legémque introducentibus, potestatem triumphandi à populo accipiunt, primi Romanorum omnium hanc consuetudinem introducentes. Dehincque rursus in dissensiones expostulationésque deuenere aduersus patritios plebeij. Instigabant enim eos tribuni concionantes quotidie dicentésque aduersus senatum multa: irritabátque multos suspicio, quam tribuni ipsi studebant vt vehemens fieret, fama sine autore aucta, coniecturisque non paucis, tanquam leges soluturi essent patritij quas Valerius & Horatius consulatum gerentes tulerant: detinebátque multos validè, nec à fide distans hæc opinio. Et quæ quidem sub his consulibus gesta sunt fuere talia. Sequente verò anno consules Sp. Herminius & T. Verginius Calimontanus, & ab eis magistratum accipientes M. Genutius.

Hic nulla traductio Latina reperitur, quia Græcus codex vetustate corruptus deficit.

nihil autem respondentibus, sed indignantibus, progrediens Scaptius ad pulpitum: Habetis, inquit, ciues à dissidentibus ipsis concessum quod ipsi sibi regionem nostram nihil ad eos pertinentem vendicat, ad hæc quæ vos respicientes iusta iurique iurando

conuenientia decernite. Talia dicente Scaptio, consu les subibat pudor cogitantes, quod neque iustum, neque decentem finem causa susceptura esset si regionem aliquam de qua lis esset inter alios, electus iudex pop. Roma. nunquam ea sibi antea vendicata, nunc ademptam litigatoribus sibi ipse adiudicaret. Súntque plurima à consulibus & à principibus senatus in auersionem huius rei dicta & frustra. Nã qui suffragia accepere, multam esse stultitiam dicentes negligere se alios sua occupantes, ac ne pium quidem putantes se iudicio finem illaturos, si Aricinos aut Ardeates declararent agri, de quo lis erat, dominos: iurati ipsi se, quorumcunque eum esse inuenirent, ipsis eum adiudicaturos: irati illi etiam contendentibus, quoniam fraudatos agro, ipsos capere iudices voluissent, ne liceret eis deinceps agrum suũ recuperare. quem iurati iudicantes, ipsi aliorum esse cognouissent: hæc ratiocinantes illi, agréque ferentes, tertium iussere vas poni calculorum in quaque tribu pro Romana urbe, in quo suffragia deponerent. fit'que omnibus suffragijs dubij iuris agri populus Rom. dominus, & hæc sub his gesta sunt consulibus. Marco autem Genutio & C. Quintio consulibus, ciuiles iterum exurrexere dissensiones, postulantibus plebeijs licere Romanis omnibus consulatum capere. Gerebant enim eousq; patritij ipsum soli, centuriatis comitijs designati. legémque tribuni conscriptam de comitijs consularibus inferebant, omnes præter vnum C. Furium consentientes, per quam dominum faciebant populũ cognitionis, quocunque anno patritios vellet siue plebeios ad consulatum admittere. Quas res agrè ferentes senatorij ordinis viri, vt qui viderent principatum suum dissolui, omnia sustinenda potius arbitrabantur quàm vt hanc legem ferri sinerent. ira'que & accusatio-

nes actionésque assiduè fiebant inter se contraria in priuatis cętibus & in communibus conuentibus patritiorum omnium alienatorum à plebeijs. multíque in senatu sermones, multi in concionibus dicti erant à præsidentibus potentia optimatum: mitiores quidem ab eis qui putarent per ignorantiam vtilitatis peccare plebem: ferociores verò ab alijs qui per insidias & inuidiam erga patritios rem compositã esse dicerent. Extracto autem in cassum tempore nuntij à socijs adueniunt dicentes quòd cum incursuri in se magno exercitu Aequi & Volsci essent, rogabant sibi celerem mitti opem, vt in semita belli positis. dicebantúrque ex Hetruscis etiam Veientes ad defectionem se parare. neque Romanis quoque amplius Ardeates obtemperabant, irati eis ob dubitabilē regionem illam, quam electus superiore anno populus Rom. iudex sibi adiudicarat. Ista audiens senatus, decreuit exercitum conscribere, & emittere vtrunque consulem. Sed aduersabantur decretis eorũ inferentes legem tribuni, potestatémq; habentes obsistendi consulibus, auferentésq; eis ductos ad militare sacramentum, neq; pœnam sinentes illos de contumacibus vllam sumere. Valde autem postulante senatu vt in præsentia peruicaciam abijcerent, & cũ finem cepissent bella, tunc de comitijs legem proponerent, tantum aberant illi vt cedere vellent temporibus, vt de alijs quoq; rebus senatusc.sultis se esse aduersaturos dicerent, neq; de re vlla decretum illud confirmari permissuros, nisi senatus ipse de lege quæ ab ipsis inferebatur praeconsuleret. neq; tantũ in senatu ad consules in has minas prouecti erant, sed ad iurandum etiam in concionibus iuramenta apud eos maxima, per suam ipsorum fidem, ne qua prorsus dissoluendi aliquid cognitorũ ab eis spes fieret. Ad has autem minas quid agi opus esset speculabant

ecto vel sex sufficere. Nec in his tamen viris minor patritiorum quam plebeiorũ sit numerus. Ista enim facientes ipsi, neque consulum imperium in humiles & indignos deiecietis, neque vobis dynastias construxisse iniustas, neque plebem vnius imperij participem effecisse videbimini. Laudantibus autem sententiam eius omnibus, neque vllo contradicente, audite, inquit, quæ vobis etiam consulibus commemoranda habeam. Prædicta die qua consultum confirmaturi estis & à senatu iudicata, proponetisq; defendendam & accusandam legem, vbi dictis in vtranque partem rationibus tempus fuerit rogandarum sententiarum, neq; à me, neq; ab hoc Quintio incipite, neq; ab alio seniorum quoquam: sed à popularissimo senatorum Lucio Valerio. Póstq; eum rogate, siquid volet dicere, Marcum Horatiũ. Et vbi ab eis sententias exquisiueritis, tunc iubete nos seniores dicere. Ego enim omni vtens licentia efferam aduersantem tribunis sententiam: prodest enim hoc reip. Institutúmq; de præfectis introducet postea, si volentibus vobis fiet, Titus hic Genutius. Decentissima enim sententia, miniméque suspicionem exhibens vtiq; fiet si hic eam frater tuus Marce Genuti dicat. Visa sunt hæc etiam ab eo proposita discesserúntque illi ex conuentu: & tribunos timor inuasit ex arcana illorum virorum concione, vt in maium ea magnum aliquod plebis facta: quandoquidem domi ac non in aperto consedissent, neque quenquam præsidentium plebi participem consiliorum assumpsissent. Póstque illud concilium, & ipsi ex plebeissimis aliquot con rogantes, auxilia & custodias machinabantur aduersum insidias quas sibi fibi fore à patritijs suspicabantur. Vbi verò tempus venit quo præconsultum fieri oportebat, conuocantes senatum consules, multásque facientes adhortationes

ad conc

ad concordiam & bonum morem, dedere primum de lege sermonem introducentibus eam tribunis. ac progrediens vnus ex eis Canuleius, quòd iusta esset aut vtilis, neq; docuit neq; meminit. Mirari autē se dixit consules, quòd tam deliberato ac iudicato inter se quid agi oporteret, rem nunc tanquàm minimè approbatam indigentémque consilij, in consessum conarentur inferre, orationémque de ea introducentibus ipsis dedissent, dissimulationem inferentes, neque ætatibus suis congruam, neque imperij magnitudini conuenientem: prauarúmque ait ipsos actionum initia in remp. introducere, concilia congregantes secreta in priuatis domibus, neq; omnes consiliarios in ea aduocantes, sed sibi ipsis commodissimos, atque aliorum quidem à consilio domestico ab actorum, se minus mirari inquit: Mar. verò Horatio, Lucióque Valerio euersoribus decemuiratus, virisque iisdem consularibus, nec vllo minus ad consulendum de rep. idoneis, haud dignatis aduocatione in concilium se profectò stupefactum esse, neque assequi se posse coniectura quam fuisset istud iusta ratione. Verùm vnam suspicari causam, quod prauas ipsi & inutiles aduersus plebem sententias introducturi, noluerint in hæc consilia popularissimos aduocare, indignaturos nimirum, neque neglecturos si quod iniustum institutum fieret aduersus plebem. Talia dicente Canuleio, multa cum indignatione, atq; illis senatoribus qui non assumpti erant in consilium, irato animo rem ferentibus, progrediens alter consulum Genutius conabatur excusare, mitigaréque eorum iras: se amicos assumpsisse dicens, non vt agerent aduersus plebem, sed vt cum valde necessarijs deliberarent, quidnam agentes viderentur neutrum electionū imminuere. vtrū senatui celeriorem cognitionē de lege dantes, an tard

an tardiorem. Horatium autem & Valerium, nulla alia se causa in consilium non adhibuisse, nisi hac ipsa, ne qua de eis plebi oriretur suspicio, tanquàm mutantibus administrationis suæ electionẽ, si fuissent alterius sententiæ, quæ differri æquum censebat cognitionem de lege, in tempus magis opportunum. Postquàm verò assumptis omnibus compendiosior cognitio visa est melior: se, vt illis visum sit agere: & his dictis, iuratúsque per deos se vera dicere: eos etiam qui ex senatoribus vocati erant, dixit omnem esse dilaturos criminationem, non verbis sed operibus. ac quãdoquidem accusare, aut defendere volẽtes, legem, iusta allegassent, adducturos se ad rogationem sententiæ, non duo maximos & honoratissimos senatorum, quibus ex patriis consuetudinibus etiam redditum est hoc præmium: neque suspectos plebeiis, tanquam nihil ipsos pro eis vtile aut dicturos aut sensuros: sed ex iuuenibus eos qui esse viderentur popularissimi. & hæc pollicitus factáque volentibus potestate dicendi, postquam nemo neque accusaturus legem, neque defensurus astitit: progrediens rursus rogauit primum Valerium, quid reipubl. conferret, & quid senatui præconsulere suaderet. Isq; assurgens multósque percurrens de se, déque maioribus sermones tanquam ipsis ad vtilitatem reipu. plebeiorum partibus præpositis, & enumerans à principio omnia occupantia vrbem pericula propter eos qui contraria in republica agerent, atque dicens eis omnibus qui se inimicè erga plebeios habuissent, fuisse inutile demonstrasse in plebem odium: multúmque laudata plebe, tanquam autore maxima facta vrbi non libertatis tantummodo, sed etiam principatus: vbi & hæc & his similia percurrit, postremo dixit non posse vrbem esse liberam ex qua aliquis æquabilitatem tolle-

ret. dixitq; videri sibi esse legem iustam, quæ vellet Romanos omnes participes consularis potestatis fieri, qui quidem vita essent irreprehensibilis operáque demonstrassent illo honore digna. Tempus autem cognitionis legis ipsum minimè opportunũ, cum in bellicis perturbationibus vrbs esset. Consulebátque tribunis, vt finerent conscriptionem militum fieri, nec egressum inhiberent: ac consulibus, vt cum optimum finem bello imposuissent, primum omnium præconsultum de lege in populum efferrent. Hæc'q uescribi iam volebat & vtrosque consentire. Hanc sententiam efferente Valerio, & post eum Horatio (Nam secundum locum ei dedere COSS.) idem affectus omnes astantes subiit Nam qui legem volebant tolli, dilationem de cognitione eius læto animo audientes, illud post bellum necesse esse sibi de lege præconsulere, grauiter accipiebant: qui verò firmam eam volebant à senatu iudicari, hoc quidem iustam legem esse confessum iri lætè audiebant: illuc verò in alia incidere præconsultum tempora, irato animo accipiebant. Secuto autem ad eam sententiam vt solet tumultu, quia neutris grata erant partes eius omnes, progrediens consul tertium C. Claudium sententiam rogauit. qui ex præsidentibus alteri factioni aduersanti plebeiis arrogantissimus videbatur & potentissimus. isque præparato orationem percurrens, omnia quæcunque vnquàm pulchris patriísque consuetudinibus contraria visa sunt commemorauit: eiusque principale fuit in quod inclinauit sententia, ne quam traderent cognitionem senatus de lege, nec in præsens, nec in futurum tempus consules: tanquam ea ferente in dissolutionem optimatum potentiæ, confusuráque ornatum ciuitatis omnem. Exorto autem ad hanc sentẽtiam maiore adhuc tumul-

in, tertius vocatus astitit T. Genutius, consulum alterius frater, qui pauca loquens de occupantibus vrbem temporibus, duorum ait difficillimorum necesse ei alterum euenire: velut propter contentiones ambitionésque ciuiles valida res hostium fierent: vel vt volens quæ extrinsecus inferebantur auertere, male ipsa ciuile bellum domesticumque dissolueret. Duorum autem malorum, quorum necesse esset inuitos eos alterum sustinere, videri sibi hoc ait minus inutile, vt concederet senatus plebi diuelli potius patrium Reipublicæ ornatum, quàm gentibus exteris & hostibus ridiculam vrbem fieri. Et his dictis probatam ab iis qui in consilio priuato fuerant, sententiam protulit: quam introduxerat (vt dixi) Claudius: vt pro consulibus præfectos crearent tres ex patritiis, & tres ex plebeiis, consularem habentes potestatem: & vbi eis finitum esset tempus imperij, oporterétque creari magistratus nouos, tunc senatum plebémque conuenientes, cognoscere vtrum consules an præfectos mallent imperium suscipere: & quod omnibus suffragium ferentibus videretur, firmum esse: peragíque hoc in annos singulos præconsultum. Hanc sententiam efferente Genutio multa omnium secuta est laus, omnésque ferè post eum astantes confessi sunt hæc esse optima. Scribitúrque à consulibus decretum, quod tribuni multo cum gaudio accipientes, processerunt in forum. Posteáque aduocantes multitudinem ad concionem, multas laudes enarrarunt senatus petere magistratum iubentes quicunque vellent plebeiorum simul cum patritiis. Adeò autem leuis quædam est res desiderium sine ratione, & cito in alteram partem transiens, maximéque multitudinis, vt hi tanti antè facientes hoc potiri magistratu, ac nisi eis hoc datum esset à patritiis relicturi vrbem ""
""

vt antea, aut armis ipsi eum assumpturi, vbi concessum hoc acceperunt, abstiterint statim desiderio, studiáque in alteram partem transtulerint. multis enim plebeiorum profitentibus se præfecturam hanc petere, magnóque studio preces adhibentibus, neminem eorum dignum hoc honore putauerunt. Sed facti ipsi suffragiorum domini petentes eum magistratum patritios illustres viros eos omnes præfectos creauere, Aulum Sempronium Atratinũ, Lucium Atilium Longum, Titúmque Clœlium Siculum. Híque primi procõsulare imperium accipiunt anno tertio octogesimæquartæ Olympiadis imperante Athenis Diphilo. Obtinentésque isti illud septuagintatres dies tantum, vltro ipsi deposuere, secundum patrias consuetudines ob missa quædam à deo signa prohibentia eos publica administrare. Abdicantibus verò se his magistratu, conueniens senatus creat interreges, qui comitia prædicentes, tradentésque populo cognitionem vtrum præfectos creare vellent an consules: iudicante ipsomet manendum esse in veteri consuetudine, permiserunt patritiis vt qui eorũ vellent peterent consulatum. Fiúntque iterum ex patritiis consules, L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus vnius eorum frater qui præfecturam deposuerant. híque eo anno duo apud Romanos magistratus extitere, maximam habentes potestatem. Non in omnibus tamen Romanis annalibus hi vtrique inueniuntur, sed in aliis præfecti tantũ, & in aliis cõsules, in non multis autẽ vtrique. Quibus quidẽ nos non ex ratiocinatione fidem adhibemus, sed credentes testimoniis sacrorum repositorúmque librorum. Aliud autem nullum sub magistratu horum neque bellicum neque ciuile opus dignum historia gestum est. Fœdera verò cum Ardeatum vrbe de

amicitia societatéque icta sunt. Miserant enim legationem Ardeates, depositis de regione expostulationibus, volentes vt amici Romanis sociique fierent. Hacq; fœdera collegium consulum confirmauit. Sequenti verò anno decernente populo iterum creari consules, suscipiunt consulatum Luna mensis Decembris plena, Marcus Geganius Macerinus iterum, & Titus Quintius Capitolinus quintum, COSS. Híque senatũ edocentes, quòd cum multa alia neglecta erant ob continuas militias consulum, tum verò vnum maximè necessarium neglectum erat, census legitimus, ex quo numerus militaris ætatis hominum cognoscebatur, diuitiarúmque magnitudo, quarum pro modo oportebat vnũquenque ad bellum tributa pendere, nullo intra decem & septem annos censu condito, à Lucij Cornelij & Quinti Fabij consulatu, ita vt boni quidem viri & vtiles, in censibus militiisque essent: flagitiosissimi verò prauissimíque sine censu relinquerentur, locúmque alium perciperent, in quo liceret eis vt vellent viuere.

Est conuersum, sanctissime pater, id omne quod in ambobus tuis codicibus Græcis repertũ est, súmque ausus in hac vltima libri parte, præter meam consuetudinem aliquid, haud equidem addens aut detrahens, sed in fragmentis confusè scriptis, & præpostere in ambobus codicibus mutans ordinem: non autoris equidem hunc esse errorem putans, sed librariorum. nam cum decemuiratum statim primi consules sequantur Lucius Vale-

rius Potitus, & Marcus Horatius Barbatus, quòd cum ex aliis historicis, tum ex hoc ipso, & in hac parte videri potest, horum gestis præposuerant librarii Græci alia pòst gesta, atque duo non cohęrentia inter se fragmenta in vnum contulerant; quod ego aduertens (neque enim difficile animaduersu fuit) volui autori ipsi hãc quàm poterã opem paruulam apud Latinos ferre: quod & ipsum fuisset, puto, pudori mihi ni fecissem, nec visus essem tam perspicuam rem vidisse. Tu me, oro, pro tua egregia animi nobilitate magnificentiâque commẽdatum habe deditissimum tibi seruulum.

FINIS.

RER

RERVM OMNIVM IN HOC OPERE NOTATV DIGNARVM INDEX COPIOSISSIMVS.

★

A

Aricini

B

C

Cæso

Clytem

Cremer

D

E

B

C

Cæso

E

Libit

M

Marcij

I

Libit

[tri

M

Oras

post alios morbis labor
stas in ea manebit: ost
ciuilium considerand
Sic enim natura com
boni fructus prouenian
Si, inquit, hic magistr
diam inuectus esset bo
torum magnorum bono
rum legum, bona spei
rum. nunc quoniā per
ditionem, belli ciuilis m
da inductus est, quid i
dum est admisso semel
superuacaneum est au
lulantia mala quærere,
re humana ratio, pessim
nunquam enim diris n
fasta hac furia & vo
rumpet suo tabo honest
cetur tempestiuius. nu
est præsenti negotio, dic
mulans: neque hanc leg
pretractatam à senatu
sed tum dictis optimates
opus fuerit) non cedam
stis quantam vim consu
me consule. Sic Appius
surrexit C. Lectorius
tate maximus, vir bello
ctandis ciuilibus negoti
multa pro plebe dixit.
inopes, post exantlates
solùm sub regibus quod
verum etiam deinceps
dóque imperio, nullam



M

Mint

N

Pelasg

Pomet

Præf

Prænomina Romanorum familiaria apud Dionysium vsurpata.

Agrippa, Appius, Aulus, Cæso, Caius, Cneus, Lucius, Manius, Marcus, Metius, Opiter, Proculus, Publius, Quintus, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Turnus, Tullus, Vopiscus.

LVGDVNI,
Excudebat Symphorianus
Barbierus.







